Y 47

Digitized by Google

SYNODUS
DIŒCESANA
FLORENTINA
MDCCX.

Digitized by Google

Digitized by Google

DECRETA SYNODI DIŒCESANÆ FLORENTINÆ

CELEBRATÆ

IN ECCLESIA METROPOLITANA

DIE X. SEPTEMBRIS MDCCX.



FLORENTIÆ MDCCXI.

Ex Archiepiſcopali Typographia Petri Matini.

SUPERIORUM PERMISSU

Digitized by Google

THOMAS BONAVENTURA
EX COMITIBUS
GHERARDESCHÆ
DEI, ET S. SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA
ARCHIEPISCOPUS
FLORENTINUS.

Venerabilibus Fratribus Canonicis, & Capitulo Metropolitanæ Eccleſiæ, ac Diœceſis noſtræ Parochis, ceteriſque Clericis Salutem.

C*Itiùs omnino, quam concepta rei dudum excogitatæ molimina paterentur, ſed fortaſſe ſeriùs, quàm concupita Sacrarum Legum ſynopſis deſiderium, & ampliſſimæ Diœceſis univerſæ commoditas poſtularent, Synodales has noſtras, quinimo & alienas Conſtitutiones promulgamus. Noſtras quidem, quoniam generali gregis Curæ noſtræ commendati per noſmetipſos luſtratione peracta, commiſſum Nobis ab Altiſſimo Regimen Animarum peculiaribus legibus, in ſolemni Cleri convocatione ſancitis, communivimus: Alienas verò, quia, ſi pauca quædam, noſtris hiſce temporibus accommodata, & non modica pœnarum, ſpiritualium præſertim, moderatio demantur, illæ eædem ſunt, quæ ex provida Prædeceſſorum noſtrorum ſollicitudine in præſens uſque prodierunt. Multiplex profectò variorum Codicum incommoditas, & obſcura quandoque ipſarum legum, diverſimodè latarum, collatio, deſideria plurimorum excitarunt, ut unica aliquando Synodalium Decretorum collectio prodiret, quæ certam, & indubitatam legem, reſectis ijs, quæ in deſuetudinem abjerunt, perſpicuè contineret. Hoc verò, accitis ex utroque Cle-*

ro prudentibus Viris, in Sacra Theologia, & in utroque Jure verſatis, non minimi laboris opus fuit, & quod deſideratam Comitiorum celebrationem à primis noſtræ gubernationis exordiis tamdiù protelavit. Hoc ipſum, Venerabiles Fratres, Dilectiſſimi Filii, Nos in ſpem certiſſimam adducit fore, ut hilari prorſus animo vos, & ſumma cum alacritate, ſanctiones ipſas, vel diuturnâ iam obſervatione probatas, vel diligentiſſimâ examinatione ſecretas, & conſilio veſtro laudatas, excipiatis. Ecquis enim Venerabilem Patrum noſtrorum memoriam, in exacta Legum, ab ipſis doctè, prudenter, religioſeque latarum, obſervatione, non revereatur? aut quis alacriter complecti refugiat, quod ſemel conſilio ſuo, & commendatione, ut faceremus, ardenter concupivit, & propemodum impegit? Agite igitur, &, quemadmodum eſtis gloria noſtra, & gaudium, ita etiam ſpem noſtram implete: reddite fructum laboris, & deſideria noſtra, ad commiſſarum Nobis Ovium incolumitatem ſingulariter tendentia, optatiſſimo communis ſanctificationis præmio fraudari, culpâ veſtrâ, aut ſocordiâ, ne ſinite. Totis autèm viribus incumbite, ut nedum vos ipſi, qui in ferendâ lege comparticipes ſollicitudinis noſtræ, & laboris fuiſtis, ſed & omnes, quorum cura ad vos quomodocumque in munere veſtro ſpectabit, factores huius legis ſitis, non otioſi tantùm Auditores. Nihil enim adlaboraſſe nobiſcum in Synodalium Decretorum ſanctione vobis proderit, niſi adlaboretis in curanda eorumdem executione, quæ nec condere ſine vobis placuit, nec obtinere poſſe ſine vobis ſperamus. Hanc itaque mentem ſanctam, & rationabile obſequium, ab omnium bonorum largitore Deo, ex intimo cordis affectu, vobis apprecamur, & perennem in Cælis immarceſcibilis gloriæ Coronam repromittimus.

D. JU-

D. JULII ALEXANDRI SCARLATTI CANONICI FLORENTINI ORATIO HABITA AD SYNODUM.

MEmoriæ proditum eſt Ægyptios, cùm per annos ſingulos Nili alluvione agrorum fines turbarentur, eiſdem certâ lege metiendis, regendiſque animum intendiſſe, atque hinc ortum Geometriam, nomenque duxiſſe. Cum igitur non abſimili ratione ad ea, quæ per hominum incuriam, vel per temporum intervalla labefactata, aut labefactanda timentur, Sapientiſſimus Præſul, legibus non tam inſtitutis, quàm reſtitutis, in perpetuum reparanda paſtoralem omnem ſollicitudinem converterit, mihi quoque conſentaneam aliquam dicendi rationem ineundam exiſtimavi, quæ, non tam ad animos informandos, aut arguendos, quàm ad excitandos, confirmandoſque pertineret. Homines eo fere eſſe ingenio, ut nihil æquè eos in officio contineat, & ad præclara quæque impellat, & inflammet, ac jugis recordatio, vel nobilitatis, quam à Majoribus conſervandam, augendamque acceperunt, vel præclari alicujus muneris in Republica ſponte ſuſcepti, cui pro viribus non ſatisfacere turpe, & inhoneſtum exiſtiment, nullus, opinor, inficiabitur, cum ſatis, ſuperque uſu compertum ſit, alios

dignitate auctos, etſi ceteroqui ignobiles, gloriâ rerum geſtarum floruiſſe, officioque optimè reſpondiſſe, alios contra, nullis virtutibus fultos, ne in deterius quotidie prolaberentur, ſolam generis reverentiam prohibuiſſe. Eſt enim ita comparatum, ut jacenti, corruptæque naturæ igniculi quidam, facesque ingenerentur, quibus utinam non ad faſtum aliquando, & inanem oſtentationem, ſed ad Conditoris gloriam propagandam perpetuò uteremur; nam, ſicut nihil æquè declarat admirabilem illam humani generis excellentiam, ac vis illa, & capacitas animorum nullis creatarum rerum vel cognitionibus, vel poſſeſſionibus acquieſcentium, ita nihil fortaſſe luculentius oſtendit, unde exciderit, & in quas calamitatum tenebras, participatâ ex corpore peccati colluvione, devenerit, quam effrænata cupiditas, nunquam in terris explenda, vel finium proferendorum, vel nominis claritatis, immortalitatiſque aſſequendæ. Cum hæc ita ſint, non abs re futurum arbitror, ſi Vobis, Patres Ornatiſſimi; fructus ejus gloriæ, quæ ex Deo eſt, in omni æternitate integros ſervare cupientibus, proponam regalem veſtri Ordinis, ſuſceptique Muneris amplitudinem, ac dignitatem, & ut luceat lux veſtra coram hominibus, de ea præſertim virtute verba faciam, quæ regali huic Dignitati eſt maximè accommodata, & ad leges implendas maximè neceſſaria, perfectâ ſcilicet Charitate; non quaſi deſides, frigidoſque hujus religioſiſſimæ Diœceſis Sacerdotes inflammaturus, ſed [quoniam novum non eſt eos, qui in ſtadio currunt, otioſis incitatoribus velociores eſſe] ſtimulos currentibus additurus.

Meminiſtis, ni fallor, Auditores, tam in ea ætate, quæ ſcriptam Legem anteceſſit, quàm in ea, quæ certis legibus continebatur, Sacerdotes ſummâ rerum poteſtate præditos fuiſſe, adeo ut in Sacris Litteris non rarò Reges, & Prin-

cipes

cipes non alio, quàm Sacerdotis, nomine nuncupentur, & Sacerdotibus ipſis, utpote Regibus, quoddam tributi genus ex veteri inſtituto pendatur. Sed illud in primis memorandum Sacerdotalem Dignitatem, atque adeo Sacras ceremonias, cœleſtemque religionem tanti Summos Reges feciſſe, ut eam non ſolum appetere, veluti pro faſtigio Regalis Excellentiæ, verum etiam attrectare, & Sacris ſe inferre aliquando veriti non ſint. Teſtis mihi præ cæteris ſit Ozias, (*a*) qui, multis clarus victoriis, cum famam nominis ſui longè, latèque protuliſſet, in ſuperbiam elatus, Sanctuarium per nefas ingreſſus eſt, ut adoleret incenſum, ratus videlicet Sacerdotale Munus Regiis belli, paciſque laudibus anteponendum. Sed quæ tunc poteſtas Sacerdotibus? Nullam profectò dixerim, ſi cum ea conferatur, qua quidquid remittimus, aut retinemus in terris, Deo noſtris dictis, factiſque obſequente, remittitur, aut retinetur in Cœlis; qua Deum ipſum e Cœlo quotidie conceptis verbis evocamus in terras, & infinitam Majeſtatem anguſtiſſimo gyro concludimus, & obliteratâ veterum multiplicitate ſignorum, quod ab initio Creaturæ præfigurabatur, unâ Corporis, & Sanguinis Chriſti oblatione perficimus. Obverſetur identidem animo Dignitas, quam ſuſtinemus, & quemadmodum Reges à Tyrannis nullâ re propemodum (ac ne propemodum quidem) niſi clementiâ, & charitate diſtant, ita nobis, qui in commune commodum vitam inſtituere jubemur, per quos ſcilicet omnis populus à Deo benedictionem expectat, nihil potius eſſe debet, quàm eam virtutem omni contentione perſequi, quæ nos à Mercenarijs, ad quos de ovibus non pertinet, maximè diſcrepantes efficiat. Sed ibi perfecta Charitas, ubi nulla cupiditas; & non ſecus ac Luna, terrâ intercedente, deficiat neceſſe eſt, ita nos, qui ad depellendam noctem ſeculi,

& propulſanda caliginoſa diſcrimina, ſupra candelabrum Eccleſiæ poſiti, debemus populo præfulgere, niſi germina terrenarum cupiditatum ſubinde renaſcentium, & corda noſtra undequaque obumbrantium reſecentur, & quantum fieri poteſt, evellantur, lumine illo Charitatis, quod à Patre luminum deſcendit, deſtitutos, ne procella tenebrarum in æternum maneat, verendum eſt. (*b*) Huc ſtudia noſtra, huc conatus omnes intendendi, ut peſtes iſtæ animorum diſſipentur, diſperdantur, eradicentur. Si morum puritas, ſi templorum nitor, ſi ſacræ ſuppellectilis munditiies, ſi frequens populi concio, ſi recta Sacramentorum adminiſtratio nos tangit, & afficit, evacuemus animum, & tunc, Chriſto Auctore, qui verus eſt Eliſeus, vaſa, (*c*) quæ vacua fuerint, oleo replebuntur perfectiſſimæ Charitatis. Nam quæ participatio Juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quis autem conſenſus Templo Dei cum Idolis?(*d*) Illi terrena ſapiant, qui Cœleſtia promiſſa non habent; illi cupiditatibus diſtrahantur, & curis ſecularibus implicentur, qui æterna neſciunt; illi ſerviant vitiis, qui non ſperant futura præmia virtutum. Nos verò, qui Reges in Chriſto nominamur, & ſumus, plebejas affectiones ſupergrediamur, & carnem noſtram crucifigamus cum vitiis, & concupiſcentiis. Cogitemus, Auditores, atque identidem revolvamus, terram hanc, quam peregrinantes incolimus, menſam eſſe quamdam, eo ciborum genere inſtructam, qui oculos famelicâ potius vanitate detineant, quàm vires reficiant; & quemadmodum impotens, ac planè vecors haberetur, qui, primis ferculis affuſus, ſe ſe illis ingurgitaret, nihili pendens, quæ mox inferenda eſſent; ita voluptatibus, aut divitiis comparandis inhiantes, dum ſe mox, diſcuſſâ caligine, æterno veritatis pabulo paſcendos, & torrente voluptatis inebriandos, aut vix, aut nullo pacto cogitant, rebus hiſce

peri-

perituris affixi, & mirum in modum prægravati, nec famem depellunt, nec cœnæ illi magnæ, quam Cœleſtis Paterfamilias inſtruxit, accùmbere permittuntur; juſtiſſimo nempe judicio, ut minora majoribus, & ſummis infima bona anteponentes, in pœnam ſtultæ cupiditatis omni careant, ſummo ſimul, atque infimo bono; & illa juſtè non accepturi, quæ non expetiverunt, & iſtis meritò non ſaturandi, quorum amore noxio potiora neglexerint. Noluit Daniel pollui de menſa Regis, & poſt decem dies apparuit vultus ejus melior, & corpulentior præ omnibus pueris, qui veſcebantur cibo Regio. (*e*). Quis non libenter (quando id, quod per ambages appetitur, conſequi hîc nullo modo poſſumus) interdictis ſibi ad momentum leviſſimis appetitionibus, vera, & æterna gaudia non perſequatur? An uſque adeo præſentium faſcino decipimur, ut, dum ſuavitatibus earum rerum, quæ nobis, aut invitis, aut non intelligentibus, quotidiè elabuntur, carere metuimus, nec præſentium, nec futurorum bono, vulgaribus affectionibus mancipati, perfruamur? Negarem profectò (& bonitati cauſſæ confiſus evincerem) aliquem fuiſſe unquam inſanientis Sapientiæ Magiſtrum tam delirum, & obcæcatum, qui hanc pravarum affectionum vacuitatem buccis crepantibus non ventilarit, & ad felicitatem in primis neceſſariam non aſtruxerit, niſi me locus iſte, & conſpectus veſter, Auditores, & Regalis amplitudo veſtra, Sacerdotes, gaudium, & corona Præſulis præſtantiſſimi, meritò deterreret, quando mihi ad Altare Domini igne extraneo uti non datur, nec vobis legem univerſam, niſi ex Charitate, ſervare. (*f*). Nego igitur aliquem noxiis cupiditatibus implicatum, ſuis contentum, aliena non appetere, aliorum commodis gaudere, ad Deum omnia referre, eíque gratias agere, perpetuâ mentis tranquillitate perfrui, præpoſitis obedire, nemini denique inju-

 riam

riam neque re, neque verbis inferre, cum ſtirps, ac ſemen malorum omnium ſit prava concupiſcentia, & nemo, ut inquit Auguſtinus, ipſum peccare appetat propter hoc ipſum, ſed propter illud, quod ex eo conſequitur. Abſtineamus ergo à carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam, non ſolum, tamquam advenæ, & peregrini, pauca jam requirentes, vel quod non longè abeſſe poteſt Patria illa, ad quam provehimur fluxu temporis concitato, vel quod miſerrimum planè ſit, ea cum labore quærere, quæ, etſi adipiſcamur, aut faſtidientes ſubinde deſpicimus, aut anxiâ ſollicitudine ſervare cupientes, amittimus cum dolore; ſed multo etiam magis, ut eos decet, quibus ab Apoſtolo dicitur: *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* (*g*). Felix omnino mors, qua, proſperis æquè, & adverſis obfirmati, & non ſecus ac Arca Noë, quæ bitumine linita erat intrinſecus, & extrinſecus, rerum humanarum fluctibus non immerſabiles modo, ſed quantum fieri poteſt, impermeabiles, ſedatis perturbationibus, ab admiratione rerum inanium ad veræ, ſolidæque felicitatis portum traducimur. Clementiſſimus ſiquidem Deus, ut nos ex omni parte beatos efficeret, non ſolum illud providit, ut nos, noſtráque omnia reliquorum præceptorum veluti munimento circumvallaret, ſed, inhibitâ concupiſcentiâ, quaſi indicto tumultuantibus civibus ſilentio, retuſis videlicet, hujuſmodi legis vi, cupiditatum aculeis, quibus integris ad pernicioſa quæque multò vehementiùs incitaremur, aſſiduis punctionibus conficiendi, mirum dictu eſt, quàm opportunè, moleſtiâ illâ expeditos, in veram libertatem, tranquillitatemque vindicarit. Nam quis euripus, quæ navis diſcordibus acta ventis, quæ membrorum diſtractio, ac dilaceratio mitior, & tolerabilior non ſit animo cupiditatibus agitato? Veteres quidem atrocius nihil invenerunt, cum de

pœnis

pœnis apud Inferos exigendis cogitârunt. Sed demus liquidò conſtare earum rerum, quæ temporis volubilitate proteruntur, jucundam vel maximè cupiditatem, poſſeſſionem verò diuturnam, & conducibilem eſſe, an idcircò qui Chriſtianæ Fidei veritate nitatur, ullatenus commovebitur, ſive quod, cum *Melior ſit dies una in atriis Domini ſuper millia*, (*h*) illecebris rerum terrenarum non implicabilis, ſanctâ Cœlum petat ambitione, ſive quod meritò vereatur, ne, quemadmodum ægrotantibus, de quorum ſalute actum ſit, indulgetur à Medicis ciborum omne genus, ita ſibi, quod æternæ mortis ſupplicio ſit afficiendus, peritura bona ſuppeditentur ad voluntatem, teſtimonio præſertim Davidis, & Pauli commonitus, quorum alter bono ſibi fuiſſe ait, quòd à Deo depreſſus, caſtigatuſque ſit, alter, cum nonniſi in Cruce Domini gloriaretur, inſtar unguenti, quod, dum atteritur, aut perfricatur, olet ſuavius, gaudio ſuperabundare ſe dixit in omni tribulatione; ſi, rebus, inquam, ita ſe habentibus nullus omninò commoveri deberet, quantò minus tentari, & abduci terrenis appetitionibus eos convenit, quorum pars, & hæreditas Deo minor non eſt, & cum planè conſtet ſpinis, tribuliſque conſertas eſſe cupiditates, & nos penitus ignorare quid nobis utile futurum ſit numero dierum peregrinationis noſtræ, & tempore, quod, velut umbra, præterit, (*i*) illudque tantum clarè, dilucidèque perſpicere uſuram rerum appetitarum diuturnam eſſe non poſſe. Sed quorſum hæc, Auditores? Prope eſſet, ut me pigeret, tamdiù in hac parte immoratum, ſi mihi, de Chriſtiana, perfectaque Charitate, dicenti aliud orationis genus ingredi licuiſſet; quantò enim magis, inquit Auguſtinus, regnum cupiditatis deſtruitur, tantò Charitatis augetur, ut ager incultus, qui malarum ſtirpium exuſtione provocatur ad frugiferam ubertatem. Arefactum ſanè, & exiccatam ma-

materiam, ad conjectam ſcintillam ignem concipere quid vetat? Reges verò, ſuis cupiditatibus expediti, quidnî legem perficiant (*k*) regalem? Amat nos Deus, &, quemadmodum Aſſuerus (ſi humanis Divina licet componere) inſtructo convivio centum, & octoginta dierum, ut dignum erat illius Regis magnificentiâ, qui regnavit ab India uſque ad Æthiopiam ſuper centum viginti ſeptem Provincias, ſubjectos ſibi Principes, & Pueros excepit lectulis aureis, atque argenteis, ſuper pavimentum ſmaragdino, & Pario ſtratum lapide, pendentibus ex omni parte tentoriis, ſuſtentatis funibus byſſinis, atque purpureis, inter hortorum, & nemorum, regio cultu, & manu conſitorum, amœnitatem: ita nos, etſi filii iræ, & cruciatibus ſempiternæ mortis addicti, Mundum quaſi carcerem ingredimur, vix tamen oculos in Cœlum tollere, aut terram poſſumus intueri, quin ſtatim dicere compellamur; Magnus Dominus, & laudabilis nimis, qui coronat nos in miſericordia, & miſerationibus. Dicat alius ſubjectas homini pecudes, conſitos frugibus, & arboribus campos, aquarum perennitates rivis manantibus defluentes, maria omnia utilitatibus, vel oblectationibus hominum pervia: dicat Cœlorum immenſitatem, & multiplices innumerabilium ſtellarum ſine ulla erratione decurrentium choreas: dicat dierum, & noctium viciſſitudinem, incrementa, & deceſſiones, & lucis illius admirabilitatem, cujus beneficio rebus omnibus, & color redit, & vita; grandia quidem hæc, & quæ, conſono ſpeciei ſuæ, ordinationiſque concentu, proteſtantur Gloriam Dei, & prædicatione perpetuâ Majeſtatem ſui loquuntur Auctoris. At, ſi cum his, quæ præcipuè Regis Aſſueri convivio deſignari credendum eſt, conferantur, exilia ſanè, & minuta, qualia nempe digitorum opera eſſe conſueverunt, facilè deprehenduntur. (*l*) Tunc ego dexteram Domini magnificatam

in for-

in fortitudine dixerim, & divitias gloriæ Regni ejus, & amoris erga nos quodammodo effuſas, cum Verbum, Caro factum, ne ullo unquam tempore à nobis abeſſet, &, ut nos Divinitatis ſuæ participes efficeremur, inexplicabili conſilio, quod omnem naturæ ordinem, & conditionem ſuperat, ſemetipſum nobis manducandum obtulit ſub panis, & vini ſpecie occultatum. O magnum Pietatis Sacramentum! Quis ſuper tanta miſericordiæ viſcera non obſtupeſcat? Qui Cœlum poſuit tabernaculum Soli, ille nunc myſterii velamine tegitur, & continetur: qui emittit ſpiritum, & renovat faciem terræ, vocavit Stellas, & dixerunt: adſumus: (*m*) paret voci hominis, & in manibus noſtris, velut in Utero Virginis, incarnatur; fit cibus animæ, qui dat eſcam omni carni, & implet omne animal benedictione. Veteris cujuſdam meritò celebratur effatum: ſolum Deum eſſe ſapientem; quod ille de Divina Sapientia, tamquam ſpiritu aliquo inſtinctus, divinando præſenſit, id nos, Veritatis oraculo confirmatos, de Divina Bonitate ſentire æquum eſt, utinam animo comprehenſuros, tunc quidem, non tam admirationis, quàm amoris vi rapiendos, expendentes eum, qui facit mirabilia magna ſolus, ſolum quoque bonum eſſe. (*n*) Vincitur omnis cogitatio rei magnitudine; (*o*) ſentiamus tamen nobis bonum eſſe, quòd vincimur, & ſi quando nobis ex terrena corporis fragilitate viluerimus, ex alimento noſtro nos æſtimemus, nec contemnendum arbitremur aliquem ex his puſillis, quos Jeſus Chriſtus non aliis tradit nutricibus, ſed ſuæ replet ab ubere conſolationis, & paſcit pharmaco immortalitatis. Veteri lege cautum eſt, (*p*) ut ſiquis vidiſſet bovem fratris ſui, aut ovem errantem, non præteriret, ſed reduceret fratri ſuo. Quem non pudeat his hominibus, quos Chriſtus Dominus ſibi coæquare dignatur, ab errore liberandis, & ad eum deducendis tantum ſolli-

ſollicitudinis non impendere, quantum brutis animantibus Judæi præſtare tenebantur? ſed quid opus eſt aliunde incitamenta virtutis accerſere, cum quotidiano uſu compertum ſit, cuſtodes pecudum, proventus cupiditate percitos, frigus, & æſtum perferre: Mercatores, ſordidi quæſtus cauſſa, terras, & maria obeuntes, non ventos, non procellas, non prædones, aut piratas reformidare: Milites, inanis gloriolæ ſpecie, aut ſpoliorum cupidine incenſos, patriâ, domo, uxore, parentibus, liberis relictis, laceſſere hoſtes, vallum irrumpere, infinitis laboribus, ac periculis vitam, & corpus objectare. An qui res amant leviſſimas, adeo alacriter adnitentur, ut nihil tanti putent, dummodo potiantur optatis, nos verò, quibus & ſpes æternæ retributionis luculentius affulget, & ſollicitudo omnium longè graviſſima demandatur, parcendum laboribus, parcendum vigilijs, parcendum periculis exiſtimabimus. Imò verò, niſi mea me de vobis jamdiu concepta fallit opinio ſuſceptum, olim propoſitum non urgebitis modo, ſed [quandoquidem amori nihil eſt difficile, nihil impervium] Antiſtitem noſtrum, quaſi canonem modis omnibus abſolutiſſimum intuentes, ſanctiſſimorum munerum, & laborum perfunctione non intermiſsâ, declarabitis, non ad otium, & quietem invitatos vos eſſe, ſed, ad alia ex aliis aſſiduè ſuſcipienda incitatos, à claritate in claritatem transformandos. (*q*) Sed, quoniam exempla virtutum præſtantiſſimarum in oculos plerumque non incurrunt, vel corruptis moribus multitudinis labefactantur, ut omnis erroris occaſio præcidatur, lex intervenit, mutus judex, & expoſitus componendis opinionum, & controverſiarum tumultibus inſtitutus. Hunc conſulamus, huic ex animo pareamus; ſi enim qui poteſtatibus ſublimioribus reſiſtunt, Dei ordinationi reſiſtunt, legibus, quæ à poteſtate ſunt, (*r*) ſubiiciamur, ut verè

Re-

Reges, & liberi, ſupra Mundum ſtare poſſimus. At ſi legem non implet niſi Charitas, quis dabit nobis pennas, ſicut columbæ, niſi Amor, cujus beneficio legibus ipſis, tamquam alis, evecti, dubium ſit, feramurne magis, an feramus, & ut Reges, ornemur potius diademate, quàm prægravemur. Non ſic aquæ, petram Moyſe percutiente, fluxerunt, ut non ocyus, ſpiritu Dei flante, cordis noſtri glacies omnis eliquetur, abeuntibus in ſicco fluminibus; (*ſ*) & ut ſegetes in Ægypto ubertim provenire dicuntur, cum altè Nilus effunditur; ſic, adauctâ Charitate, adaugentur & reliquæ virtutes; non enim fruſtra Divus Auguſtinus affirmavit inchoatam Charitatem inchoatam eſſe Juſtitiam, perfectam Charitatem, perfectam eſſe Juſtitiam. Quin imò credendum eſt Charitate reſpublicas optimè contineri poſſe, & ſi homines verè amici ſint, Juſtitiæ adminiculis opus non eſſe; &, quemadmodum lineæ, quo minus inter ſe diſtant, eò magis in centrum coëunt; ita homines, niſi cupiditate intercedente disjungantur, Deo, & ſibi invicem copulari dubitandum non eſt. Verùm, quia corda noſtra prona ſunt ab adoleſcentia in malum, & de mundano pulvere etiam quæ ſunt religioſa ſordeſcunt, leges univerſas nobis ob oculos, tàmquam ſpeculum, proponamus, in quo mentis noſtræ maculas intueamur, quæ ut penitus eluantur, ea, qua par eſt, animi ſubmiſſione à Deo poſtulemus, ut, quemadmodum nos in Reges, & Sacerdotes inungere dignatus eſt, (*t*) ita quæ ad eam dignitatem pertinent retinendam, leges videlicet ipſas, inſcribat cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. (*u*).

(a) 2. *Paralip.* 26., (b) *Jud.*, (c) 4. *Reg.* 4., (d) 2. *Cor.* 6., (e) *Dan.* 1., (f) *Levit.* 10., (g) 3. *Coloſ.* 3., (h) *Pſal.* 83., (i) *Eccl.* 7., (k) *Jacob.* 2., (l) *Pſal.* 8., (m) *Baruc.* 3., (n) *Pſal.* 135., (o) *Luc.* 18., (p) *Deut.* 22., (q) 2. *Cor.* 3., (r) *Rom.* 13., (ſ) *Pſal.* 104., (t) *Jerem.* 31., (u) *Rom.* 5.

IN

IN NOMINE SANCTISSIMÆ, ET INDIVIDUÆ TRINITATIS PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI.

Amen.

NOS Thomas Bonaventura ex Comitibus Gherardeſchæ, Dei, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Gratiâ Archiepiſcopus Florentinus, ad Dei Omnipotentis, Beatiſſimæ Virginis Deiparæ, Sanctorum Joannis Baptiſtæ Patroni, & Zenobii, & Antonini Antiſtitum Tutelarium honorem, & laudem, in hac prima noſtra Diœceſana Synodo infraſcriptas Conſtitutiones edimus, atque ſancimus, ad confirmandam, & augendam Eccleſiaſticam, Chriſtianamque morum diſciplinam, quà Gregem noſtræ curæ commiſſum in dies magis, magiſque progredi, & ad virtutis culmen pergere flagrantiſſimè cupimus.

CON-

Digitized by Google

CONSTITUTIONES SYNODALES

TITULUS PRIMUS.

DE FIDE, ET IIS, QUÆ AD EAM TUENDAM, ET PROPAGANDAM PERTINENT.

CAtholicam Fidem, contrà quam Portæ Inferi non prævalebunt (*a*), tamquam ſolidiſſimum Synodalis huius Ædificij, necnon Chriſtianæ profeſſionis, & vitæ fundamentum, in ipſo primo Noſtrarum Conſtitutionum limine, tuendam proponimus, & propagandam.

(a) *Math.* 16.

CAPUT PRIMUM.

DE FIDEI CONSTANTIA, ET PURITATE.

1. SÆvienti communis hoſtis ferociæ fortiter in fide reſiſtendum monet Princeps Apoſtolorum (*a*). Ab omnibus propterea, quos Paſtor Æterni Gregis curæ noſtræ Paſtorali commiſit, geminam Fidei teſtificationem requirimus; & quæ vocis obedientis obſequio promittitur, & quæ bonorum operum exhibitione confirmatur.

2. Omnes igitur, quotquot Paſtoralis noſtra ſollicitudo complectitur, orthodoxam Fidem, quàm ſibi, ipſis Eccleſiæ naſcentis exordiis, à Principis Apoſtolorum Diſcipulis noſtri accepere majores, ad extremum uſque vitæ ſpiritum intactam omninò retineant, ac tueantur; nec Infidelium, aut Hæreticorum colloquiis, aut conſuetudine, à quibus, veluti à peſtifero Animarum contagio, abhorrere Catholicos diſtrictè præcipimus, contaminari umquam, vel corrumpi patiantur. Hinc Parochi omnes diligenter inquirant, an intrà fines eorum Parœciæ aliquis hæreticâ pravitate pollutus, vel ſuſpectus, vel quovis modo de Catholica Fide malè ſentiens, reperiatur; eumque, ſi repererint, ne aliæ Chriſti Sanguine redemptæ, ſibique commiſſæ Oves ullo modo inficiantur, ſtatim ad noſtrum, ſeù Sacræ Inquiſi-

tionis

tionis Tribunal deferant; (*b*) Populumque moneant de ſtrictâ obligatione id genus hominum denunciandi, necnon de diro anathemate, quo feriuntur, ſi deſides in eâ fuerint adimplendâ, memores tàm ipſi Parochi, quàm ceteri Confeſſarii beneficium abſolutionis nemini poſſe impendi, qui eos renuerit denunciare.

3. Nullus etiam Fidelium, præſertim Laicus, & imperitus, cum præſentiſſimo propriæ, vel alienæ perverſionis diſcrimine, facto Populi concurſu, de Fide quæſtiones ullas excitare præſumat, congruas Juris, & arbitrij noſtri pœnas daturus, ſi ſecus temerè attentare præſumpſerit (*c*).

4. Ipſi etiam Divini Verbi Præcones, cum è ſuggeſtu Fidei noſtræ Dogmata ſtabilire, vel errores Hæreticorum profligare contigerit, in afferendis damnatæ Sententiæ fundamentis cautè ſe gerant, memores, quod ſapientibus, & inſipientibus debitores ſunt [*d*]; ne fortè imperitis, contrariorum argumentorum veneno infectis, antidotum autem reſponſionis non benè ſumentibus, utrique in periculum adducantur; hæſitationis Auditores, Concionatores præpoſteræ prædicationis.

(a) *Epiſt.* 1. *cap.* 9. *n.* 9., (b) *Innoc. IV. Conſtit.* 18. *noverint edita* 15. *Julii* 1254., (c) *Synod. Diœc. Flor.* 1508. *lib.* 1. *de Summ. Trinit.*, (d) *Paul. ad Roman.* 1. *v.* 14.

CAPUT II.

DE FIDEI PROFESSIONE.

1. UT plenè juſtificemur ex Fide Chriſti, quam demiſſo corde retinendam ſtatuimus, eamdem nunc firmâ voce proferendam præcipimus. Quicumque itaque ex Summorum Pontificum, & Sacroſancti Concilii Tridentini Decretis [*a*] ad explicitam Fidei profeſſionem publicè emittendam tenentur, eam omninò intrà ſtatutum tempus, & ſub pœnis contrà inobedientes a Sacris Canonibus, & à Pontificijs Conſtitutionibus decretis, aliiſque arbitrio noſtro decernendis emittant in manibus noſtris, vel alterius Superioris, ad quem de jure, vel conſuetudine, profeſſionis huiuſmodi receptio ſpectat, ſervatâ formula à Sanctæ Mem. Pio PP. IV. conſtitutâ, quæ per extenſum habetur in Additionibus ad hanc noſtram Synodum hoc Capite.

2. Ad hanc Fidei Profeſſionem in manibus noſtris, vel Vicarii Noſtri Generalis, coram Notario, & duobus ſaltem Teſtibus, publicè emittendam obſtrictos fore declaramus omnes in Eccleſia noſtrâ Metro-

tropolitanâ Dignitates, & Canonicatus obtinentes; necnon ad Beneficia quæcumque curam Animarum habentia promotos, intra duos ſaltem menſes à die captæ poſſeſſionis; eamque iterandam decernimus à Dignitatibus, & Canonicis ſupradictis, in Capitulo legitimè congregato, in manu Præſidentis; Inobedientes fructus non facere ſuos noverint, nec ſibi poſſeſſionem ſuffragari (*b*).

3. Qui literas, vel Artes liberales docent (*c*); omneſque huiuſcemodi Tyrociniis, vel educationi quomodocumque, & ubicumque præpoſiti, cuiuſcumque ſtatus, conditionis, & dignitatis exiſtant, niſi aliàs hanc Fidei profeſſionem emiſiſſe docuerint, ad Nos infra menſem, ſi in Civitate morentur, ſi verò in Diœceſi infra duos menſes accedant, & coram Nobis, vel Vicario noſtro Generali, Fidei Catholicæ, ad normam Conſtitutionis Pii IV., publicum teſtimonium reddant, ſub pœnis in eadem Conſtitutione præfinitis, aliiſque arbitrio noſtro reſervatis [*d*].

4. Ad Sacras etiam Conciones habendas electi, Fidei profeſsionem, ſi nunquam aliàs emiſerint, in manibus noſtris, vel Vicarii noſtri Generalis, vel de licentiâ noſtrâ, ſi Regulares fuerint, in manibus Superiorum proprii Ordinis, ante ſuſceptum prædicationis officium, emittant (*e*).

5. Armeni, ſi qui intra Diœceſim adveniant, niſi à proprio, vel ſaltem ab alio Catholicæ Communionis Epiſcopo, Literas commendatitias Nobis exhibendas attulerint, Catholicam Fidem, ut ſupra, profiteantur in manibus Vicarii noſtri Generalis, vel Officialium S. Officii, à quibus publicum ſic emiſſæ Profeſſionis teſtimonium recipiant, ſine quo ad Eccleſiaſtica Sacramenta nullatenus admittantur [*f*].

6. Ut autem ſupradicta omnia exoptatum firmitatis robur faciliùs, & perenniùs obtineant, Cancellariis noſtræ Curiæ præcipimus, & mandamus, ut Librum peculiarem retineant, in quo dies, Menſis, Annus, & Titulus receptæ coram Nobis, ſeù Vicario noſtro Generali, profeſſionis Fidei; Nomen item, Cognomen, Patria, & profitentis, necnon Teſtium, Nomina diſtinctè ad perpetuam rei memoriam deſcribantur (*g*).

(a) *Conſtit.* 88. *Pij IV. In Sacroſancta edit. anno* 1564., *&* *Conſtit.* 89. *Iniunctum nobis eodem anno. Concilium Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *de Reformat. & ſeſſ.* 25. *cap.* 2. *pariter de Reformat. Synod. Florent.* 1645. *cap.* 3. §. 1. *de Fid. profeſſ.*, *& Synod.* 1691. *de ſpect. ad fid. cap.* 1., (b) *Conſtit. Pij IV. de qua ſupra, Synod. Diœceſ. Flor.* 1569. *de Fid. profeſſ.* § *Eamdem fol.* 9., *Synod. Provinc. Florent.* 1573. *hoc tit. cap.* 13., *Synod. Diœceſ. Florent.* 1678. *tit.* 1., (c) *Ubi proximè*

ſupra,

ſupra, (d) *Synod. Diœceſ. Florent.* 1691. *cit. cap.* 1. *num.* 2. *&* 3., (e) *Synod. Diœceſ. Flor.* 1619. *tit.* 1. *cap.* 4. §. 5., *Synod. Flor. Diœceſ.* 1645. *tit.* 1. *cap.* 5. §. 2., *Concil. Mediolan.* 5. *par.* 1. *tit. quæ ad fidei tuendæ*, (f) *Synod. Diœceſ. Flor.* 1681. *de profeſſ. Fid. tit.* 1. §. 2., (g) *Synod. Provinc. Flor.* 1573. *de profeſſ. Fid. cap.* 14, *& Synod. Diœceſ. Flor.* 1569. *fol.* 9 10.

CAPUT III.

DE CATHECUMENIS, ET NEOPHYTIS.

1. POſcit amplificandæ, propagandæque Fidei ſtudium, omnibus quidem, ſed præcipuè Epiſcopis, pro Apoſtolico eorum munere, à Chriſto Domino commendatum, ut novos ex infidelitate Fideles ad Gregem Dominicum properantes amplectamur, inſtruamus, defendamus, & pro iis in Fide confirmandis, erudiendis, ac tutandis, de auxiliis omnibus, ac remediis ſalubriter provideamus opportunis.

2. Piam igitur Domum pro Cathecumenis hoſpitandis, & in Chriſti Lege erudiendis, in hac Civitate ſub auſpiciis Sereniſſimorum Principum iampridem erectam, & à propriis Deputatis providè, ac laudabiliter gubernatam, pro virili parte tutari, & amplificare cura noſtra eſt, & onus; quapropter omnes Chriſtifideles hortamur, ut cœcas Infidelium Animas, Divino Sanguinis pretio redemptas, ſed tamen in tenebris, & in umbra mortis ſedentes, (*a*) ad Fidei lumen revocent, humanæ redemptionis cooperatores effecti; non quidem inſtruendo, ac prædicando, quod peculiare munus eſt Sacerdotum, ſed liberali Eleemoſynarum collatione, quibus, & modicæ Domus anguſtiæ dilatentur, & Miniſtrorum numerus augeatur, & Cathecumenorum indigentium provideatur alimentis.

3. Tàm eximio Chriſtianæ pietatis operi, & Cathecumenorum cuſtodiæ in dicta Domo Præfectos admonemus, ut proprias Conſtitutiones, à claræ memoriæ Petro Niccolino Prædeceſſore noſtro (*b*) in limine fundationis editas, & approbatas, inviolabiliter ſervent; Mares item à fœminis, pueros ab adultis, cubiculorum, & menſarum diſtinctione diſpeſcant; nec niſi cum probatiſſimis ex noſtrâ Religione Viris, ac Mulieribus (ipſis tamen Cuſtodibus, aut Deputatis, vel altero eorum, ſemper aſſiſtentibus) eoſdem agere, & converſari permittant; multoque minus cum ullo, quantumvis arctâ ſanguinis neceſſitudine conjuncto, ex illâ ſectâ, quam ipſi abjurare, vocante Deo, propoſuerunt; quin etiam munuſcula, epiſtolas, nuncios, omnes deni-

denique cum Infidelibus congreſſus, commerciumque, quocumque jactatæ converſionis prætextu rejecto, novellis Eccleſiæ germinibus penitus interdicant. Primis illos Fidei rudimentis erudiant, pravos ex infidelitate mores, ſi quibus inquinantur, ſuaviter detergant, ejurandæ ſectæ ſuperſtitiones eliminent, Chriſtianas virtutes, humilitatem præcipuè, charitatemque, proprio potiſſimum exemplo præeuntes, inſtillent, facti forma Gregis ex animo (*c*).

4. Si fortè, qui ex Patre Diabolo ſunt (*d*), infideles, vel etiam infidelibus ipſis nequiores (quod flentes dicimus, nec tamen credimus) Chriſtiani ulli, inimici Crucis Chriſti, (*e*) circumeuntes mare, & aridam, (*f*) ut faciant unum Proſelytum, Vineam hanc Domini Sabaoth ſepe circumdatam irrumperent [*g*], & quos liberavit Dominus à ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei (*h*), eoſdem, aut verbis, aut ſcriptis, aut nutibus, vel metu minarum, vel præmiorum illecebra, per ſe, vel per alium, quomodocumque, & qualitercumque conarentur à ſancto ejurandi erroris propoſito revocare; ultra pœnas à Sacris Canonibus inflictas, & à Summis Pontificibus, à Gregorio præſertim XIII. irrogatas (*i*), mulctâ pecuniaria ſcutorum vigintiquinque, quorum una quarta pars denuncianti publico, vel ſecreto, reliquæ tres partes Piæ Cathecumenorum Domui applicentur, puniendos eſſe decernimus.

5. Inſuper Synodalia Decreta Eminentiſſimi Prædeceſsoris Jacobi Cardinalis Morigiæ innovantes, committimus, & mandamus, Superiori, ſeu Præſidenti Congregationis Presbyterorum S. Salvatoris, ut, juxtà laudabile eorum inſtitutum, & pro ardentiſſimo, quo flagrant Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ac Divini honoris zelo, ipſemet Superior, vel alij dictæ Congregationis Sacerdotes ab eo deputandi, eoſdem Cathecumenos, & in fidei amplectendę deſiderio confirment, & ſolerter edoceant, quæ, tàm de neceſſitate medij, quàm de neceſſitate præcepti, eos, novum hominem indutos, (*k*) addiſcere oportet; ne in vacuum gratiam Dei (*l*) recipiant, ſed, quemadmodum filij, ita & hæredes fiant, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti (*m*).

6. Ita eruditos, non niſi prævio examine, per alterum ex infra deputatis, de ſpeciali noſtrâ commiſſione, ſeu Vicarij noſtri Generalis, habendo, & obtenta in ſcriptis facultate, ad Baptiſmi Sacramentum admitti volumus, & mandamus.

7. Lavacro regenerationis ablutos, & Neophytis adſcriptos, ab omni prorſus colloquio, familiaritate, commercio, & communicatione cum veteris eorum inſtituti ſectatoribus alienos eſſe diſtrictè præcipimus, ſub pœnis ab Apoſtolicâ Sede conſtitutis, & alijs pecu-

 niarijs

niarijs infra decernendis, niſi, diutinâ, eâque laudabili inter Chriſtianos converſatione probati, iuſtiſque exigentibus cauſſis, hujuſmodi prohibitionis remiſſionem in ſcriptis à Nobis, ſub certis conditionibus, omnimodè implendis, impetraverint.

8. A' loco etiam recepti Sacramenti ſine noſtra Licentiâ in ſcriptis obtinendâ diſcedere neutiquam permittimus. Quicumque verò contrà hanc noſtràm ſanctionem deliquerint, ultrà pœnas à jure irrogatas, etiam pœnâ pecuniariâ, pro arbitrio noſtro, & pro modo culpæ taxandâ, necnon inter denunciantem, & Piam Domum Cathecumenorum, ut ſuprà, dividenda, plectentur.

9. Neophytos à Sacris Ordinibus ſuo tempore ſuſcipiendis non arcemus. Ne tamen, in ſuperbiam elati, in judicium incidant Diaboli (*n*), diuturnam decennij, vel etiam breviorem [ſi, ſpecialibus eorum exigentibus meritis, à Sede Apoſtolica, vel à Nobis diſpenſari meruerint] morum, & doctrinæ probationem, præcipuè pro aſſumendis ad clavium, & Prædicationis munus, omninò requirimus.

10. Ceterum omnes, qui tàm grave propagandæ fidei negotium negligenter adimpleverint, pœnas à Nobis, culpæ, & qualitati delinquentium commenſuratas, utique infligendas, nullatenus evitare poſſe indicimus.

(a) *Luc. cap.* 1. *v.* 79., (b) *Synod. Florent.* 1637. *tit.* 25. §. 12., (c) 1. *Petri cap.* 5. *v.* 3., (d) *Joan.* 8. *v.* 44., (e) *Paul. ad Philip.* c. 3. *v.* 18., (f) *Math.* 23. *v.* 15., (g) *Math.* 21. *v.* 33., (h) *Paul. ad Roman. cap.* 8. *v.* 22., (i) *Conſtit.* 70. *Antiqua Judæor. Greg. XIII. anni* 1581., (k) *Paul. ad Epheſ. c.* 4. *v.* 24., (l) *Paul. ad Corinth. c.* 6. *v.* 1., (m) *Paul. ad Roman. c.* 8. *v.* 17., (n) *Paul.* 1. *ad Timoth. c.* 3. *v.* 6.

CAPITE IV.

DE MIRACULIS.

1. CUm præſentium temporum, vel ignorantiâ, vel avaritiâ, vel ambitione, credulis Populis frequenter nova Miracula proponantur, quæ inter vera minimè recenſeri merentur; cumque ex improbo hoc commentitiorum prodigiorum rumore nihil amplius authoritatis fides noſtra apud rectè ſentientes acquirat, eorum autem, qui non benè ſentiunt, exponatur irriſioni; idcircò, Concilii Tridentini ſanctionibus innitentes (*a*), & Provincialis Florentinæ Synodi Conſtitutionem renovantes, præcipimus, ut nullus, cuiuſcumque gradus, ſeu conditionis exiſtat, Populorum concurſus, & accla-

clamationes, occaſione novorum Miraculorum, admittat, donec rei veritas per Nos, Theologis, aliiſque piis, ac peritis Viris, deſuper conſultis, comperiatur, & approbetur. Quod ſi quis contrà prædicta aliquid auſu temerario attentare præſumpſerit, Excommunicatione ligetur.

2. Parochi interea, intrà quorum Parochias rumores excitantur huiuſmodi, eorumdem Nos ſtatim, totâ facti ſerie, prout narratur, expoſitâ, commoneant; & ne interim cum tumultu Populorum invaleſcant, omnimodè obſiſtant; ſegregantes etiam, ſi opus fuerit, & quatenus commodè fieri poſſit, perſonam, vel locum occludentes, unde famam Miraculorum vulgus accepit.

(a) *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *de Invocat. Ven. & Reliq. Sanctorum, &c. Synod. Provinc. Florent.* 1573. *Rubr.* 6. *Cap. unic. Synod. Diœceſ. Flor.* 1619. *Tit.* 1. *Cap.* 6. *Synod. Diœceſ. Flor.* 1691. *Tit.* 2. *Cap.* 6.

CAPUT V.

DE DOCTRINA CHRISTIANA.

1. QUoniam, Chriſti Domini Fidem intimo corde ſervandam, & publicâ voce profitendam, ac totis viribus propagandam decrevimus; conſequitur, ut quænam illa ſit Populi doceantur. Itaque, Sacroſancti Concilii Tridentini Decretis (*a*), & Prædeceſſorum noſtrorum Synodalibus Conſtitutionibus inhærentes, omnibus, & ſingulis Parochialium Eccleſiarum Rectoribus, etiam Regularibus, quocumque nomine nuncupentur, in virtute Sanctæ Obedientiæ diſtrictè præcipimus, & mandamus, ut quæ de Doctrinâ Chriſtianâ edocenda à Tridentina Synodo ſalubriter ſtatuta fuerunt, ſub pœnis inibi contentis, omninò ſervent, & fideliter exequantur (*b*).

2. Singulis itaque Dominicis, & Feſtis diebus [Paſchalibus, & Solemnioribus dumtaxat, non verò etiam iis, quibus Parochi, ad (*c*) præcipuas Plebanatus celebritates acceſſuri, licitè, iuxtà tamen inferius Cap. XV. præſcriptâ, abſunt ab Eccleſia ſua, exceptis] ſub Divini Iudicij interminatione, & duorum aureorum in ſingulas vices, & gravioris etiam arbitrij pœnâ, creſcente contumaciâ, omnes Animarum Rectores, antemeridianis, vel veſpertinis horis, prout commodiùs in Domino putaverint expedire, dato ſigno Campanæ; in Oppidis verò, & in Vicis, ubi frequentior eſt Populus, emiſſo etiam, qui tintinnabulo Parœciæ fines obeat (*d*), Pueroſque, ac Puellas, & alios utriuſque ſexus Chriſtifideles ad Spirituale Tyrocinium convocet, & quaſi pertrahat, facili methodo, in propriâ Eccleſiâ, tàm maribus

maribus, quàm fœminis, ab invicem tamen ſeparatis, explicent eiuſdem Fidei rudimenta. Librum habeant, in quo ſingularium Ovium, quæ Paſtoris ſui vocem audire debent, & (*e*) ſeptennium excedant, deſcripta ſint Nomina ad recenſionem, & quas noverint negligentes, opportunis, Nobis etiam conſultis, coërceant remediis (*f*).

3. Quod ſi ad alias Eccleſias, Parochias, vel Societates, Chriſtianam Doctrinam erudiendi, Pueri, ac Puellæ dixerint ſe perrexiſſe, vel pergere, (*g*) adhuc Parochi certiores ſe fieri curent, vel examine habito per ſe ipſos, vel ipſiuſmet docentis teſtimonio, de ſufficienti eorumdem aliò convolantium inſtitutione. Satis inſtructos, ex paterna quadam indulgentia, quo maluerint commeantes tolerent; ignaros verò, ex ſui officii debito, acriter reprehendant, acriùs ad officium revocent, accuratiùs erudiant, ut quos à Patre Cœleſti cuſtodiendos accepere, [*h*] non perdant ex eis quemquam.

4. Si verò nuſquam acceſſerint, quæ Paſtoralis Charitas eſſet, ſi Apoſtolico exemplo, ruri maximè, non ceſſarent Parochi, in Templo, & circà Domos docentes, & Evangelizantes Chriſtum Jeſum [*i*]; caute tamen, & cum dignitate.

5. Parocho Rurali, maximè [*k*] docenti, & ad opportuniorem catecheſim Clericos in Parœcia ſua degentes, Sacerdotes item Eccleſiæ ſuæ ſervitio addictos, quorum tamen ætatis, morum, & doctrinæ rationem prius habuerit, accerſenti, omnes, & ſingulos, quoad eius fieri poteſt, hortamur, ut volentes, ac lubentes ad tantum opus ſeſe adiungant. Qui verò Clerici, ad ſuperiores Ordines aſcenſuri, Parochi teſtimonialibus de diligenti, & continua id genus præceptione muniti non fuerint, eos non admittendos præcipimus; ita tamen, ut pro eorum captu, Doctrinæ ſubſtantiam non verba tantum intelligant, atque retineant.

6. In huiuſmodi puerorum, ac rudium inſtitutione, omnes utantur Cathechiſmo Romano, Pontificia authoritate impreſſo (*l*), vel altero ex duobus brevioribus per clar. mem. Cardinalem Bellarminum, olim de mandato Clementis VIII. editis, & unanimi Eccleſiarum conſenſu receptis, ac probatis, & iuxtà eorum methodum fideles edoceant; ità tamen erudiendorum imbellicitati ſeſe accomodantes (*m*), ut doctrinæ ſubſtantia clarè, & dilucidè explicata, plebs ſibi commiſſa, non Pſyttacorum more, ea quæ in ijs continentur, tantùm recitet, ſed medullitus intelligat, firmiter retineat, & fideliter ſervet.

7. Frequentiam auditorum Parochi in hoc ſacro Exercitio ſedulò curent, quà neceſſitate addiſcendi propoſitâ, quà præmio dili-

gen-

gentioribus quandoque oblato, quà nimis adhibitis, & terrore incuſſo, contrà Patresfamilias præſertim, & Dominos, quorum gravi culpa filij, ſeu famuli ab addiſcendis Religionis Chriſtianæ myſteriis arcentur, vel in iis ſpontè ſua negligentes, impunè tolerantur. Noverint enim huiuſmodi, tàm propriæ, quàm alienæ ſalutis immemores, ii videlicet, qui præcipua Fidei rudimenta penitus ignorant, vel ſupinâ negligentiâ, quin etiam gravi ſocordiâ, ſubjectorum curam non habent, ut Parochum docentem audiant, ſe læthalis culpæ reatu, tamquam in tenebris, & in umbrâ mortis ſedentes, (*n*) habitualiter detineri, & ultrà alias ſeveriſſimas pœnas arbitrio noſtro reſervatas, ab omnium etiam Sacramentorum perceptione, præterquam in mortis articulo, & à munere Patrinorum exercendo, tàm in Baptiſmi, quàm Confirmationis reſpectivè Sacramentorum collatione, eſſe arcendos, prout arceri omnimodè mandamus, donec erudiantur, vel reſpectivè erudiendos procurent, aut ſaltem maturam ſeriò emendationem promittant intrà certum congruum tempus; ſemel, aut ad ſummum iterum ex cauſsâ neceſſariâ prorogandum, pro arbitrio, & conſcientia Parochorum, & Confeſſariorum (*o*), quorum in re tam gravi conſcientiam oneramus; & ſi contumaces adhuc perſtiterint, rem ad Nos deferre non prætermittant, ut ipſorum ſaluti diligentiùs, & efficaciùs per Nos conſulatur.

8. Ceterum Confeſſarios, omnes, etiam cujuſvis Ordinis Regulares, ſub gravis culpæ reatu monemus, ut Myſteriorum Dei penitus ignaros (*p*), ſeu familiæ præpoſitos, circà ſubditorum inſtructionem culpabiliter negligentes, vel nullatenus extrà mortis articulum abſolvant, vel, ſi quando ex caſuum circumſtantijs abſolutionem eis impertiendam prudenter exiſtimaverint, diligentem inſtructionem præmittant, & graviſſimam pœnitentiam injungant [*q*].

9. Concionatores autem, cunctoſque Sacerdotes, qui Sacris Miſſionibus Diœceſim noſtram perluſtrant, etiam obſecramus, ut divinam ultionem taliter contumacibus, e ſuggeſtu, magna vi, & contentione, denuncient.

10. Ut verò, quo minus fieri poteſt, ſeveritas adhibeatur, & ut, reſervato ad extremam Iſraelis recalcitrantis coërcitionem funiculorum flagello, populi fideles, etiam nolentes, ac propemodum inviti, erudiantnr in lege Domini, Parochos omnes in Domino monemus, & obteſtamur, ut ſingulis feſtis diebus, inter Miſſarum ſolemnia, lecto Evangelio, vel alio congruo tempore (*r*), clara, & alta voce pronuncient, & replicari jubeant à circumſtantibus alternatim per verſiculos, patrio, ſeu latino ſermone, prout expedire magis judicaverint,

rint, Sanctiſſimæ Crucis ſignum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, generalem peccatorum Confeſſionem, Decalogi, & Eccleſiæ Præcepta, ſeptem novæ Legis Sacramenta, Virtutes Theologales, & Cardinales, Opera Miſericordiæ Corporalia, & Spiritualia, octo Beatitudines, ſeptem Vitia capitalia, Peccata in Spiritum Sanctum, & quæ Deum ad vindictam ſpecialiùs provocant; ità tamen, ut non ſingulis vicibus hæc omnia, ſed, quaſi quadripartita, intra ſingulos menſes abſolvant.

11. Inſuper Populo ad Miſſam audiendam, vel ad Veſperas decantandas, vel ad Fidei rudimenta addiſcenda coadunato, breviter explicent (*ſ*) unum, aut alterum ex Articulis Fidei, vel ex Decalogi, & Eccleſiæ Præceptis, eiuſque Sacramentis; aut aliquam ex Petitionibus Dominicæ Orationis, vel modum ritè confitendi, & alia Sacramenta ſuſcipiendi, nonnulla etiam addendo de Quatuor Noviſſimis, de Paſſione Dominica, de Vitiorum turpitudine, de pulchritudine Virtutis oppoſitæ, de Feſtorum occurrentium ſolemnitate, vel de Myſteriis, in Evangelio nuper lecto, ab Eccleſia commemoratis.

12. Quæ de Pueris in Fide Orthodoxa erudiendis ſtatuimus pro Parochis, eadem reſpectivè à quibuſcumque etiam Ludi Magiſtris, ſemel ſaltem in hebdomada, explenda fore declaramus; & quos literas docent, eoſdem etiam bonis moribus imbuant; (*t*) pietate in Deum, reverentia in Parentes accendant, & ea omnia præſtent, quæ in ultimo Lateranenſi Concilio ſub Leone X. ad Parvulos in Doctrina Chriſtiana rectè inſtituendos, præſcripta fuerunt [*u*].

13. Et ne ſalubriter diſpoſita ſuo fruſtrentur effectu, omnibus Parochis, & curam exercentibus Animarum, diſtrictè mandamus, ſub pœna decem aureorum, ut ſaltem quolibet anno teſtimonium afferant trium Virorum fide dignorum, & propriâ etiam ſubſcriptione munitum, undè eorum obedientia in re tàm gravi omninò conſtet [*x*].

14. Ne verò commiſſi Nobis Gregis Paſtores, & concreditas eiſdem oves, ſolo metu pœnarum in officio contineamus, ſed imò certâ ſpe præmij, & mercedis exuberantis invitemus, propterea Parochis omnibus, & puerorum Præceptoribus, eiſque Viris, qui Societatibus Doctrinæ Chriſtianæ, ex inſtitutione Sanctiſſimi noſtri Prædeceſſoris Antonini, in hac religioſiſſima Civitate præſident, & aliis quibuſcumque, quos, citrà officii debitum, Charitas Chriſti (*y*) urget ad pueros, rudeſque in Chriſtianâ Fide inſtruendos, & iis etiam, qui Myſteria Dei in Chriſtianæ Doctrinæ Tyrociniis addiſcunt, cœleſtes Eccleſiæ theſauros pollicemur (*z*), quos B. Pius PP. V., Gregorius XIII., & Paulus V. Summi Pontifices ſtrenuè in Vinea Domini,

& in

& in hoc præſertim Angelico officio, laborantibus conceſſerunt.

15. Theſaurum hunc, ignorantibus, quaſi in agro, abſconditum, Parochi, Concionatores, & Miſſionarii omnes, publicè portent in viâ, prædictas Indulgentias omnibus, docendo, ſeu concionando, annunciantes, eo maiori cum lucro utique deprædandi, quo plures repererint eſſoſſores. Quod ut faciliùs prȩſtent, quater ſaltem in anno, earumdem Indulgentiarum Summarium, in additionibus ad hanc Synodum appoſitum, populis ſibi commiſſis, inter Miſſarum ſolemnia, perlegant.

16. Denique eiuſdem Doctrinæ Chriſtianæ piiſſimos Viſitatores noſtros, inferiùs deſcriptos, in Domino etiam, atque etiam rogamus, ut, non in Civitate ſolùm, ſed per univerſam Diœceſim, vigilantiſſimè præeant, arguant, obſecrent, opportunè, importunè; Authoritatem omnem noſtram ad hanc inſtitutionem, non ſolùm conſervandam, ſed & promovendam, illis impertientes.

(a) *Seſſ. 24. cap. 4. de reform.*, (b) *d. Seſſ. 24. cap. 4. de reform.*, *Synod. Diœceſ. Flor. 1619. cap. 2. hoc tit.*, *& Synod. 1645. cap. 4.*, (c) *Synod. Diœc. Flor. 1663. tit. 2. cap. 1.*, (d) *Synod. Diœc. Flor. 1619. tit. 2. cap. 2.*, *Synod. Flor. Diœc. 1699. tit. 2. cap. 2.*, (e) *Jo. 10. v. 14.*, *Synod. Diœc. Flor. 1589. de Paroch.*, (f) *Synod. Diœc. Flor. 1637. tit. 3.*, (g) *Synod. Florent. Diœc. 1691. tit. 1. cap. 2. n. 3.*, (h) *Joan. 18. v. 9.*, (i) *Actuum 5. v. 42.*, (k) *Cap. ut quiſq; de vita, & honeſt. Cleric.*, (l) *Synod. Diœc. Flor. 1645. cap. 4. §. 1.*, (m) *dicta Synod. 1645. eod. §*, (n) *Luc. 1. v. 79.*, (o) *Synod. Diœc. Flor. 16 9. tit. 1. cap. 3. §. 4.*, *Synod. Diœc. Flor. 1666. tit. 2. cap. 2.*, (p) *Synod. Flor. Diœc. 1645. §. 2.*, *Synod. Flor. Diœc. 1691. tit. 1. c. 2. §. 4.*, (q) *Synod. Diœc. Flor. 1666. tit. 2. cap. 5.*, (r) *Synod. Diœc. Flor. 1619. tit. 1. cap. 2. §. 3.*, (ſ) *Synod. Diœc. Florent. 1645. loc. cit.*, (t) *Synod. Diœc. Flor. 1645. §. 3. hoc tit.*, *Synod. 1666. tit. 2. cap. 6.*, *Synod. 1699. tit 2. cap. 4.*, (u) *Leo X. in Concil. Lateran. 5. ſeſſ. 9. & conſtit. 7. Supernæ §. 32.*, (x) *Synod. Diœc. Florent. 1619. tit. 1. cap. 3. §. 6.*, *& Synod. 1663. tit. 2. cap. 3.*, (y) *Synod. Flor. Diœc. 1645. tit. 1. cap. 4. §. 3. & 4.*, *Synod. 1691. tit. 1. cap. 2. num. 6.*, (z) *Paul. 2. ad Corinth. cap. 5. verſ. 14.*

CAPUT VI.

DE PRÆDICATIONE VERBI DEI.

1. VErbi Dei diſpenſationem, ipſiſmet Epiſcopis à Chriſto Domino præcipuè commiſſam, cum dixit: *Euntes, docete omnes gentes, & prædicate Evangelium omni creaturæ,* (a) omnibus etiam Parochis, in

 par-

partem Paſtoralis noſtræ ſollicitudinis evocatis, non ſolùm commendamus, ſed, Romanorum Pontificum, atque Conciliorum, præſertim Tridentini (*b*), & Prædeceſſorum noſtrorum Decretis innixi, diſtrictè præcipimus, & mandamus, ut Oves ſibi concreditas, ſtatutis temporibus, (*c*) Divini Verbi pabulo, vel per ſe, vel per alios (*d*) omninò confirment, nec Animam eſurientem ſubtracto pane deſpiciant (*e*).

2. Quæ ſequi debeat, quæ declinare, Populum moneant: filios ad honorem Parentibus debitum, Patres ad ſedulam prolis piè educandæ curam impendendam, Conjuges ad mutuam ſibi fidem ſervandam, minores ad reverentiam Majoribus exhibendam, ſubditos ad obedientiam, tàm ſpiritualibus, quàm temporalibus, Dominis præſtandam, omnes ad pietatem in Deum, ad charitatem in Proximos, ad amorem cœleſtium, ad terrenorum contemptum inſtruant, informent, & potentes in opere, & ſermone, eloquio pariter, ac exemplo propemodum compellant; (*f*) Virtutis pulchritudinem attollant, & vitiorum fœditatem exaggerent, ut & illius deſiderium in Auditoribus, & horum horrorem ingenerent: acerbiſſimam Chriſti Domini Paſſionem, Sanctorum merita, juſtorum præmia, peccatorum pœnas, inſtans Noviſſimorum diſcrimen, Sacramentorum vim, & efficaciam, Indulgentiarum fructum; ea denique omnia, quæ innocentes in ſancto perſeverantiæ dono confirmare, quæ peccatores ad pœnitentiæ remedium capeſſendum invitare efficaciter poſſunt, vel è ſuggeſto, vel ab Altari commemorent, ac planè inculcent; tenui tamen ſtylo (*g*), & ad inſtructionem pro captu audientium accommodato, memores quod, non in perſuaſibilibus (*h*) humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis, conſiſtit ſermo divinus.

3. Quamobrem, etiamſi modicâ dicendi facultate pollere ſe noverint, aut modeſtè crediderint, tamen ab explendo per ſe ipſos præcipuo eorum officio Parochi non deterreantur; Dabitur enim iis in illâ horâ [*i*] quid loquantur, ſi eos, non inanis gloriæ faſtus, non terreni lucri cupiditas, non odii, vel amoris cuiuſpiam æſtus, ſed Divini amoris zelus, & proximorum ſalutis ardor, ad dicendum impulerit. Quin imò illud ſibi certò perſuadeant animarum Cuſtodes, Gregem ſibi commiſſum Paſtoris plerumque ſimplicitate, & charitate pinguiùs, & ſalubriùs, quàm aliorum altiori, & exquiſitiori doctrinâ, paſci, & enutriri [*k*]. Si itaque quiſpiam Parochorum plebem ſuam per ſemetipſum Divino Verbo fraudaverit, nec ſaltem alterius miniſterio ſuppleverit, (*l*) tamquam in re graviſſima

delin-

delinquens, ſeveriſſimas arbitrio noſtro pœnas, pro modo culpæ, indiſpenſabiliter dabit.

4. Verùm, ut non modò à Parochis, ſed etiam ab aliis quibuſcumque Sacris Oratoribus, Divino cœleſtis eloquii pabulo, quàm maximè incorrupto, Dominici Gregis oves in Diœceſi noſtra paſcantur, & nulli exurgant Pſeudoprophetæ, qui currunt, *(m)* Domino eos non mittente, & prophetant, Domino ad eos non loquente; nemo prorsùs prædicandi munus aſſumat, niſi publica Fidei profeſſione emiſſà *(n)*, & niſi Ordinarii obtenta in ſcriptis facultate, Rectoribus Eccleſiarum, ubi Concionaturi ſunt, exhibendâ *(o)*.

5. Regulares verò, ultrà ſuorum Superiorum licentiam, veniam etiam, & Benedictionem à Nobis, vel à Vicario Noſtro Generali, petere perſonaliter teneantur, ſi in ſuorum Ordinum Eccleſiis Evangelico Prædicationis munere erunt perfuncturi *(p)*; ſi autem in aliis Eccleſiis, Licentiam quoque noſtram, in ſcriptis gràtis obtinendam, expectent; Regularibus tamen extrà Clauſtra, & obedientiam Religionum ſuarum viventibus, Prædicationem ſemper interdictam, etiam quorumlibet Privilegiorum prætextu, declaramus *(q)*, donec Sancta Sedes Apoſtolica in caſuum contingentia deſuper opportunè conſulatur.

6. Et quicumque, tàm Secularis, quàm cuiuſvis Ordinis Regularis, contrà hanc noſtram Sanctionem quomodocumque deliquerit, ultrà alias in ultimo Lateranenſi, & in Tridentino Concilijs, ſtatutas pœnas, ſuſpenſionem per tres Menſes *(r)* ipſo facto, & alias etiam graviores, pro caſuum contingentiâ, arbitrio noſtro decernendas incurrent.

7. Innocentii III. & Gregorii IX. Summorum Pontificum, nec non Tridentini Concilij Decretis, *(ſ)* à Prædicatione Verbi Dei laici penitus arceantur. Nos itaque dilectos huiuſmodi in Chriſto filios monemus, ovium ſorte debere eſſe contentos; munuſque docendi, & prædicandi, Epiſcopis primò, deinde Sacerdotibus, fuiſſe demandatum: utiliùſque illis fore, libros à Viris, doctrina, & pietate præditis, longâ lucubratione, nec ſine divinâ illuſtratione conſcriptos, legere, quàm, *(t)* contra Sacrorum Canonum, & Conciliorum diſpoſitionem, officium prædicandi, à propriâ conditione prorſus alienum, aſſumere. Per hæc tamen minimè interdictum volumus, quin aliqui ſelecti, pii, & probati Viri, aliqua privata, & familiaria colloquia, ad pietatem ſpectantia, habere poſſint ad Conſodales ſuos, ut latiùs infrà, in *Tit.* 3. *Cap.* 5. *de Confraternitatibus Laicorum* ſtatuimus.

8. Ceterum ſingulare Evangelici officii decus, & Divini Verbi puritatem, ab omni penitus ſorde, & irreverentia vindicare ſatagentes, præcipimus, ut Verbum Dei, quocumque anni tempore, diurnis tantùm horis, & Paſſio Domini Noſtri Jeſu Chriſti, luceſcente die, non autem noctu per Prædicatores annuncietur (*u*), atque eo tempore id maximè ſervetur, ut nihil fiat, aut dicatur, etiam ad provocandas lacrymas, quod aliquo modo à Chriſtiana diſciplina, & maieſtate Sacri Oratoris abhorreat.

9. Quantum etiam fieri commodè poteſt, dum Sacræ Conciones in Eccleſia habentur, mares à fœminis, lineâ telâ ſaltem interpoſitâ, diſtinguantur, & à Miſſarum Celebratione, ob Populi diſtractionem, plerumque tumultuariam, & ob mutuum utriuſque functionis impedimentum, durante Concione, ceſſetur (*x*).

10. His ità diſpoſitis, ſupereſt, ut ipſos Concionatores, quid in hoc Apoſtolico munere explendo devitare, quid toto ſatagere conatu debeant, admoneamus, ne aliter doceant, neque intendant fabulis (*y*), & genealogiis interminatis: quæ quæſtiones præſtant magis, quàm ædificationem Dei, quæ eſt in Fide. Vanam itaque doctrinam [*z*], & eloquentiam non affectent; Inanes quæſtiones, & auditorum intelligentiæ minimè commenſuratas, præſertim ex abſtruſioribus Theologorum diſputationibus erutas, prætermittant: Propheticum ſpiritum circà univerſalis Judicii diem, vel Antichriſti adventum, certò tempori reſervatum, non jactent: Ineptas fabulas, Hiſtorias apocryphas, & Miracula non niſi probata reticeant; Veneficas Hæreticorum contrà Catholicam Fidem concertationes, cum opus fuerit, nonniſi prudenter, periculo rudiorum præcaventes, attingant, vel omninò prætereant; Novas Indulgentias ſine noſtra permiſſione non publicent; Sacram Scripturam, nec temerè, nec jocosè, nec contrà unanimem conſenſum Patrum, interpretentur; Nullum, veluti pauperem, abſque Literis noſtris, vel Parochi ejus indigentiam declarantibus, pio Fidelium ære ſublevandum Auditoribus proponant: Eleemoſynas pro certis pauperibus, pro Miſſis celebrandis pro Defunctis, (quarum implementum, ad menſuram collectæ eleemoſynæ, & taxæ conſuetæ, oſtendi debeat), vel in aliquam certam piam cauſſam collectas, aliò diſtrahi minimè patiantur, & multò minus, contrà mentem Erogantium, in proprios uſus fraudulenter convertant; ſed, ſicubi mos inoleverit, ut, intra, vel extra Eccleſiam quæſitæ, Concionatori applicentur, idipſum, modeſtè petentes, declarent, nec parciùs aliquando collectas, quaſi ſua, non quæ Jeſu Chriſti, (*a a*) quærentes, umquam conquerantur: In Vitia con-

Digitized by Google

conclamantes, neminem, etiam ſub involucro verborum, ſpecialiter carpant (*bb*); ſed ità peccatum in publico generaliter increpent, ut peccatorem non detegant, aut certè in ſuſpicionem adducant; privatam uberiori cum fructu contrà perſonas commonitionem reſervantes. Moniales, in quarum Eccleſiis, non tamen Parochialibus, clauſis januis concionari contigerit, liberiori increpatione vitiorum, quæ à ſacris Virginibus piè credimus ignorari, minimè offendant; ac privatim, præcipuè ſi Regulares fuerint, contra Sanctiones Apoſtolicas, quibus obnoxios eſſe volumus, ſine Noſtra licentia, nullatenus alloquantur.

11. Et hæc quidem ſunt, à quibus, tamquam à ſpinis, bonum Divini Verbi ſemen (*cc*) ſuffocantibus, abſtinere omnes volumus Evangelicos Operarios, in agro Domini laborantes, ſub pœnâ interdicendæ Prædicationis, & aliis arbitrio noſtro, inſpecta delicti qualitate infligendis: Ut verò Davidicum monitum (*dd*) penitus impleant, quo, & à malo divertere, & facere bonum jubemur, ea omnia Chriſtifideles edoceant, quæ ſuperiùs in hoc eodem capite §. *Quæ ſint*, à Parochis evangelizantibus docenda, ſeù peragenda fore præcepimus: Sacros inſuper Eccleſiæ Præſules, & Temporales Magiſtratus, tam quam univerſæ Plebi, authore Deo, præſidentes, & pervigilantes (*ee*), & quaſi rationem pro ſubditorum animabus reddituros, honorandos eſſe, ac timendos, & aſſiduis apud Deum precibus juvandos inculcent: Vitia, quæ in loco habendæ concionis, prævia à Rectoribus Eccleſiarum captà informatione, prævalere fortè cognoverint, acriori quodam ſtylo, nemine penitus nominato, aut quomodocumque indicato, reprehendant: Odia, & ſimultates extinguant, diffidia componant, rerumque arbitri, & animarum pacatores effecti, omnimodam Populi pacem tueri, vel reddere contendant; ſcandala, ſi quæ innotuerint, prudenter avertant: Subjectorum in Parochos amorem, & obedientiam excitent, Paſtorum autem erga commiſſas oves vigilantiam, & charitatem foveant, vel, ſi opus fuerit, paternâ correctione revocare non ſemel conentur, & contumaces Nobis, vel Vicario Noſtro Generali, denuncient: In omnibus tandem ſeipſos exemplo, & converſatione irreprehenſibiles exhibeant: verbum vivum, quo Fideles audientes, & videntes, amplius in Doctrinæ veritate confirmentur, nec anſam contemnendi capiant ab hypocriſi Phariſeorum, qui dicunt, & non faciunt (*ff*).

12 Et quià dignus eſt Operarius mercede ſuâ, omnibus, & ſingulis, quorum intereſt, juxtà Eccleſiarum, & locorum conſuetudinem, præcipimus, & mandamus, ut ſic in Evangelio laborantes benignè

nignè excipiant, eique congruam ſtipem, huic ſancto muneri, ceteroquin aſſignatam, actualiter perſolvant.

13. Quia verò Divini Verbi ſemen, quod Cœleſtis Paterfamilias per Operarios ſuos in cordibus noſtris jugiter ſeminat, expectato fructu fraudatur, ſi non decidat in terram bonam, monemus proindè, & quidem vehementer omnes, præſertim Clericos, quos abſque urgenti neceſſitate abeſſe unquam nolumus, ut ſacræ concioni rectè compoſiti, attentè, & quantum fieri commodè poteſt, frequenter interſint, exciſis vepribus curarum temporalium, & duri cordis amotis lapidibus, quibus ager animarum noſtrarum implexus, ac planè præpeditus, ſterileſcit.

(a) *Matth.* 28. *v.* 19., *& Marc. c.* 16. *v.* 15., (b) *ſeſſ.* 24. *de Refor. cap.* 4., (c) *Trident. ubi ſupra. Synod. Diœc. Flor.* 1569. *hoc tit., Synod. Provinc. Flor.* 1574. *eod. tit. f.* 35., *Synod.* 1681. *tit.* 22. §. 1., (d) *Iſai.* 58. *ver.* 7., (e) *Eccl. cap.* 4. *v.* 2., *Job. cap.* 22. *v.* 7., (f) *Synod. Diœceſ. Florent.* 1619. *hoc tit.* §. 6., (g) *Synod. Diœc. Flor.* 1681. *tit.* 12. §. 1., (h) *Paul. ad Corinth. cap.* 2. *ver.* 4., (i) *Matth.* 10. *v.* 19., (k) *Synod. Provin. Flor.* 1573. *hac Rubr. c.* 1., *& Diœceſ.* 1619. *hoc tit.* §. 3., (l) *Synod. Diœc. Flor.* 1623. *hoc tit.*, *&* 1681. *tit.* 12. §. 1., (m) *Jerem. cap.* 23. *ver.* 21., (n) *ſupra hoc tit. cap. ad Sacras. Synod. Diœc. Flor.* 1619. *hoc tit.* §. 5., *&* 1691. *tit.* 1. *cap.* 3. §. 3., (o) *Synod. Diœc. Flor.* 1619. *ibid.* §. 9., *&* 1691. *ubi ſupra*, (p) *Conſtit.* 7. *Clement. X. Superna, &c. eſt impreſſa in Addit. hoc Capite. Synod. Diœc. Flor.* 1619. *hoc tit.* §. 5., (q) *Synod. Flor. Provinc.* 1573. *Rubr.* 19. *c.* 3., *Synod. Diœc. Flor.* 1619. *hoc tit.* §. 2., (r) *Synod. Provinc. Flor.* 1573. *Rubr.* 19. *c.* 3., *Synod. Diœc. Florent.* 1619. *tit.* 1. *cap.* 4. §. 2., (ſ) *Cap. Communicavimus* §. *Quia verò, &c. de hæretic., cap. ſicut in uno de hæret., Concil. Trid. ſeſſ.* 5. *cap.* 2., *& de Refor. ſeſſ.* 25. *c* 4., *& ſeſſ.* 24. *c.* 14., *Synod. Diœc. Flor.* 1619. §. 9., *&* 1645. §. 3., [t] *Synod. Flor. Diœc.* 1619. *tit.* 1. *cap.* 4. §. 9., *Synod.* 1645. *tit.* 1. *cap.* 5. §. 3., (u) *Synod. Prov.* 1573. *Rubr.* 19. *cap.* 5., *Synod. Diœc.* 1619. §. 7., *&* 1645. §. 2. *&* 1691. *cap.* 3. *num.* 2. *hoc titul.*, (y) *Paul.* 1. *ad Timoth. cap.* 1. *v.* 4., (z) *Synod. Diœceſ. Flor.* 1619. *hoc tit. cap.* 4. *&* 1691. *cap.* 4., (aa) *Paul. ad Philip. c.* 2. *v.* 20., [bb] *Synod. Flor. Diœc.* 1699. *hoc tit. c.* 4., (cc) *Luc.* 8. *v.* 7., (dd) *Pſalm.* 33. *ver.* 15., (ee) *Paul. ad Hebr. c.* 13. *ver.* 17., [ff] *Matth.* 23. *ver.* 3.

CA-

CAPUT VII.

DE JUDÆIS.

1. UT Judaicæ perfidiæ occaſiones corrumpendi bonos Chriſtianorum mores, quantum fieri poteſt, adimantur, ex Sacrorum Canonum Decretis edicimus, ne Judæi, ſub arbitrii noſtri pœna (*a*), diebus Feſtis emant, vendant, aut alio quovis modo contrahant, ſeù quidpiam aliud agant, à Sanctorum temporum veneratione, & cultu alienum, extra Septa Clauſtri, vulgo, *Ghetto*, ſuperſtitioſæ eorum Nationi ad ſeorſim habitandum indulti, quod nuper, immani planè ſumptu, amplificatur à Regia Celſitudine Sereniſſimi Noſtri, & Piiſſimi Magni Ducis, chriſtianè ſoliciti de expurgatione reliquæ Civitatis, quam, anguſtioris veteris clauſuræ obtentu, aliqua in parte, leproſum hominum genus, non ſine præſentiſſimo Chriſtifidelium diſcrimine, iam inquinabat.

2. Ad Monaſteria verò Monialium, ſeù Puellarum Conſervatoria, vel quarumcumque Mulierum collegialiter viventium Clauſtra, quomodolibet nuncupentur, numquam accedant, ſub pœnis infra ſtatuendis, cum de ſacratis Deo Virginibus ſpecialiter agemus.

3. Calices, Sacras Veſtes, Ornamenta, & Habitus, quibus Eccleſiaſticæ Perſonæ ad Miſſæ Sacrificium peragendum, & alia Divina exercenda utuntur; ſicuti etiam Jeſu Chriſti, Deiparæ Virginis, ac Sanctorum Imagines, nullo pacto Judæi coëmant, aut quovis titulo retineant; pœna ipſis, utroque caſu, & pro ſingulis tranſgreſſionibus inflicta, emptarum rerum amiſſionis, ac ſolutionis dupli, quo fuerint æſtimatæ [*b*].

4. Et ut ſervi à Domino reprobati, in cuius mortem nequiter conſpirarunt eorum Patres, effuſi Pretioſi Sanguinis vindictam, hæreditario ſibi veluti jure, à majoribus: *Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros*, (*c*) ſacrilegè conclamantibus, tranſmiſſam, jugiter perſentiant, & per effectum ſaltem operis agnoſcant ſeſe illorum ſervos, quos Chriſti mors liberos, illos verò ſervos effecit; ſub Excommunicationis pœnâ, in Provinciali Florentina Synodo (*d*) ipſo jure latâ, & aliis à Sacris Canonibus ſtatutis pœnis, omninò interdicimus, ne Chriſtiani, Liberæ filii, ulla in re Judæis, filiis Ancillæ, inſerviant, neque obſtetricando, neque lactando, neque educando, aut aliud quodvis miniſterium eis impendendo: Et ſi in diem, vel horam, eis operas ſuas locaverint, apud illos cibum minimè capiant; neque Medicos Judæos (*e*) accerſant, aut illorum eſcis veſcantur;

neque

neque ab iiſdem eſculenta, aut poculenta, aut inuſitata medicamenta, coëmant, vel gratis oblata recipiant, nec ullam penitus artem Chriſtiani ab illis addiſcant; ac multò minus ad convivia, nuptias, vel dies Feſtos, & Judæorum Synagogas, accedant, aut cum eis ludant, vel, quod deteſtabilius eſt, choreas ducant; omnes tandem ſocietates, conjunctionem, & nimias familiaritates, cum illis habere omninò, ſub pœnis à Jure, & alijs arbitrio Noſtro reſervatis, prohibemus.

5. Quod ſi lactandi puerum Hebræum neceſſitas urgeat aliquando, id non fiat à Chriſtiana muliere, niſi approbante Ordinario, ac de ejus licentiâ, in ſcriptis obtinendâ, & extra Judæorum domum, (*f*) ac Parocho nutricis admonito, quem ſollicitum fore de indaganda mulieris eiuſmodi cum pueri propinquis converſatione præcipimus, cum onere Nobis denunciandi, ſi quid ſcandali exindè fortè oriturum cognoſceret. Et ne commigratio mulierum prædictarum de domo in domum, & de parochia in parochiam, Conſtitutionem hanc Noſtram fructu quam optatiſſimo fruſtretur, jubemus, ut, cum facultas lactandi pueros Hebræorum indulgenda fuerit ex neceſſitate feminis Chriſtianis, eadem cum Juramento coram Nobis, ſeu Vicario Noſtro Generali, promittant, ſe ſtatim proprium Parochum de obtentâ à Nobis facultate certiorem facturas, nec de unâ in aliam domum, etiam intra eamdem parochiam, inconſulto Parocho, convolaturas, & multò minus de ejus parochia diſceſſuras, aut alteram ingreſſuras, niſi utroque Parocho, & quo vadant, & unde veniant, præcedenter admonito; ut & Parochus, à quo recedunt, inſtruere poſſit alterum, ad quem tranſmigrant, ſi fortè quidquam cenſuerit in Domino admonendum, & ut poſterior, cuius parochiam intrant, muneri ſuo ſuperiùs injuncto ſatiſfacere valeat. Præmiſſa autem hujuſmodi minimè ſervantes, arbitrarias pœnas, pro modo culpæ severè infligendas, neutiquam evaſuras fore certò ſciant.

6. Porrò Judæos, qui Chriſtianis operam ſuam navant, ad ſortes, divinationem, vel artem magicam, aut actionem quamcumque ſuperſtitioſam, ſeù maleficia, & veneficia conficienda, vel deſtruenda, bonis omnibus ſpoliatos, (*g*) iiſque ſeculari Fiſco applicatis, ad triremes perpetuò damnari volumus; Chriſtianos verò, tali opera impiè utentes, ipſo facto excommunicatos declaramus.

7. Ceterum Judæos, Sacroſancta Fidei Myſteria, Ritus, & Cæremonias, auſu temerariò deridentes, perturbantes, impedientes, vel Dogmata impugnantes: Sacras Imagines, & Sanctas Reliquias infringentes, & quomodocumque, verbis, aut factis inhonorantes; Sacramentis noſtris, vel Sacramentalibus abutentes: Cathecumenos,

ſeù

ſeù Neophytos à ſuſcipiendâ, vel ſuſceptâ Fide deterrentes, & ad primævam ſuperſtitionem, vel ad Sinagogæ ritus, eorumve aliquem, conſilio, favore, metuve revocantes, vel revocare attentantes: De abnegandâ Chriſtianâ Religione, vel impiis Hebræorum immunditiis contaminanda, quempiam Chriſtifidelem convenientes: Eos denique, qui Dei unitatem, & attributa, Mundi creationem ex nihilo, Animæ rationalis immortalitatem, æterna Juſtis præmia, & Peccatoribus ſupplicia conſtituta, Divinam Sacrorum Librorum ad vetus Teſtamentum pertinentium authoritatem; & alia hujuſmodi Divinitatis Oracula, veteri, novæque Legi communia, ſacrilegi oris effutatione, vel Scripturæ miniſterio, vel execrando operis teſtimonio, aut aliàs quomodolibet negare, contemnere, vel ejurare præſumpſerint, ſeveriſſimis omnibus pœnis plecti mandamus, quas Summi Pontifices, & S. R. E. Cardinales, contra hæreticam pravitatem Inquiſitores Generales, ad retundendam perfidæ Sectæ pervicaciam, & ad callidas in Fidem noſtram machinationes evertendas, providè ſanxerunt. Sedis etiam Apoſtolicæ mandatis obtemperantes, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, noſtræ virgæ Paſtorali ſubjectis, præcipimus, ut, ſi fortè noverint Hebræorum aliquem in Noſtrâ Diœceſi hujuſmodi labe infectum, eum ad Nos; vel ad Sacrum Inquiſitionis Tribunal deferant, ſub pœnis aliàs de Jure conſtitutis. Parochi verò omnes Edictum ejuſdem Sacræ Congregationis, in Additionibus hujus Synodi inſertum, ſuper obligatione talis denunciationis, ſemel ſaltem in anno, in die Feſto, inter Miſſarum ſolemnia, & in maiori Populi frequentia, perlegant, ac publici Juris faciant, ſub pœna aureorum quatuor.

8. Quoniam verò miſericors Deus, qui poteſt facere de immundis mundos, & de peccatoribus juſtos, & Sanctos, quoſdam de Synagoga revocat aliquando ad Eccleſiam ſuam, benignè eos accipiendos jubemus, ſervatis tamen, quæ ſuperiùs, cum de Cathecumenis, & Neophytis egimus, fusè præſcripſimus.

(a) *Synod. Diœc. Flor.* 1619. *hoc tit.*, *&* 1691. *tit.* 3. *c.* 5., *&* *Synod. Provinc.* 1573. *rubr.* 8. *cap.* 1., (b) *Synod. Diœc.* 1623. *tit. de Sacr. Veſtib.*, (c) *Math. cap.* 27. *v.* 25., (d) *Synod.* 1573. *Rubr.* 8. *cap.* 2., *Synod.* 1619. *tit.* 1. *cap.* 11. §. 3., *&* 1691. *cap.* 5. *num.* 4., (e) *Synod. Diœceſ.* 1645. *tit.* 4. *c.* 28., [f] *Synod.* 1573. *Rubr.* 8. *cap.* 2., *Synod.* 1619. *cap.* 11. *n.* 3., (g) *Synod.* 1619. *tit.* 1. *cap.* 11. §. 4., *&* 1691. *tit.* 3. *cap.* 5. *n.* 6.

CAPUT VIII.

DE HÆRETICIS.

1. Contra teterrimum Hæreticorum hominum genus, omneſque à Fide Catholica deſciſcentes, & contra eorumdem fautores, receptatores, & cum iis quomodocumque communicantes, omnia, & ſingula; à Summis Pontificibus, ab Oecumenicis Conciliis, & præſertim à Sacroſanctâ Tridentinâ Generali, & à Noſtra Provinciali Florentina Synodo, ſub claræ memoriæ Julio Cardinali Medices, tunc Prædeceſſore noſtro, deinde ad Summi Pontificatus apicem evecto, Clemente PP. VII. nuncupato, ſancita, decreta, & declarata, in omnibus, & per omnia innovantes, ſancimus, decernimus, & declaramus; omneſque pœnas inibi conſtitutas, & decretas, Nos quoque conſtituimus, & infligimus, & omnimodâ exequutione, implorato etiam, quatenus opus ſit, ſecularis Poteſtatis auxilio, compleri volumus, & mandamus.

2. Ne verò dormientem Patremfamilias inimicus homo, clam ad ſuperſeminanda zizania ſubrepens, reperiat, ſingulare, ac præcipuum ſtudium impendant Parochi, divina maledictione (*a*), & ſeveriſſimis arbitrio noſtro pœnis animadvertendi, ſi opus Dei in re tam gravi fecerint negligenter, ne rudes, indocti, & imperiti homines, de rebus ad Fidem pertinentibus, ullâ de cauſsâ, quantumvis piâ, & ſanctâ, publicè, privatève diſceptent, vel ſermones miſceant; ceteras quoque ſimiles occaſiones, periculis plenas, omninò prohibere, ac tollere pro viribus curent, &, ſi, vel rei gravitas, vel delinquentium contumacia poſtulaverit, Nos, vel Vicarium noſtrum Generalem deſuper conſulant, ut quæ in Domino expedire, & præcipere ſatiùs judicaverimus, naviter exequantur.

3. Seduli etiam ſint, ac diligentes Dominici Gregis Cuſtodes in indagandis malè de Fide ſentientibus, (*b*) & de eadem ſuſpectis utriuſque ſexus hominibus, ſi qui fortè Eccleſiæ præcepta, circa delectum præcipuè ciborum in diebus vetitis, & præſentiam incruento Miſſæ Sacrificio exhibendam in diebus Feſtis, habituali prævaricatione contempſerint; ſi in Deum, ejuſque Sanctos blaſphemias hæreticales, vel etiam ſapientes hæreſim, proferre conſueverint; ſi deridere Sacras Cæremonias, & Hæreticorum Libros, de Fide potiſſimum tractantes, lectitare temerè præſumpſerint; ſi Cenſuris Eccleſiaſticis irretiti, beneficium Abſolutionis, inſordeſcentes, & planè contumaces, obtinere neglexerint; ſi qui tandem, depravatis, ac perditis

ditis

Digitized by Google

ditis moribus execrabiles, Deum ore confitentes, factis autem negantes, (*c*) in ſua Parochia uſpiam exiſtant: repertoſque [quod avertat Deus] ad Nos, vel ad Sacrum Inquiſitionis Tribunal deferre, quàm citiſſimè, & nullâ interpoſitâ morâ, nequaquam prætermittant; Hujuſmodi enim morbidum pecus de Ovili Nobis concredito, Provinciali Synodo libenter obtemperantes, penitus, & quidem conſtantiſſimè, niſi reſipuerint, & Eccleſiæ ſatisfecerint, exterminare parati ſumus, etiamſi opus propterea foret, quod humilitas noſtra non promeretur, ſanguinem, Animamque pro noſtrarum Ovium incolumitate profundere.

4. Cum prima Mulier, primâ luce, in ipſo primæ voluptatis Paradiſo, originalem primi hominis innocentiam labefactaverit, quid mirum, ſi, poſt humanam naturam lapſam, tot, etiamſi longævę, exploratæque virtutis, doctrinæ, prudentiæ Viros, à rectâ Fidei ſemitâ quandoque Mulieres eo faciliùs abducant (*d*). Congregationes propterea, & Conventicula Muliercularum, nocturna præſertim, & ſecreta, quibus cujuſcumque ſtatus, & conditionis Viri, tàm Laici, quàm Clerici, etiam Sacerdotali dignitate præditi, ſivè Seculares, ſivè cujuſcumque Ordinis Regulares, admiſceantur, quovis pietatis, vel ſpiritualis Inſtructionis prætextu poſthabito, ſub pœnis arbitrio noſtro graviter infligendis, penitus interdicimus, niſi, explorata medullitus Inſtituti ratione, aliàs Nobis, vel ſucceſſoribus Noſtris, prudenter in caſu particulari videretur decernendum.

(a) *Synod. Diœc.* 1619. *tit.* 1. *cap.* 11. §. 1., (b) *Synod. Diœc.* 1508. *lib.* 5., (c) *Paul. Ep. ad Tit. c.* 1. *verſ.* 16., (d) *S. Auguſt. de Symbol. ad Cathec. lib.* 3. *cap.* 4. *tom.* 9.

CAPUT IX.

DE LIBRIS PROHIBITIS.

1. PRavarum opinionum zizania, quibus in Agro Eccleſiæ bonum Divini Verbi ſemen aliquando ſuffocatur, ex virulenta Hæreticorum Librorum lectione plerumque generantur. Quamobrem, Apoſtolicæ Sedis, & Provincialium Florentinæ Eccleſiæ Synodorum Decreta venerantes [*a*], præcipimus, ut regulæ in Indice Librorum prohibitorum, juſſu Tridentini Concilii in lucem edito, quo omnes Typographos, & Bibliopolas, ſub pœnâ per Nos arbitrandâ, (*b*) inſtructos eſſe volumus, ab omnibus, tàm Clericis, quàm Laicis, exquiſitè ſerventur: Monentes quotquot hujuſmodi veneficos Libros, ſivè Typis editos, ſivè manuſcriptos, quâvis ratione

prohibitos, iuxtà regulas ſupra indicatas, legerint, aut retinuerint, eos in pœnas incidere, quæ in Bulla, die Cœnæ Domini legi conſueta, continentur.

2. Typographis autem, & Bibliopolis prædictis mandamus, (c) ne quid imprimant ſine debita à Nobis gratis impertienda facultate, & licentiâ, in fronte, vel in calce Librorum ſemper inſerenda; nec reſpectivè venale exponant, donec Ordinario conſtiterit, Libros denuò editos cum Authographis à Nobis approbatis in omnibus conſentire: ſi ſecus fecerint, pœnas dabunt in ultimo Lateranenſi, & in Tridentino Conciliis impoſitas, amiſſionis Librorum, publicæ eorumdem combuſtionis, anathematis, & centum aureorum, pro unâ dimidiâ Fiſco, & pro aliâ pauperioribus Monialium Monaſteriis applicandorum, quoad Impreſſores; amiſſionis verò Librorum, & arbitrii quoad Bibliopolas.

(a) *Concil. Trident. ſeſſ. 4. de Edit. Sacr. Libr.*, *Synod. Provinc.* 1573. *Rubr.* 2. *cap.* 3., (b) *Synod. Diœc.* 1691. *tit.* 3. *cap.* 2. *n.* 2., (c) *Synod. Diœceſ.* 1610. *tit. de Bibliop.*

CAPUT X.

DE ABUTENTIBUS SACRA SCRIPTURA.

1. MEl de petra, [a] oleumque de ſaxo duriſſimo, elicit aliquando Deus, ad conſolationem Servorum ſuorum; Filii autem Satanæ, quod gemebundi conquerimur, non ſolum ex damnatis Novatorum ſcriptis, ſed etiam, quis credat? in propriam, aliorumque perniciem, ex ipſomet Libro Vitæ interitum hauriunt. Ad hanc ſacrilegam temeritatem reprimendam, ſtatuimus, ut quicumque Sacræ Scripturæ verba, Sententias, Hiſtorias, Catholicumque ſenſum, dictis, aut ſcriptis, ad vana, & ſcurrilia trahere tentaverit, ex Tridentino Concilio, [b] juxtà delicti qualitatem, debitas pœnas luat.

2. Qui autem, quod deteriùs eſt, eadem verba ſacra ad obſcœna, aut ad impias, & diabolicas incantationes, ſuperſtitiones, adulationes, detractiones, ſortes, famoſoſque libellos converterint, præter graviſſimum Sacrilegii reatum, & Omnipotentis Dei indignationem, noverint etiam ſeſe pœnam (c) centum aureorum pro prima vice incurſuros, quorum viginti quinque Delatori acquirantur, reliquum arbitrio noſtro in pias cauſſas relinquatur applicandum. Et qui, ſemel convictus de hoc ſcelere, rurſum in idem relapſus fuerit, ſciat dupliciter ſe eſſe puniendum, pœnamque, ut ſupra, proportionabiliter applicandam, eſſe ſubiturum: Qui verò tertiò idem crimen

crimen admiſerit, præter mulctam pecuniariam, ſeù corporis afflictivam, quoad non habentes in ære, Excommunicatione plectetur.

3. At quicumque ſcripta referta ſententiis, verbiſque Sacræ Scripturæ depravatis, vel ad venerea, vel ad impias, & diabolicas incantationes, ſuperſtitiones, famoſoſque libellos, detractioneſque detortis, publicè, aut privatim, conſcribere, legere, aliis communicare, vel apud ſe retinere præſumpſerit, Excommunicetur.

(a) *Deuter. c.* 32. *ver.* 13., (b) *ſeſſ.* 4. *in Decret. de edit. & uſu ſacr. libr.*, *Synod. Diœc.* 1619. *tit.* 1. *cap.* 3., *Synod. Prov.* 1573. *f.* 26., (c) *Synod. Diœc.* 1691. *tit.* 3. *cap.* 1. §. 2.

C A P U T XI.

DE SORTILEGIS, MALEFICIS, ET SUPERSTITIOSIS.

1. NOn minorem Deo, ejuſque orthodoxæ Religioni, contumeliam affert perdita nonnullorum audacia, qui, quaſi non eſſet Deus in Iſrael, *(a)* Beelzebub, Deum Accaron, Ochoziæ, impii Regis, æmulatores, cum abuſu plerumque Sacrarum Literarum, ſacrilegè conſulere non reformidant. Ut diabolica inventa, quæ, aut numquam, *(b)* aut raró, ſine tacito, vel expreſſo Cacodæmonis pacto, ac Idololatriæ labe, ſaltem materiali, & magna cum Animarum clade, ſemper exercentur, è noſtrâ Diœceſi funditùs exterminentur, & in barathrum, unde prodierunt, perpetuò detrudantur, innovamus, ac diligentiſſimè ſervari mandamus, quæ de ſacrilegâ hac, & deteſtabili corruptelâ, utraque Provincialis Synodus *(c)* Florentina, necnon Sacra Oecumenica Concilia, & Apoſtolicæ Conſtitutiones ſalubriter decrevere. Quare, ſub pœnis in iiſdem contentis, & arbitrariis, in caſus contingentia per Ordinarium declarandis, nullus, cujuſcumque gradus, ſexus, aut conditionis exiſtat, in poſterum audeat, per ſe, vel per alium, verbis, notis, cantionibus, caracteribus, ſignis, ligaturis, aut alio quocumque modo, maleficam, ſortilegam, veneficam, aut aliam quamcumque ſimilem, ſuperſtitionibus plenam, & perpetuò damnandam, Artem profiteri, colere, & docere.

2. Conſcios verò exercitæ ſuperſtitionis præſenti Conſtitutione monemus, ut infra Menſem à notitia delicti, nomina, cognomina, *(d)* & habitationem flagitioſorum hujuſmodi, Nobis, vel Vicario noſtro Generali, ſub pœnâ Excommunicationis, ſine cunctatione denuncient.

(a) 4. *Reg. c.* 1., (b) *Synod. Diœc.* 1619. *tit* 1. *cap.* 9., (c) *Synod. Prov.* 1517. *de Deo glorioſo c.* 5. *& ſeqq.*, *Synod. Prov.* 1573. *de Magic. Artib. Rubr.* 7., (d) *Synod. Diœc.* 1508. *lib.* 5. *tit. de Sacrileg.*

CA-

CAPUT XII.

DE BLASPHEMIS.

1. INter Satanæ Filios etiam illos recenſemus, qui, licèt nullâ tacitâ, vel expreſsâ Dœmonis invocatione, ut in ſortilegiis, & veneficiis frequentiùs accidit, Principem Tenebrarum colant, nec auxilium ab eo, aut favorem ullum implorent, os tamen impudenter [a] in Cœlum ponunt: &, veluti cooptati in nefariam illorum familiam, quibus veraciter à Domino dictum fuit: vos ex Patre Diabolo eſtis, (b) teterrimum hunc Patrem filii procaciores honorant; cum enim, vel propria, & inſeparabilia Divinitatis attributa, vero Deo auferunt, vel eidem vitia, Deitati eſſentialiter repugnantia, tribuunt, vel convicia, & contumelias in Beatos Cœli Cives evomunt; Deum, ac Deiparam, Sanctoſque in Empyreo regnantes, ſacrilegis verbis turpiter dehoneſtantes, quid aliud agunt, quam honorem, & reverentiam, & dilectionem, uni Creatori, ac Servatori Deo debitam, eidemque impiè ablatam, malo Dœmoni tribuere, cui ſimul, & Deo ſervire non poſſunt; cum odium, & contemptus unius dilectionem, & honorem alterius neceſſariò involvat?

2. Scelus adeò deteſtabile, linguaſque ſtygiis maledictionibus prorſus imbutas, ex ore Chriſtianorum, ab imis uſque radicibus, evellere cupientes, (c) confirmamus, & innovamus, quæ de Deo glorioſo, ejuſque Sanctis, verbo, & opere honorandis, in antiquis Conſtitutionibus Florentinis, rubro charactere prænotatis, & in Provinciali etiam Florentina Synodo, præſidente Archiepiſcopo Altovita, contra Blaſphemos decreta fuere; & Leonis X. Conſtitutionem, in Sacro Lateranenſi Concilio editam, à Julio III. primum, deinde etiam à B. Pio V. innovatam, confirmatam, & auctam, quà par eſt obedientiâ, recipimus, & ab omnibus noſtræ curæ ſubjectis ſervari, ac omninò volumus executioni demandari.

3. Quare Laici, in hoc verè diabolicum crimen incurrentes, pœnas à Sancta Sede Apoſtolica in dictis Conſtitutionibus decretas non effugient; Clerici verò, pro prima vice, fructibus unius anni omnium, & quorumcumque Beneficiorum ſuorum, pro ſecundâ, Beneficiis ipſis priventur, pro tertiâ, omnibus dignitatibus exuti, deponantur, & in exilium mittantur. Quod ſi Clerici nullum fortaſſe beneficium obtinuerint, pœnâ pecuniariâ, vel corporali, pro prima vice, puniantur; pro ſecundâ, Carceribus mancipentur; pro ter-

tertia, verbaliter degradentur, & ad Triremes mittantur. Si reliquos Sanctos blaſphemaverint, pro qualitate Blaſphemiæ, Ordinarii arbitrio puniantur.

4. Porrò Confeſſarii, Leonis X. monitis obtemperantes, abſque graviſſima pœnitentia, tamquam ſeveri Animarum Judicis arbitrio injunctâ, neminem Blaſphemiæ Reum in foro conſcientiæ abſolvant. Nefariâ verò conſuetudine Deum, B. Virginem Mariam, vel Sanctos blaſphemantibus, nullo modo, veluti de caſu Nobis reſervato, beneficium Abſolutionis impertiant.

5. Pœnitentes inſuper de obligatione denunciandi Nobis, vel hæreticæ pravitatis Inquiſitori, hæreticaliter blaſphemantes, juxtà dictam Julii PP. III. Conſtitutionem, & S. Inquiſitionis Edictum, ſub Excommunicationis latæ Sententiæ, & ipſorummet Blaſphemorum pœnis, contra non denunciantes ſtatutis, accuratè commoneant; & annorum decem Indulgentiam, obedientibus ab eodem Pontifice elargitam, quâ alacriores reddantur, annuncient.

6. Curent tamen, ut rudiores præſertim perſonas attentè edoceant, quæ verè blaſphemiæ ſint, ne hæc ignorantes, propter erroneam conſcientiam, lethaliter peccent, ubi verè mortalis malitia non intercedit; & ne, quo ad alios, temerè denuncient innocentes.

7. Memores propterea Parochi ſint execrabilem tàm ſacrilegi, & vere tartarei criminis atrocitatem, acri deteſtatione ſæpiùs commiſſis ſibi Populis increpare, & Summarium prędictę Bullę B. Pii V., Edictumque contra Blaſphemantes, in Additionibus Synodi appoſita, publicare.

8. Parentes quoque, ac Domini, filios, ac ſervos blaſphemantes ſeverè reprehendere, & coërcere non negligant, & in pravâ conſuetudine pertinaces etiam è domo eiciant, ne ipſimet, tam nefarii ſceleris tolerantiâ, divinam in ſe provocent ultionem.

9. Regiam interea Celſitudinem, Etruriæ fines, (*d*) zelo in Deum, ac providentia in Populum, feliciter moderantem, enixè deprecamur, ut noſtras haſce, ſeù veriùs Pontificias Conſtitutiones, per Civitatis, aut Comitatus Officiales, dignetur Edicto ſuo Populis publicare, & delinquentes ſeveriſſimis pœnis cohibere. Gladius enim, quo Principes armantur à Deo, numquam tutiûs, aut glorioſiûs, aut cum certiori Regiæ Domus incremento, ac propagatione, & feliciori cum Populorum quiete, ac proſperitate educitur, quàm cum evaginatur contrà iniquos, Divini Nominis honorem, gladio linguę, trucidantes.

(a) *Pſalm.* 72. *v.* 9., (b) *Joan.* 8. *v.* 44., (c) *Synod. Prov.* 1517. *fol.* 19., *&* 1573. *Rubr.* 10., *Synod. Diœc.* 1619 *tit.* 1. *c.* 10. *&* 1645. *tit.* 4. *cap.* 29. §. 2., *Synod.* 1573. *de blaſph. Rubr.* 10. *c.* 2.

CA-

CAPUT XIII.

DE SANCTORUM INVOCATIONE, VENERATIONE, RELIQUIIS, AC IMAGINIBUS.

1. SAnctorum Corpora, viva olim Chriſti membra, & templum Spiritus Sancti, nunc verò bonorum omnium largitoris Dei promptuaria, honorem, qui ex Apoſtolica traditione manavit, & in Catholica Eccleſia perpetuò retentus, & conſervatus fuit, merentur, & expoſcunt; quippequæ ad bona opera organum fuerunt animarum, ſunt inſtrumenta Dei ad Miracula perpetranda Fidelibus, unde glorioſus magis eſt Deus in Sanctis ſuis. Ut hæc igitur Cœli lumina, Eccleſiæ columina, & ornamenta poſt Deum maxima, debito cultu veneremur, omnibus, & ſingulis Fidei noſtræ commiſſis præcipimus, & mandamus, ut quæ de Sanctorum invocatione, Reliquiis, & Sacris Imaginibus, Tridentina Synodus, & Cathechiſmus Romanus decreverunt, ſub pœnis in eadem Synodo ſtatutis, firmiter teneant, doceant, obſervent. (a)

2. Parochi ergo, & Concionatores omnes, populum, ex iiſdem Concilio, & Cathechiſmo, edoceant, qua pietate, & devotione, quave reverentia Sanctorum memoria recolenda ſit, & quorum Reliquias, ſeù Imagines venerando agnoſcunt, eorum virtutes referre moneant imitando; &, ut quodcumque à rudibus, & ſimplicioribus, in huiuſmodi præſtando cultu, & adhibenda invocatione, erroris periculum caveatur, eos monitos reddant, Sanctorum Imagines, non ſacrilego Idolorum more, tamquam divinum aliquid eſſe adorandas, ſed omnem earumdem cultum ad Prototypa, quæ repræſentant, eſſe referenda; In hoc autem enixè inſiſtant, ut populum, ad Sancti alicujus adorationem, ſivè publicè, ſivè privatim, accedentem, moneant, tria hæc attentè conſideranda: (b) Auxilium Sancti, exemplum ejus, confuſionem noſtram. Auxilium ejus, quià qui potens in terra, potentior eſt in Cœlis, ante faciem Domini Dei ſui. Exemplum ejus, quià, quamdiù in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt, non declinavit ad dexteram, neque ad ſiniſtram, ſed viam regiam tenuit, donec veniret ad illum, qui ait: Ego ſum via, & veritas, & vita. Confuſionem noſtram, quia homo ille ſimilis nobis fuit, paſſibilis, & ex eodem luto formatus, ex quo & nos; quid ergo difficile, imò impoſſibile credimus, ut faciamus nos opera, quæ fecit, & ſequamur veſtigia ejus. (c)

3. Ad Sanctorum autem Reliquiarum venerationem, in locis hæ hone-

honeſtiſſimis clave obſeratis, cum hac Epigraphe, *Reliquiæ Sanctorum*; non tamen in ædicula Sanctiſſimi Sacramenti, ſuis in thecis, [*d*] eâ, quâ decet, honorificentiâ fabrefactis, & Ordinarii Sigillo munitis, nulli alteri rei, Sacræ quantumvis, intermixtæ aſſerventur: Ordinario irrequiſito non dividantur, aut minuantur, aut Sigilli fractione aperiantur, neve oſculandæ è capſulis, ubi clauduntur, extrahantur. Populo (*e*), ſolâ pietatis, non turpis quæſtus cauſsâ, miniſterio duntaxat Sacerdotis, Superpelliceo, & Stolâ induti, cereis falculis accenſis, nulloque eleemoſynam interim petente, vel ſpontè oblatam recipiente, & quidem raro, oſtendantur. In Proceſſionibus, ſub umbella, funalibus accenſis, à ſolo Sacerdote, Albâ, & Stolâ ſaltem induto, niſi fortè duobus, aut pluribus Diaconibus, etiam ſacro eorum habitu decoratis, ex ponderis immanitate indigeret adjutoribus, deferantur; numquam à Laicis; nec uno, eodemque tempore, quo in ipſa, vel in contigua Eccleſia, Venerabile Corporis Chriſti Sacramentum publicæ adorationi reperitur expoſitum. (*f*)

4. Reliquiæ Sanctorum omnes, quæ ſingulis in Eccleſiis, vel Oratoriis aſſervantur, in peculiari Catalogo affabrè deſcriptæ recenſeantur, dummodò à Nobis, vel à Prædeceſſoribus Noſtris recognitæ fuerint, & approbatæ: & tabella hujuſmodi per quoſcumque Eccleſiarum, Oratoriorum, & Confraternitatum Rectores, Cuſtodes, vel Adminiſtratores, in Eccleſia, ſeù Oratorio, vel alio contiguo decenti loco, ad majorem Dei, ejuſque Sanctorum gloriam, legenti cujcumque perſpicua appendatur. [*g*]

5. Ubicumque reconditæ, ne ſurripiantur, corrumpanturve, ac novæ ſine noſtra approbatione publicæ venerationi ne exponantur; ignotæ, & dubiæ Fidei, ſeparato, decenti tamen loco, ſerventur. Quicumque verò in aliquo ſupradictorum defecerit, pœnis à Jure conſtitutis, alijſque arbitrariis pro modo culpæ plectetur.

6. Ut autem Sacræ Imagines effectum illum ſanctificationis populorum ſortiantur, ad quem ſanctiſſimi naſcentis Eccleſiæ Patres, ab Apoſtolorum uſque temporibus, eas inſtituêre, Provincialis Synodi, (*h*) & aliorum Prædeceſſorum Decretis inhærentes, omninò, ſub pœna quinquaginta aureorum, quorum medietas delatori publico, vel ſecreto quæratur, reliquum verò in pios uſus, arbitrio noſtro, erogetur, prohibemus, ne inſueta quæpiam Imago, vel inſolito modo pingatur, ſculpatur, aut apponatur, præſertim in Eccleſijs, aut aliis religioſis, piis, ac etiam publicis locis, nihilque in eis indecorum, obſcænum, profanumque, habitu, vultu, actione, ac totâ prorſus effigie conſpiciatur, quo Fidelium mentes, aut

oculi offendi poſſint, ſed ejuſmodi Sacræ Icones effingantur, quæ intuentium pietatem excitent, quæque ab exemplari ſuo, juxtà probatam Eccleſiæ conſuetudinem, minimè aberrent.

7. Omnes Eccleſiarum, & quorumcumque Piorum Locorum Rectores, ſeù Cuſtodes, infrà tres Menſes ab hujus promulgatione Decreti, certiores Nos reddant, an ullibi in eorum Eccleſiis, & Oratoriis, vel finitimis in locis, quantumvis profanis, Sacræ Imagines ullæ palàm expoſitæ contra ſuperiùs definita, noſtro juſſu, & eorum ſumptu, quorum intereſt, utique emendandæ, vel penitus amovendæ, ac delendæ reperiantur.

8. Et ne in poſterum contra Sacrarum Imaginum decus, ac puritatem quidpiam attentetur, eas publicis in locis exponi, præſertim verò in Eccleſiis, Nobis inconſultis, & noſtrâ permiſſione minimè obtentâ, ſub pœna decem florenorum in pios uſus applicanda, quartâ parte accuſatori quærendâ dumtaxat exceptâ, aliiſque pœnis arbitrio noſtro infligendis, tàm contra dictorum Piorum Locorum, Eccleſiarumque Rectores, ſeù Cuſtodes, aut Officiales, quàm contra omnes Artifices in iis effingendis, vel collocandis operam dantes, omninò inhibemus. [*i*]

9. Indiſcretam etiam quorumdam pietatem improbamus, qui Sanctiſſimæ Crucis Signum, vel Sacras alias Imagines, immundis in locis, ſivè in pavimentis indecore conſtituunt, non ſine alicujus irreverentiæ populorum, ſaltem involuntariæ, aperto diſcrimine, ne poſthac ullatenus ita collocentur, (*k*) & ut ſic collocatæ, quantocyus removeantur, contra inobedientes graviter animadverſuri, decernimus.

10. Confertas nocte utriuſque ſexus turbas, & ambulationes, quantumvis ad explenda pietatis officia, & ad Sanctorum venerationem extrinſecus directas, veluti ſcandalis plerumque anſam præbentes, eliminare ſtudemus: Quamobrem populares Nativitatis, & Aſſumptionis Deiparæ, aliorumque Sanctorum Solemnitates, quæ in aperto, extra Eccleſias, & Oratoria, quandoque ad noctem protrahuntur publicis in viis ante Sacras Imagines, vulgò *Tabernacoli*, vel ante parva Oratoria, ità dumtaxat probamus, ut ante vigeſimam quartam diei horam ſacræ inibi Preces, ſi quas decantari, vel recitari contigerit, omninò conticeſcant, & cereæ faces, & luminaria ad pompam accenſa extinguantur, populique concurſus, ex horæ tarditate ſuſpectus, arceatur, ſub pœna amiſſionis Ceræ ante ipſas Imagines, vel occaſione apparatus circumcirca collocatæ, necnon ſeveri arbitrii noſtri contra tranſgreſſores.

11. Ne

11. Ne quæ ad Chriſtianam pietatem confovendam, & excitandam, Spiritu Sancto edocta, adinvenit Eccleſia Dei, in ejus unquam ludibrium, perniciemque noſtram vertantur; veteris, aut novi Teſtamenti hiſtorias, aliorumque Sanctorum præclara geſta ſcenico apparatu ſpectanda exhibere; multoque minus Chriſti Salvatoris Noſtri necem, Paſſionemque Sacratiſſimam repræſentare, (*l*) canere, aut recitare, cum pluribus perſonis, aut aliis indumentis, quam ab Eccleſia, & Miſſali, ſeù Rituali Romanis præſcribatur, ſub pœna arbitrii diſtrictè prohibemus, niſi noſtrâ, vel Vicarii noſtri Generalis obtentâ in ſcriptis facultate.

12. Imagines Sanctorum Dei, qui cum opinione ſanctitatis ex hac vita migrarunt, (*m*) ad formam Decreti Urbani PP. VIII., donec ritè Beatorum, vel Sanctorum Catalogo ex Apoſtolicæ Sedis judicio adſcribantur, nec cum laureola, nec cum alio aſſertæ ſanctitatis indicio pingantur, ſculpanturve, neve publicæ venerationi exponantur, nec accenſis luminibus palam honorentur, nec votivarum tabellarum, (quæ tamen privatim offerri, recipique licitè poſſunt, & ſecreto aſſervari etiam debent,) conſpicuâ appenſione diſtinguantur. Ijs exceptis, quibus idem Pontifex, vel ex communi Eccleſiæ conſenſu, vel ex immemorabili conſuetudine, præjudicium ſe nolle inferre declaravit. (*n*)

(a) *Seſſ.* 25. *de Invocat. vener & Reliq. SS.*, *Cathechiſ. par.* 3. *cap.* 2. *ſect.* 1., (b) *Sanctus Bernardus in Vigil. Petri, & Pauli*, (c) *Synod. Diœc.* 1619. *tit.* 1. *cap.* 5. §. 1. *& ſeqq.*, (d) *Synod. Diœc.* 1681. *tit.* 16. §. 3., *Synod. Prov.* 1573. *Rubr.* 3. *cap.* 1., (e) *Synod.* 1619. *tit.* 1. *cap.* 5. §. 4., (f) *Synod.* 1681. *tit.* 16. §. 3., (g) *Synod.* 1619. *tit.* 1. *cap.* 5. §. 5., (h) *Synod.* 1573. *de Sacr. Imag. Rubr.* 4. *c.* 1. 2. & 3., & *Synod.* 1619. *tit.* 1. *c.* 5., (i) *Synod. Diœc.* 1610. *tit. de Sacr. Imag. fol.* 16., (k) *Synod. Diœc.* 1645. *tit.* 1. *de Sacr. Imag. cap.* 15. §. 5., (l) *Synod.* 1573. *Rubr.* 5. *cap.* 4., *Synod.* 1610. *tit. de ſpectac. fol.* 18., *Synod.* 1619. *tit.* 1. *cap.* 7, (m) *Synod.* 1645. *tit.* 1. *c.* 15. §. 2., (n) *Synod.* 1645. *ubi proximè ſupra.*

CAPUT XIV.

DE INDULGENTIIS.

1. Quia Sanctorum cultui plurimum cohæret Indulgentiarum elargitio, quas Summus Pontifex, in Sanctorum præcipuè Solemnitatibus, ad Fidelium in eos devotionem accendendam, certo modo, & quibuſdam injunctis precationibus, aut operibus imper-

titur Sanctorum eorumdem Eccleſias viſitantibus, vel Imagines ex Metallo confectas devotè geſtantibus; huc proindè ſpectare viſum eſt de ipſis Indulgentiis, quæ in Domino credimus expedire, ea ſalubriter ſtatuere, & ordinare.

2. Primitùs verò, quæ Tridentini Patres de Indulgentiarum poteſtate, earumque uſu Fidelibus ſaluberrimo, Spiritu Sancto dictante, pronunciarunt, ea ab omnibus regimini noſtro ſubjectis doceri, & prædicari volumus, & mandamus.

3. Parochos omnes extrà Civitatem, & quoſcumque alios rudibus in Chriſtiana Lege erudiendis præpoſitos, ſedulo monemus, ut ſæpiùs in anno, ſed præſertim inſtante Jubilæo, vel alià imminente opportunitate lucrandi Indulgentias, quam præcedenti Dominicâ per dictos Parochos Populis annunciari volumus, ſi locus viſitandus trium milliarium diſtantiam non excedat, earumdem Indulgentiarum vim, naturam, & efficaciam commiſſæ ſibi plebi facili methodo aperiant; ut ritè omnes intelligant, Indulgentiarum ope, quæ quandoque per modum ſuffragii pro Animabus in Purgatorio detentis applicari poſſunt, pœnam temporalem, etiam poſt ſacramentalem abſolutionem peccatis noſtris debitam, & omninò, vel in hac vita jugibus lacrymis contritionis, ac voluntariâ carnis maceratione, aliiſque piis ſanctificationis operibus delendam, vel in altera Purgatoriis ignibus luendam, ex materna Eccleſiæ Indulgentia relaxari; totam quidem, ſi Indulgentia Plenaria ſit, in parte verò, ſi limitata ad annos, vel dies; quo caſu tantumdem Nobis debitæ pœnæ remittitur, quantum tot annorum, vel dierum Pœnitentiâ, juxtà antiquam Eccleſiæ praxim, promeruiſſemus. (*a*)

4. Conditiones item pro lucrandis Indulgentiis neceſſarias indoctæ plebi explicent, ac declarent; immutabilem alteram, videlicet, ut prævio Pœnitentiæ Sacramento, vel actu contritionis ſaltem elicito cum voto Confeſſionis, lethalis culpæ maculas, ſi quibus quis inquinatur, abſtergat; Non enim peccati pœna remittitur, niſi venia culpæ præceſſerit: Alteram ex parte operum injunctorum non ſemper uniformem, ut ea omnia fideliter impleantur, quæ Summus Pontifex in Indulgentiarum conceſſione exequenda præſcripſit.

5. Hujuſmodi autem frequentiora ſunt Sacramentorum Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ perceptio; certæ Eccleſiæ, vel Eccleſiarum viſitatio; aliquarum precum, juxtà Pontificis mentem, intenta perſolutio; unius, vel plurium dierum Jejunium; & alicujus eleemoſynæ largitio, non ex facultatibus, ſed ex devotione largientis metienda.

6. Quo-

Digitized by Google

6. Quoties, Jubilæi, vel Indulgentiarum Univerſalium (h) occaſione, plures Eccleſiæ fuerint viſitandę, earumdem electio, extra Civitatem, & Suburbia, ad ſolos Plebanos, alioſve Matricium Eccleſiarum Rectores pertinet: Quibus ſummoperè commendamus, ut hac in re diligenter animadvertant, ne Eccleſias eligant Populo nimis incommodas. Et ut talis electio Eccleſiarum majori cum pace, & concordia Presbyterorum, & ſpirituali populorum proventu fiat, Plebanus, antequam Eccleſias eligat, ac determinet, nonnullos ex antiquioribus Parochis, aut Rectoribus ſui Plebatus in conſilium adhibeat, & ab illis petat, quid hac in re facto opus ſit, & eorum auditis ſententiis, determinet, quid ſibi in Domino viſum fuerit ad publicum Animarum bonum expedire.

7. Eleemoſynam, niſi ſpecialiter eam Summus Pontifex, prout in Jubilęo plerumque conſuevit, injungat, non eſſe neceſſariam pro Indulgentię conſecutione Parochi doceant, omnemque tunc avaritię ſuſpicionem evaſuri, à Capſulis in Altari, ſeù alibi apponendis, & ab omni Eleemoſynarum exactione prorſus abſtineant; Quod ſi ſecus fecerint, graviſſimas arbitrii noſtri pœnas dabunt: Voluntarias tamen oblationes in Eccleſiarum utilitatem, numquam verò in privatam Parochorum commodum, niſi Eccleſiæ redditus infra valorem quinquaginta aureorum fuerint, convertendas, non prohibemus.

8. Cum verò ex Pontificia Lege conditio Eleemoſynæ fuerit implenda, tunc conſuetas in Altari Capſulas clavi obſeratas collocari minimè vetamus; ſed jubemus; Pecuniam autem omnem, inibi ex Fidelium oblatione collectam, noſtræ diſpoſitioni in Pauperes diſtribuendam reſervamus.

9. Ne Fideles, quibus difficilis eſt ad Civitatem acceſſus, tali ac tanto ſpirituali theſauro fraudentur, omnes Ruralium Eccleſiarum Præpoſitos hortamur, ut, ſi Eccleſias prædictas viſitantibus nulla ab Apoſtolica Sede conceſſa reperiatur Indulgentia, eam à Summo Pontifice, ſaltem in die anniverſario Conſecrationis eiuſdem Eccleſiæ, vel quo Feſtivitas Sancti Titularis celebratur, impetrare, & lapſo tempore, ad quod conceſſa fuerit, denuo renovari procurent, operamque etiam noſtram ad hoc, ſi requiſiti fuerimus, libenter impendendam ſpondemus.

10. Ea eſt materna Eccleſiæ benignitas, ut fidelibus ſuis, ex naturæ infirmitate peccantibus, ad culpæ, pœnæque reatum prorſus abolendum, remedia ſemper, & numero plura, & inventu obvia, & applicatione faciliora proponat. Huiuſmodi profectò ſunt precarij glo-

globuli, vulgò *Roſarj*, *e Corone*, Cruces, ac Sanctorum Imagines, auricalcho, vel alio metallo expreſſæ, vulgò *Medaglie*, quibus Benedictio acceſſerit Summi Pontificis, quamplures Indulgentias ſub certis conditionibus, etiam in Mortis articulo, largientis ſingulis ea devotè geſtantibus. Quamobrem, ut omnes oblatis Divinæ Miſericordiæ divitiis fruantur, Parochos univerſos monemus, ut ſubjectis ſibi utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, ad comparandos ejuſmodi theſauros, deſiderium vehemens inſtillent, & in quantum facere poſſunt per ſe etiam, vel per alios largiantur.

11. Meminerint tamen novas Indulgentias, utcumque Literis Apoſtolicis roboratas, quæ in poſterum obtinebuntur, à nullo etiam cujuſvis Ordinis Regularis, licèt pro eorum exemptis Eccleſiis impetratas, abſque noſtra, aut Vicarii noſtri Generalis licentia in ſcriptis obtinenda, & nonniſi accedente conſenſu duorum de Capitulo Eccleſiæ noſtræ Metropolitanæ poſſe publicari, evulgari, aut quomodocumque proponi, & prædicari, ſub pœnis à Nobis, juxtà perſonarum, & caſuum circumſtantias, infligendis, ut ſupra etiam in titulo de Prædicatione Verbi Dei prænotavimus.

(a) *Synod. Prov. Flor.* 1573. *Rubr.* 45. *cap.* 1., *Synod. Diœceſ.* 1681. *tit.* 15. §. 1., (b) *Synod.* 1637. *tit.* 16. *fol.* 23.

CAPUT XV.

DE FESTORUM DIERUM OBSERVANTIA.

1. Solemnioribus potiſſimum anni diebus à Summis Pontificibus diſpenſari conſueverunt Sacri Indulgentiarum Theſauri, ut tunc præcipuè Chriſti Domini, Deiparæque, ac aliorum Sanctorum merita, ex materna Eccleſiæ Indulgentia, in noſtrorum cedant ſatisfactionem delictorum, vel in ſuffagium Defunctorum applicentur, cum ipſius noſtri Servatoris, ejuſque Sanctiſſimæ Genitricis, vel Sanctorum ejus præclara geſta, aut beneficia commemorantur. Ut igitur Deus, & Dominus Noſter Jeſus, Beatiſſima Virgo Maria, & Electi omnes cum eo corregnantes in Cœlis, quorum propemodum ære, ideſt Chriſti Domini merito infinito, ejuſque, ac Sanctorum ſatiſfactionibus cumulatus eſt inexhauſtus Eccleſiæ theſaurus, Indulgentiarum occaſione nobis à Summo Univerſalis Eccleſiæ Moderatore reſeratus, eo, quo par eſt, obſequio, & fructu à fidelibus honorentur, Feſtorum dierum ab Eccleſia indictorum obſervantiam proponimus.

2. Verum ad quid Sanctis laus [a] noſtra? Ad quid glorificatio noſtra? Ad quid hæ ipſæ noſtræ ſolemnitates? Planè, quod eorum memo-

memoriam veneramur, noſtrâ intereſt, non ipſorum, ut Protectores habeamus in Cœlis, quorum ſolemnia ritè agimus in terris, & ut graviſſima Divinæ ultionis flagella, cervicibus deridentium Sabbatha à Vindice Deo, qui honorem ſuum nemini dat, toties denunciata, & jam nobis impendentia, tempeſtivè avertamus.

3. Feſtos itaque dies, quibus, vel præcipua Fidei noſtræ Myſteria recolimus, vel anniverſariâ gratulatione Sanctorum præconia decantamus, ità tranſigere, & celebrare debemus, ut internos animi morbos, quos per hebdomadam, temporalium negociorum contagio contraximus, hos, Feſto die recurrente, ſpiritualibus dumtaxat intenti, ſalubriter repurgemus.

4. Parochi propterea Dominicum de Sabbatho cuſtodiendo Præceptum, in Dominicæ diei obſervationem ex veteri Eccleſiæ inſtituto primùm tranſlatum, & ad alias etiam dies infra annum à Sede Apoſtolica variis vicibus extenſum, prout in Conſtitutione Urbani Papæ VIII. [*b*] latiùs declaratur, & nuperrimè ad Feſtum Immaculatæ Conceptionis B. M. V. pro die octava Decembris à SS. D N. Clemente XI. prorogatum, populis ſibi commiſſis annuncient; Hos igitur dies tantummodo, quorum ſpecialem Catalogum in additionibus damus, ab omnibus indiſtinctè colendos, Parochi præſertim Rurales die Dominicâ inter Miſſarum ſolemnia de hebdomada in hebdomadam anticipatè proponant, (*c*) ſub pœna toties quoties defecerint, aureorum quatuor. Ceteras verò Feſtivitates, hucuſque etiam ex immemorabili conſuetudine celebrari ſolitas, ſive Sancti Titularis, ſive Patroni, vel Dedicationis Eccleſiæ, citrà Eccleſiæ Univerſalis præceptum obſervandas, in poſterum proclamare minimè audeant (*d*); ſimulque doceant totos hos dies, ex eorum inſtitutione, in ſacris meditationibus, Divini Verbi auſcultatione, celebratione Divinorum Officiorum, aliiſque piis operibus fore impendendos, ut Provinciales Florentinæ Synodi, quas innovamus, & Tridentinum generale Concilium, & B. Pius V., quorum monitis humiliter obtemperamus, hortantur.

5. Præcipuè tamen commemorent, omnes ſeptennio majores, nec legitimo impedimento detentos, ſub pœna peccati mortalis, teneri his diebus integræ Miſſæ Sacrificio devotè aſſiſtere, & ab omni opera ſervili prorſus abſtinere.

6. Quoad primum attinet, Parochis omnibus, tàm Secularibus, quàm Regularibus, aliiſque curam Animarum gerentibus, ſtrictè præcipimus, ut ſingulis diebus ex Eccleſiæ præcepto Feſtivis, Sacrum Miſſæ Sacrificium in propria Eccleſia per ſe, vel per alios

cele-

celebrent, ſub pœna lethalis culpę, & ſuſpenſionis à Divinis, aliiſque infra, ubi de Parochi officio agetur, conſtitutis, niſi fortè ad Eccleſiam Plebaniam, vel ad alias Eccleſias, ſeù Confraternitates, ejuſdem tamen Plebatus, nec ultra duo milliaria, nec Fluvio intermedio diſſitas., & Solemnitatibus Paſchatis, Pentecoſtes, Omnium Sanctorum, & Dominicæ Nativitatis exceptis, Titulare Feſtum, ſeù Dedicationem talis Eccleſię, ſeù Confraternitatis celebraturi, prævià in præcedenti Feſto de eorum proxima abſentia Populi monitione, ſe contulerint; Quo caſu excepto, & tunc ſervatâ inter Parochos alternativâ accedendi ad ſupradictas Eccleſias, & turnatim celebrandi in proprijs ad commoditatem populorum, à ſacro cæteroquin faciendo in ſua Eccleſia ſine licentia noſtra numquam abſtineant. (*f*)

7. Et ne regulam Parochis inconcuſsè conſtitutam, de non celebrando Miſſam in diebus Feſtis extrà propriam Eccleſiam, frequentia caſuum abſorbeat, & irritam prorſus, ac ineſſicacem reddat, declaramus Feſta ex devotione, vel ex Voto alicubi celebranda, etiam intra Plebaniam, nullatenus excuſare Parochos, ut licitè, & ſine incurſu pœnarum ſuperius indictarum, è propria Parochia, non ſubrogato altero idoneo Sacerdote ibidem celebraturo, diſcedant aliò ſacrum facturi; ſed quò commodiùs utrumque per ſemetipſos preſtare poſſint, Sanctorumque cultui ſimul, & populorum commoditati conſulentes, jubemus, ut ſimilia Feſta votiva (*g*), quoties in diem ex Eccleſię precepto feſtivum inciderint, tunc in aliam proximam diem non impeditam transferantur.

8. Commiſſum ſibi gregem Parochi diebus hiſce ſanctificatis diutiùs; quandiù tempus, & locus tulerit, in Eccleſia detineant ſacris exercitationibus occupatum, ad frequentem Sacramentorum perceptionem alliciant, Pœnitentiæ tribunal ſpontè, ac nemine vocante conſcendentes, ibique errantem aliquam ovem, quæ Paſtorem, ſeu Confeſſarium, in loco excipiendæ Confeſſionis repertum, ſine ullo penitus rubore, metu, ac diffidentia libenter adit, expectent; oves itidem ſuas Chriſtianæ Doctrinæ rudimentis lactent, Verbi Divini pabulo inter Miſſarum ſolemnia paſcant, ac divinis veſpertinis officiis, vel ſaltem, ſi legendi, ac canendi periti non ſuppetant, Sanctiſſimi Roſarii, aliarumque precum altâ, & communi recitatione, ipſis præeuntibus enutriant, ut in virentibus Eccleſiæ pratis ſaginatæ, ad limoſa ſeculi paſcua non divertant.

9. Et ut Fidelibus, in Sacro Eccleſiæ Ovili congregatis, vel ad illud properantibus, omnis tollatur occaſio declinandi à proprio Paſtore,

ſtore, & alienum ſequendi, peſſimum hominum genus, (b) in diebus Feſtis, vel ſi quando particularis aliqua Solemnitas habetur, præſertim dum Divina celebrantur Officia, vel alia Sacra Exercitia peraguntur, ſub gravibus pœnis procul ab Eccleſiis, Confraternitatibus, & Oratoriis, eorumque ambitu per trecentos paſſus, in Villis verò, & Caſtris ſine ulla diſtantiæ limitatione, ſub iiſdem pœnis penitus arcemus. Hujuſmodi ſunt Præſtigiatores, Circulatores, Comœdi, Cantores, Nugatores, Aſtrologi, & alii ejuſdem farinæ Nebulones, quos publicis, aut ſemipublicis in locis, præſertim in Villis, & Caſtris, dum Sacra pſalluntur, conticere omninò volumus, & mandamus, ne eorum cantionibus, ludis, choreis, ſpectaculis, ceteriſque nugarum blandimentis, divino mancipatos obſequio ad fabulas convertant; & ea omnia ſervari, quæ *Tit. 3. Cap. 2. num.* 23. ſancita ſunt.

10. Parochorum ſedulitati in paſtoralibus officiis naviter obeundis, & in corruptoribus Chriſtianæ modeſtiæ, quam præcipuè ſanctificati dies, & ſanctitas Eccleſiarum expoſcunt, eliminandis, populorum etiam pietas, zeluſque, ac devotio reſpondeant. Parentes igitur, ac Domini, grandiuſculos (*i*) utriuſque ſexus filios, ac ſervos, ſeù alio quocumque titulo ſubjectos, ſingulis Feſtis diebus ad Eccleſiam mittant, ut primis Chriſtianæ Legis Elementis imbuantur; Infantilem autem ætatem prætergreſſos, etiam ut Miſſæ audiendæ præcepto, quod poſt ſeptennium ligat, ſatisfaciant. Si qui verò Patresfamilias ex ſocordia neglexerint, vel ex animi pravitate, objecto etiam impedimento, parere detrectaverint, & pueros, puellaſque ab Eccleſiæ præceptis adimplendis impedierint, his profectò per Parochos, donec reſipuerint, Sacramenta, præterquam in Mortis articulo, rectà ceteroquin concurrente diſpoſitione, denegentur.

11. Peregrini, ſeù quicumque alij, iter Matutinum arripientes, Paſtores, vigili pecudum cuſtodià detenti, Ruſtici, neceſſaria, & quæ dilationem minimè patiuntur, agrorum officia, Parocho probante, peragentes; omnes denique, propriis exercitiis etiam in die Feſto vacantes, jure, vel conſuetudine, ut infra, permittente, ob victus, & ſocietatis humanæ neceſſitatem, ſemper, quantum fieri poteſt, (*k*) incruento primum Miſſæ Sacrificio diligentes interſint, eo cum ampliori animi fervore, quò totum præceptum Sabbatha ſanctificandi, quoad eos temporalibus curis reliquâ die diſtractos, in ſola ſacri auditione compendioſè ſolidatur.

12. Quod unanimi propè conſenſu omnium Ruralium Eccleſiarum in tota ferè Diœceſi laudabiliter conſuevit, ut in pervigilio

ſingularum Feſtivitatum ex Eccleſiæ præcepto ſervandarum, poſt datum ſignum Campanæ pro Salutatione Angelica Veſpertina, immediatè aliud ſignum, imminentis Solemnitatis rememorativum, omnium ſacræ Turris Campanarum cumulato concentu, eoque bis, aut ter repetito, ſubſequatur; Idipſum hac Nos perpetuò valiturâ ſanctione probamus, roboramus, & omninò in poſterum ubicumque extrà Civitatem ſervari, ac per omnes Rurales Parochos indiſpenſabiliter practicari volumus, & mandamus; ne rudes arvorum Coloni, aliique extra Urbem commorantes, eorum obligationis celebrandi ſanctos dies per incuriam unquam obliviſcantur, ſed imò ſocordes, vel immemores alacriùs excitentur.

13. Hactenus de obſervantia Feſtorum, proùt Eccleſiaſtico præcepto audiendi Miſſam à reliquis non feſtivis diebus diſtinguntur. Nunc ad eorumdem ſanctificationem, in Divina Decalogi Lege ſancitam, deſcendimus, quà à media nocte præcedente (*l*) ad mediam uſque ſubſequentem, quibus, veluti finibus, diei ſolemnitas inchoatur, atque concluditur, omne ſervile opus facere, jubente Deo, prohibemur.

14. Creatoris igitur obſequiis, ac venerationi Sanctorum conſecratos dies, non in avaritia, & in abuſione; non in comeſſationibus, & ebrietatibus; non in ſacrilegiis, & inimicitiis; non in vaniloquio, & in ſcurrilitate, quemadmodum monet Apoſtolus, (*m*) ſed in divinis beneficiis recolendis, Sanctorumque interceſſione promerenda, ac flagitiorum noſtrorum venia cum lacrymis impetranda, tranſigere, ac celebrare oportet.

15. Quamobrem ab omni prorſus opere ſervili, diebus ab Eccleſia indictis [niſi agrorum neceſſitas, vel humani victus ratio, aliud ex benigna tolerantis Eccleſiæ interpretatione ſuadeant] præcipimus abſtinendum.

16. Agricolæ terram non exerceant (*n*) nullamque aliam ruralem operam ſylvis, aut agris impendant, etiam ſub prætextu triticum, uvam, alioſque fructus colligendi, (*o*) ſeù ad aream, & cellas tranſvehendi, exceptâ neceſſitate, & probabili fructuum eorumdem amittendorum, corrumpendorumve periculo, & tunc Miſsâ prius auditâ, ac de conſilio Parochi, qui tamen, nullà habitâ diſtinctione Hæbrei, & Græci, dives in omnes, qui invocant illum, haud quaquam uni permittat, quod alteri negat, ſed, circumſtantiis ritè penſatis, omnibus æquè, aut inhibeat, aut indulgeat; & quidem inter Miſſarum ſolemnia, ſi juſtam ſubeſſe cauſſam laborandi prudenter judicaverit, licitum, ac permiſſum agrariæ rei exercitium, pro illa vice, & ad illum dumtaxat effectum, qui moram non patitur, citrà diei feſti violationem, populo univerſo palam annunciet. (*p*) 17.

17. Vectores rerum ad mercaturam, vel ad neceſſarium hominum victum abſolutè pertinentium, quarum propterea quotidianus eſt uſus, & ſine quibus reſpublica ſtare non poteſt, minimè prohibentur, quin merces, & poculenta, ac eſculenta, ſive onuſtis humeris ferant, aut navi, aut plauſtro, aut etiam jumentis licitè de loco ad locum traducant, ac eſui, potuique neceſſaria impunè prorsùs vendant: Numquam tamen liceat ligna, prunas, ſeù aliud quidpiam combuſtioni deſtinatum, & multò minus onera, quæ ab humano victu longiùs diſtant, quomodocumque tranſportare, ſub pœna ſcutorum duorum pro prima vice, quinque pro ſecunda, decem verò pro tertia, Piis Locis applicandorum, aliiſque ſub pœnis arbitrio noſtro decernendis. (*q*)

18. Cujuſvis generis Officinæ, ſub pœna mercium proſtantium, nullo deſuper fabricato proceſſu, (*r*) amittendarum, penitus claudantur, exceptis, pro cura ægrotantium, & pro victus neceſſitate, Aromatariis, Lanionibus, Salſamentariis, Cauponibus, & aliis eſculenta, ac poculenta vendentibus, quibus tamen jus ſit aperiendi dumtaxat juxtà conſuetudinem cujuſque loci, & intra Civitatem per vices, ad normam extractionis fieri conſuetæ per DD. Officiales Graſciæ, vel per DD. Conſules Artis Medicæ, ea profectò cum moderatione, ne fores Apothecæ penitus pateant, nec venalia proſtent ad pompam, ſed quodammodò latentia petentibus identidem proferantur.

19. Sicubi commune ſit oſtium Domus, & Apothecæ, per quam unicè pateat ad manſiones aditus, momentaneam januæ hujuſmodi aperitionem, intrantibus Domum, & indè exeuntibus neceſſariam, non prohibemus, dummodò confeſtim occludatur, nec vetitæ mercium emptioni, aut venditioni ullatenus deſerviat: Si quos verò non puduerit, licitæ aperitionis obtentu, Legem infringere, ac violare, ij & pœnam per Sacros Canones, & per noſtras Conſtitutiones tranſgreſſoribus ſuperiùs inflictam incurrent, ac vindicis Dei furorem in ſe, tamquam Sabbatha (*ſ*) violantes, concitabunt.

20. Nundinas, diuturnâ nimis conſuetudine jam confirmatas, & univerſale publici commercii commodum involventes, toleramus; Negotiationes autem, & Contractus, qui pietatem non redolent, omninò prohibemus. (*t*)

21. Judiciorum etiam ſtrepitu perturbari dies divinis obſequiis peculiarius conſecratos penitus vetamus; ruralibus tamen Judiciis exceptis, quæ diebus utilibus, ſine maximo Agriculturæ dipendio, exerceri vix poſſunt. (*u*)

22. Patres, matreſque familias, nullo modò famulis, ac famulabus

permittant, ut pro particularibus eorum indigentiis in die feſto laborent, ſed intra hebdomadam congruum eis tempus indulgeant, quo propria indumenta reſarcire, aliiſque privatis neceſſitatibus, ſine feſtorum dierum violatione, poſſint incumbere. (*x*) Si ſecus ſine juſta, aut neceſſaria cauſſa fecerint, contrà divinum de Sabbathi ſanctificatione præceptum graviter peccare ſe noverint, nec ante reſipiſcentiam, nec ſine vehementi objurgatione, ac ſeveriori pœnitentia, cum ceteris dierum feſtorum contemptoribus, à Confeſſariis, quorum conſcientiam oneramus, forè abſolvendos.

23. Pauperes, ac miſerabiles perſonæ, ſi fortè ex prudenti Parochi, vel Confeſſarii judicio, ad neceſſariam vitæ ſubſtentationem ſervile aliquod opus in die feſto exercentes, tolerentur, cautè prorſus, ac privatim, & ſecluſo aliorum ſcandalo, benignâ hujuſmodi permiſſione utantur. (*y*)

24. Ceterum Parochis omnibus, & Confeſſariis, etiam Regularibus, diſtrictè præcipimus, (*z*) ut Pœnitentes violatæ feſtivitatis reos, de criminis gravitate ſeverè commoneant, increpent, durioriqué injunctâ pœnitentiâ ab ulteriori lapſu perterrefaciant.

25. Et ne ad obvium ementitæ ignorantiæ remedium Populi contumaces, contra ſuperiùs conſtituta, confugiant, Parochos omnes, tàm Seculares, quàm Regulares, Urbanos æque, ac Rurales, ſub pœna arbitrio noſtro reſervata, omninò monemus, ut pœnas tranſgreſſoribus indictas, in ſolemnioribus anni Feſtivitatibus, & in majori populi frequentiâ, vernaculo ſermone commemorent.

26. Si verò Sanctis diebus in opera ſuperiùs recenſita, quia interdicuntur, incumbere non licet, quæ tamen, ſublatâ ſacri temporis reverentiâ, improbanda neutiquam forent, ſed potiùs, ad commune bonum tendentia, commendari, ac promoveri prorſus oporteret; multò minus licebunt ea, quæ idcircò prohibentur, quoniam, vel cum peccato patrantur, vel ad peccandum proximè invitant, ac planè trahunt. Ea propter Parochorum officium dolentes imploramus, ut comeſſationes omnes, compotationes, ebrietates, choræas, ludos, inhoneſtas cantiones, & lubricas puellarum cum viris familiaritates, etiam intuitu futuri Matrimonii cohoneſtatas, quibus ſolemniores plerumque dies abſumuntur, ſemper quidem in eorum Parochiis, ſed feſtivis præcipuè diebus penitus interdicant. Nimium enim dedecet divino cultui, & animarum medelæ dedicatos dies, in obſequium diaboli, & in præſentiſſimum ſalutis æternæ pertrahi, re diſcrimen.

(*a*) *S. Bernard. Serm.* 2. *de feſt. Omn. Sanct. ut in Breviar. lect.* 5. *diei* 6.

diei 6. infra Octav. Omn. Sanct., (b) *Conſtit. Urb. VIII. Univerſa edita idib. Septemb.* 1641. *la* 164. *in Bullar. nov. edit. Lugduni tom.* 4. *fol.* 230., (c) *Synod. Diœc.* 1645. *tit.* 3. *cap.* 22. §. 2., & 1691. *tit.* 2. *cap.* 8. §. 3., (d) *Synod.* 1645. *ubi ſupra*, & 1619. *tit.* 1. *cap.* 12. §. 1., (e) *Trident. ſeſſ.* 25., *B. Pius V. Conſtit. Cum primum* 1566., *Synod. Prov. Flor.* 1517. *hoc tit. c.* 1. 2. 3., & 1573. *c.* 1., & 2., (f) *Synod.* 1517. *Rubr. de Celebr. Miſſ. cap.* 6., *Synod. Diœc.* 1637. *tit.* 11., 1645. *tit.* 3. *cap.* 22. §. 7., 1691. *tit.* 2. *cap.* 3. §. 11. & 14., *Synod. Diœc.* 1699. *tit.* 18. *cap.* 8., (g) *Synod.* 1637. *tit.* 11., (h) *Synod.* 1517. *fol.* 24., & 1573. *Rubr.* 11. *c.* 1., & 1619. *tit.* 1. *cap.* 12. §. 5., (i) *Synod.* 1619. *tit.* 1. *cap.* 12., (k) *Synod.* 1517. *cap.* 1. & 2., & 1619. *tit.* 1. *cap.* 12. §. 6., (l) *Synod.* 1645. *tit.* 3. *cap.* 22. §. 1., (m) *Paul. ad Rom.* 13., (n) *Synod.* 1517. *f.* 24., (o) *Synod.* 1691. *tit.* 2. *cap.* 8. §. 8., (p) *Synod.* 1645. *tit.* 3. *cap.* 22. §. *Quod autem*, & 1691. *tit.* 2. *cap.* 8. §. 4., (q) *Synod.* 1517. *tit. de Feſtor. dier. obſer. cap.* 1., 1691. *hoc tit.* §. *ultimo*, (r) *Synod.* 1619. *tit.* 1. *cap.* 12., (ſ) *Ezech. c.* 20. *ver.* 13., (t) *Synod.* 1619. *tit.* 1. *cap.* 12. §. 4., (u) *Synod.* 1619. *dicto loco*, (x) *prædicta Synod.* §. 8., (y) *Synod.* 1619. *ubi ſupra*, (z) *Synod.* 1619. *hoc tit.* §. 4.

CAPUT XVI.

DE JEJUNIO.

1. BOna eſt oratio cum jejunio, [*a*] & ad infenſiſſimum quoddam Dæmoniorum genus eiiciendum [*b*] efficax utriuſque conjunctio neceſſariò deſideratur. Celebriores propterea Chriſti Domini, Deiparæque ſemper Virginis Mariæ, ac Sanctorum ſolemnitates, divinis obſequiis, & orationibus ſpecialiùs conſecratas, jejunia plerumque, ex Eccleſiæ præcepto providè ſancita, præcedunt, in quibus temperantia nobis in ciborum quantitate, ac delectu conſtituta, abſtinentiam præcipuè peccatorum ſignificat, ac planè promeretur: Jejunium enim magnum, & generale eſt abſtinere ab iniquitatibus, & ab illicitis voluptatibus ſeculi; [*c*] quod eſt perfectum jejunium. Ut itaque ex indicta obſervatione Feſtorum uberem, ac plenum fructum colligamus, ſervandi jejunii neceſſitatem, diebus, ac temporibus ab Eccleſia præſcriptis, [*d*] & in particulari Catalogo in Additionibus dando recenſitis, ordinatè proponimus, ac jubemus.

2. Quo-

2. Quoniam verò Jejunium Eccleſiaſticum, de quo, ad differentiam naturalis, hîc loquimur, duo diſtincta præcepta complectitur, alterum delectus ciborum, unicæ comeſtionis alterum, & utrumque ſub lethalis culpæ vinculo à media nocte præcedenti ad mediam ſubſequentem, ceſſante legitimâ diſpenſatione, inviolabiliter ligat; ità tamen, ut ſuperiùs omnes ſeptennio majores, (*e*) & quidem toties in una, eademque die iterato peccato, quoties vetitas dapes advertenter, & cum morali interruptione comederint; poſteriùs verò nonniſi poſt vigeſimum primum annum completum, ſemel tantùm in unaquaque die, utriuſque ſexus Chriſtifideles obſtringat.

3. In ſolemni proindè Quadrageſimali Jejunio vetatur, nedùm eſus carnium, quæ & in omnibus aliis jejuniis, & in ſexta quacumque feria, & Sabbatho per totum annum, exceptâ Domini Nativitate, prohibentur, ſed ovorum etiam, & lactis uſus interdicitur; quantumvis hæc eadem, & eiſdem admixta eſculenta, (*f*) extra Quadrageſimam, ex inveterata, ac receptiſſima Diœceſis, ac Provinciæ Florentinæ conſuetudine, Jejuniorum obſervantiam non infringant.

4. Siquis itaque, ſeptimum ætatis annum egreſſus, nec ritè diſpenſatus, ova, & lacticinia, ſivè per modum obſonii, ſive per modum condimenti in Quadrageſima comederit, vel in eadem, & in aliis quibuslibet jejunii diebus, vel in ſextis quibuſque feriis, vel Sabbathis, in toto anni decurſu occurrentibus, à carnibus minimè abſtinuerit: hunc ſingulis vicibus violati præcepti, & lethalis culpæ reum, &, creſcente contumaciâ, in fide ſuſpectum declaramus, à nullo prorſus tàm Sæculari, quàm Regulari Confeſſario, tamquam de Caſu Nobis reſervato, (*g*) ſine peculiari noſtra, vel Vicarii noſtri Generalis facultate abſolvendum, ſub pœna Excommunicationis contra Sacerdotes, etiam Regulares, inobedientes ſtatuta, juxtà Decreta Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium de die 9. Januarij 1601., & 20. Decembris 1602., quæ damus in Additionibus.

5. Quod verò ad aliam Jejunii partem pertinet; meridiano tantùm cibo contentos, ex præcepti neceſſitate, jejunantes volumus, horâ meridiei, non religiosè, ſed moraliter, ac juxtà loci conſuetudinem cognitâ: ſerotinam tamen, eamque modicam comeſſatiunculam, ubique locorum in praxi receptam, & ex Eccleſiæ indulgentia toleratam, non improbamus.

6. Parochis interea, ne ipſi fortè temerati Jejunii crimen admittant, quod imperitum vulgus, aliòque diſtractum, ignorantiam legis, aut certè oblivionem accuſans, identidem propulſat, præcipimus,

mus, & ſub eiſdem pœnis ſupra irrogatis, mandamus, ut Dominicis quibuſque diebus, (*b*) in majori populi frequentia, & dum Sacra Miſſæ Myſteria peraguntur, unà cum Feſtis de præcepto in hebdomada ſequenti celebrandis, jejunia quoque in eadem hebdomada ſimiliter ſervanda, ſi quæ occurrant, maturè denuncient, & culpæ gravitate inculcatâ, temerarios antiquiſſimæ legis, in utroque teſtamento Patriarcharum, ac Chriſti Domini, Sanctorumque omnium exemplo (*i*) commendatæ, temeratores ab obvia plerumque futili imbecillæ valetudinis, aut immanis laboris excuſatione deterreant.

7. Jejunii inſuper Quadrageſimalis initium per mediam circiter horam ante mediam noctem, (*k*) in ſingulis Parochialibus Eccleſiis, majori Sacræ Turris perſonante Campanâ, tempeſtivè populis indicent, ut in ipſo mediæ noctis articulo, juxtà horam, quæ ſingulis annis prænotatur in Libello ad Divinum Officium ritè perſolvendum impreſſo, tacente Campanâ, neminem lateat, ciborum vetitorum abſtinentiam tunc inchoare, & jejunii ſalutaris exordia conſecrari.

8. Quia verò infirma nonnullorum valetudo remiſſionem quandoque legis implorat, ut ab Jejunii præſertim Quadrageſimalis rigore tantiſper temperetur, in Edicto, per Nos quotannis deſuper promulgari ſolito, plures è Metropolitanæ noſtræ Capitulo, & ex reliquo Clero etiam Rurali ſeligemus, qui, prævio Medici alicujus Phyſici teſtimonio in ſcriptis redacto, eoque etiam neglecto, ubi Periti hujuſmodi copia defuerit, legitimè impeditos ab jejunii ejuſmodi obſervatione diſpenſent.

9. Attamen non ſine ſummo animi noſtri mærore conquerimur, effrænem Medicorum quorumdam facilitatem indultâ ſibi cognoſcendi, ac referendi facultate prorſus abuti. Proſpicientes idcircò pro Paſtorali noſtra ſolicitudine ne præceptum Eccleſiæ à Domino edoctæ, cujus jugum ſuave, (*l*) & onus leve eſt, cuiquam grave fiat; & ne immodicus, ac indiſtinctus diſpenſationum abuſus ſanctiſſimæ Jejuniorum legi, (*m*) quam uniformis utriuſque Teſtamenti conſuetudo ſervavit, faciat injuriam, Medicos omnes, & alios quoſcumque, quorum peritiam, ac fidem in perſcrutandis, probandiſque juſtis diſpenſandorum impedimentis inquirimus, & ſectamur, enixè in Domino rogamus, ac ſub interminatione Divini Judicii monemus, ne ad imparem Quadrageſimalibus cibis comparandis paupertatem, neve æconomicum familiarum levamen, ex menſæ uniformitate dimanans, uſquequaque reſpiciant; ne perſonis plerumque etiam ex aſpe-

ex aſpectu prorſus incognitis, & nullâ prævjâ cauſſarum inveſtigatione, oculari quoque corporum inſpectione non ſemel poſthabitâ, teſtes impedimenti literas conſcribant, ut ad cujuſcumque petentis inſtantiam etiam minimè cogniti fieri conſueviſſe, ex multiplicitate diſpenſationum, & ex integrâ familiarum deſcriptione ſuſpicamur: ſed unicam tuendæ, vel reparandæ valetudinis neceſſitatem admittant, & ea quidem cum moderatione, ut, ſi quibus ovorum, ac lactis uſus ad corporis incolumitatem ſufficiat, iis carnes penitus interdicantur, nec à tota Quadrageſimalis Jejunii obſervatione relaxentur, qui partem aliquam, viciſſim ſaltem, & alternatim, remotâ præſertim temporalis impotentiæ cauſâ, implere poſſunt.

10. Idipſum Parochi, præſertim Rurales obſervent, [n] quorum Religioni, extra Oppida, & ubicumque conſulendi alicujus Periti facultas non detur, totam ac liberam diſpenſandi Provinciam committimus.

11. Dedecet prætereà in lanienis, aliiſque tabernis carnes publicè, ac paſſim venales exponi, quando, tempore potiſſimum quadrageſimali, eiſdem veſci, ſeclusà legitimâ diſpenſatione, denegatur. Quamobrem jubemus, (o) ut ſtatis ſolummodò per Civitatem locis in tota Quadrageſima, & linteo aliquo velamine coopertæ, carnes retineantur, ac venundentur; & ne in cauponis, ac diverſoriis, & ubicumque cujuſvis generis epulæ parantur hoſpitibus, vetita, ut ſupra, reſpectivè obſonia, contra jejunii, vel abſtinentiæ leges, non exhibitâ diſpenſatione, apponantur. Quæ omnia ut inviolabiliùs obſerventur, & ut gravioris ſupplicii pœna, vel inobedientes à tranſgrediendo deterreat, vel inevitabili executione contumaces afficiat, Magiſtratus, & Officiales, ad hoc à Sereniſſimis Principibus conſtitutos, muneris ceteroquin ſui ſatis memores, & divinarum, humanarumque legum conſtantiſſimos aſſertores, ac vindices, etiam, atque etiam in Domino rogamus, ne Conſtitutionis noſtræ temeratores patiantur impunes, ſed ut acres, ac diligentes animadverſores ejuſcemodi delictorum facti, & peccatum exquiſitâ inveſtigatione detegant, & ſeveriſſimis ſubindè pœnis ad exemplum univerſorum puniant.

12. Jam verò, quia materna Eccleſiæ benignitas, non ſolùm ſpiritualiter lætantibus filiis adgaudens, ſed temporalibus etiam eorumdem quandoque commodis indulgens, indictæ abſtinentiæ præceptum, vel omninò tollit aliquando, vel in aliam opportuniorem diem transfert, ideo, unicum ſublati penitus præcepti caſum, & jejunii de una ad aliam diem transferendi regulas accuratè præmittimus.

13. Quo-

13. Quotiès igitur Nativitatis Dominicæ dies in feriam ſextam, vel Sabbathum, inciderit, ut gaudium noſtrum in tam magna feſtivitate ſit plenum, abrogato ciborum delectu, carnibus quibuſcumque nos veſci, niſi aliud obſtet particularis conſtitutionis, aut voti impedimentum, permittit.

14. Dominicis autem diebus intra annum omnibus, ab jeiunij lege ſolutos, gaudere nos in Domino jubet, & exultare; ita tamen, ut in Quadrageſima à vetitis cibis dumtaxat abſtineamus; Extra autem, & jejunia, quæ in Dominica, ratione ſequentis feſtivitatis, ceteroquin occurrerent, præveniamus in Sabbatho præcedenti. Quod & de ſolemnitate Sanctiſſimi Corporis Chriſti præcipitur extrà Civitatem, ſi quando celebrari contigerit in pervigilio S. Joannis Baptiſtæ, die vigeſima tertia Junii: non enim decet præcipuo Fidei noſtræ Myſterio inſignem celebritatem, aut carnium abſtinentiâ, aut jejunio contriſtare: Quamobrem tunc Vigiliam, & Jeiunium Sanctiſſimi Præcurſoris, in feriam quartam præcedentem, in diem nempè vigeſimam ſecundam ejuſdem Menſis Junii, anticipatè transferri mandamus. (*p*)

15. Et quoniam in ſolemnibus Supplicationibus, quæ totius Urbis, & finitimorum Populorum concurſu, pridie feſtivitatis ejuſdem Præcurſoris Florentiæ habentur, ad Protectoris noſtræ Civitatis præſidium implorandum, frequens jentaculorum abuſus, præſertim inter plebejos, cum publica jejunii violatione furtim irrepſerat, nec extirpari facilè poterat; Urbanus PP. VIII., publicæ lætitiæ commodo, conſcientiarumque ſecuritati proſpiciens, benignè indulſit, (*q*) ut in Civitate Florentina dumtaxat, vigilia feſtivitatis S. Joannis Baptiſtæ, quæ fit die 23. Junii, in vigeſimam ſecundam ejuſdem Menſis transferri poſſet, itaùt, translatione hujuſmodi arbitrio Exequutoris Apoſtolici ſemel decretâ, qui præcepto jejunii dictâ die 22. Menſis Junii ſatisfecerint, ad aliud jejunium in eadem vigilia minimè teneantur. Jubemus igitur, ut præfata translatio à Reverendiſs. quond. D. Thoma Ximenes Epiſcopo Feſulano, & Sede Florentina tunc vacante, Literarum Apoſtolicarum Exequutore, dudum ſancita, & inconcuſsè uſque modò ſervata, in Civitate tamen tantummodo, perpetuò attendatur.

16. Supradictis tamen caſibus dumtaxat exceptis, jejunia transferre, vel anticipare ex nulla penitùs cauſsa cuiquam licèt. Quamobrem etiam in ultima die Baccanalis intemperantiæ, quæ carnisprivii dicitur, ſervandum erit jejunium, ſi fortè ſequenti die, in ipſa feria quarta Cinerum, celebrari contingat feſtum Sancti Mathiæ Apoſtoli,

G ut de-

ut deſuper conſulta Sacra Rituum Congregatio die 23. Januarii 1694. reſpondit; cujus Oracula inviolabiliter ſervari mandamus.

17. Catalogum Jejuniorum in Additionibus exhibemus: & ne origo vigiliæ Immaculatæ Conceptionis Deiparæ, citrà præceptum univerſalis Eccleſiæ, intrà noſtram Civitatem dumtaxat particulariter obſervandæ, quemquam lateat, clar. mem. Petri Niccolini Prædeceſſoris noſtri Decretum innovamus, quo jejunium hujuſmodi, ex voto primum univerſæ Civitatis, propter peſtilentiæ liberationem, inſtitutum, deindè lapſu temporis vim legis adeptum, ad perpetuam obſervantiam promulgavit, ſervarique ex præcepto mandavit.

(a) *Tob. c. 12. ver. 8.*, (b) *Marc. 9. ver. 28.*, (c) *cap. Iejunium de conſecrat. diſt. 5.*, (d) *cap. non liceat, cap. non oportet, cap. placuit de conſecr. diſt. 5., & cap. Concil. de obſer. jejun.*, (e) *Synod. Diæc. Flor. 1645. hoc tit. §. 7.*, (f) *Synod. Diæc. 1619. tit. 1. cap. 1., 1645. tit. 3. de jejun. cap. 21. §. 6., 1691. tit. 2. cap. 9. num. 2.*, (g) *Synod. 1645. ubi ſupra §. 6.*, (h) *Synod. 1645. ibid. §. 10.*, (i) *Concil. Senon. Decret. 7. de jejun. Eccl.*, (k) *Synod. 1645. ubi ſupra §. 2.*, (l) *Math. c. 11. v. 30.*, (m) *Synod. 1619. tit. 5. cap. un. §. 3., & 1691. tit. 2. cap. 9. n. 4.*, (n) *Synod. Prov. Flor. 1573. Rubr. 32. cap. 2.*, (o) *Synod. 1645. cap. 21. §. 9.*, (p) *Sacr. Rit. Congreg. 24. Septembris 1628., Bulla Urbani VIII. ſub die 13. Octobris 1638., Synod. 1645. tit. 3. cap. 21. §. 4. in fin.*, (q) *Synod. 1645. d. §. 4. Ven. Natalis S. Io. Baptiſtæ.*

CAPUT XVII.

DE PIIS LEGATIS ADIMPLENDIS.

1. NE abſtinentiæ noſtræ, cum ambitioſa Phariſæi bis in Sabbatho jejunantis hypocriſi, contemnantur, ſed ut vocari verè jejunia, & dies acceptabiles Domino mereantur, pro Paſtoralis officii noſtri ſolicitudine, quâ vel maximè urgemur, pias Defunctorum voluntates fideliter omninò ſervari, & religioſiſſimè impleri mandamus. Retardatâ ſiquidem Piorum Legatorum executione, veluti colligationibus impietatis verè vincitur, & tamquam faſciculis deprimentibus graviſſimè oneratur avarum hominum genus, & virtus ipſa jejunii, hujuſmodi nexibus implexa, farcinìſque prægravata, planè ſuffocatur.

2. Cùm itaque, ob hæredum avaritiam, & Notariorum, vel negligentiam, vel impietatem, occultæ plerumque lateant, & quaſi cum Teſtatoris Cadavere tumulatæ piæ Defunctorum voluntates, præmortuo-

Digitized by Google

tuorum propterea levamini pariter, ac oneratæ viventium conſcientiæ providè caventes, præcipimus, *(a)* ut omnes Notarii (dummodò, juxtà leges loci, & conſuetudinem, id facere poſſint;) *(b)* & quicumque alii decedentium vota exſcribentes, de omnibus hæreditatibus, ſubſtitutionibus, legatis, & donationibus ad pias cauſſas, ſivè inter vivos, ſivè per ultimam voluntatem, relictis, intra decem dies à die obitus Teſtatoris, vel celebrati Contractus, notitiam Nobis, vel Vicario noſtro Generali, & iis inſuper, *(c)* ad quos pertinet, accuratè tranſmittant, ſub pœna Excommunicationis, & decem aureorum, delatori publico, vel ſecreto pro una medietate, pro altera verò Piis Locis applicandorum; quàm pœnam incurrere Notarios, ſivè Parochos, alioſque quoſcumque Notarii vicem ſupplentes, declaramus, elapſis decem illis diebus ſuperiùs aſſignatis. Et hæc quidem quoad Legata in poſterum facienda; reſpectu verò præteritorum, *(d)* ſub iiſdem pœnis mandamus, ut intra terminum unius Menſis à Synodi impreſſione, certiores nos faciant de pijs aliis diſpoſitionibus, quas, ſivè ex culpa hæredum, vel executorum, ſivè ex natura adiectæ conditionis, certè ſciunt nondùm fuiſſe plenè adimpletas. Et ad omnem ignorata Legis prætextum penitus eliminandum, Parochorum omnium, & Confeſſariorum zelum imploramus, *(e)* ut, & generaliter in ſacris Concionibus, & ſpecificè in Pœnitentiæ Sacramenti adminiſtratione, Notarios, alioſque ſuperiùs commemoratos, de onere denunciandi eis injuncto, & de Excommunicatione, aliiſque pœnis contra tranſgreſſores inflictis, ſeriò commoneant.

3. Ne verò hujuſmodi legatorum notitia pereat, ſed ut imò perenniter vivat, ſtatuimus, atque ſancimus, *(f)* peculiarem librum ad hunc effectum per Curiæ noſtræ Cancellarium ſpecialiter fore retinendum, in quo Notarii nomen, Teſtatoris item, & hæredis, ſeù legatarij, dies inſuper, & annus, & teſtes deſcribantur, Cancellarioque prædicto, pro ejus ſcriptura, & labore, duorum ſolidorum mercedem pro ſingulis adnotationibus aſſignamus, ab iis perſolvendam, quorum, vel quarum favorem eadem legata reſpiciunt.

4. Omnibus præterea Beneficia quæcumque Eccleſiaſtica, tàm reſidentiæ obnoxia, quàm ſimplicia, poſſidentibus, necnon univerſis Hoſpitalium, Confraternitatum, aliorumque Piorum Locorum Nobis ſubjectorum Gubernatoribus, Rectoribus, & Adminiſtratoribus, ſeu aliâ quâcumque appellatione nuncupatis, diſtrictè jubemus, ut in Inventario bonorum propriæ Eccleſiæ, Oratorii, ſeu Beneficii, prout infra, ubi de rebus Eccleſiæ agemus, ad Nos tranſmittendo, & ſub

iiſdem pœnis, omnia, & quæcumque onera, & obligationes, in fundatione dictis Beneficiariis, necnon Parochis, Hoſpitalibus, & Confraternitatibus, ſeu Congregationibus, in eorum reſpectivè Eccleſiis, & Oratoriis, quomodocumque, & quandocumque relicta, cum ipſarum fundationum exemplis, ſeu notula annorum, dierum, & nominum Notariorum, qui eaſdem pias voluntates in publica Inſtrumenta redegerunt, vel privatis in tabulis exaratas, publicæ fidei perenniter cuſtodiendas commendarunt, diſtinctè deſcribant.

5. Non tamen exindè Eccleſiarum, etiam Collegiatarum, Capitulis, ſeù Parochialium, Oratoriorum, Hoſpitalium, Beneficiorumque Rectoribus, Sacerdotum Congregationibus, & Centuriis, Monialium Monaſteriis, Laicorum Confraternitatibus, aliiſque Piis quibuſcumque Locis, ac Collegiis, noſtro ſaltem ſpirituali regimini ſubjectis, eorumque Miniſtris, Prioribus, Gubernatoribus, Cuſtodibus, Officialibus, Camerariis, Syndicis, aut quacumque ſub denominatione curam gerentibus, liberas uſquequaque manus, habenaſque permittimus, ut pia quævis onera, præſertim perpetua, Miſſarum, Feſtivitatum, Anniverſariorum, Dotium, Eleemoſynarum, Alimentorum, aliaque omnia, nullis prorsùs exceptis, tàm ex ultima præmorientium voluntate relicta, quàm ex Fidelium adhuc ſuperſtitum liberalitate oblata, Nobis inconſultis, noſtroque non expectato conſenſu, temerè ferenda ſuſcipiant; ne etenim, aut largitorum pietas datæ fidei fractione decipiatur, aut promiſſi tenax, perpetuò damno gravetur acceptor; congrua relicti honoris ad onus injunctum cognoſcenda proportio, Paſtoralis officii noſtri unicè reſervatur examini; (g) quamobrem, ſub infligendis arbitrio noſtro pœnis, nemo prorſus ſacræ cujuſpiam Familiæ, Congregationis, aut Collegii, Præſes, vel Procurator, Beneficiique cujuslibet Eccleſiaſtici Rector, ſeù Æconomus, onera ulla, quibus tractu temporis lædi unquam ex aliquo accidenti Eccleſia poſſit, abſque expreſſa noſtra, vel Vicarii noſtri Generalis permiſſione, adimplenda, & exequenda recipiat, ſed delatas hæreditates, legata relicta, & donationes, tàm inter vivos, quàm ex cauſſa mortis, oblatas, vel ſcriptas, ſi fortè perpetuum aliquod onus involverint, antequam adeat, petat, vel agnoſcat, Nobis opportunè denunciet, ut, emolumento, diſpendioque, & aliis circumſtantiis maturè penſatis, ac ritè perſpectis, utiles conditiones à damnoſis diſcernentes, adeundi, vel agnoſcendi facultatem concedamus, vel denegemus.

6. Et ne novorum Beneficiorum, fundationum, atque onerum, memoria in poſterum amittatur, præcipimus Cancellario rerum Benefi-

neficialium Curiæ noſtræ, ut, quandocumque recens alicujus Beneficii erectio contigerit, Inſtrumentorum ſuper dictis fundationibus, tàm ab ipſo, quàm ab alijs Notariis, confectorum exemplum, ſeù particulas Teſtamentorum, quibus fundationes, & erectiones hujuſmodi continentur, in Actis ejuſdem Curiæ omninò relinqui, & cuſtodiri curet; ſi ſecus fecerit, pœnam privationis ab Officio, & alias arbitrio noſtro daturus.

7. Deteſtabili prorsùs ingrati animi vitio fœdatur, & graviſſimum in juſtitiæ crimen admittit, qui correſpectiva receptis Beneficiis onera, cum graviſſimo ſalutis propriæ diſpendio, & cum ſummo bene de ſe merentium Animarum præjudicio, adimplere crudeliter, ac impiè detrectat. Quamobrem omnes, & ſingulos, piis cujuſvis generis Legatis, aut oneribus perſolvendis obnoxios, Confraternitates etiam Laicorum, & earum Correctores, [*b*] & Præfectos pro tempore exiſtentes, curare diligenter volumus, ut ea omnia pietatis opera opportunè, ac fideliter exequantur, ad quæ, vel ex Teſtamento, vel ex Contractu, vel aliter quomodocumque peragenda ſeſe obſtrinxerunt.

8. Providos item Viros approbandæ Camerariorum, aliorumve Officialium adminiſtrationi, & rationibus diſpungendis deputatos, graviter admonemus, ut, de piis operibus ſolicitiores effecti, non in nuda numerica ſupputatione dati, & accepti conſiſtant, ſed an Benefactorum voluntates intemeratè ſervaverint, accuratè recenſeant.

9. Parochi quoque, & Curati omnes, ſtudioſè pervigilent, ut, tùm in propriis Eccleſiis, tùm in Confraternitatibus, intra, vel propè eorum Eccleſias coadunari conſuetis, pia Legata exſolvantur; &, ſi quid impedimenti eorum muneri explendo forſan obſtiterit, quod ipſi per ſe ſuperare non poſſint, aut deſperent, de eodem certiores Nos facere, & quidem promptè non prætermittant.

10. Eiſdem inſuper, tàm Civitatis, quàm Diœceſis univerſæ, (*i*) Parochis, quocumque nomine nuncupatis, necnon Præpoſitis, & Præfectis cujuſcumque Eccleſiæ, in qua Miſſarum, Officiorum, & hujuſmodi piorum operum, onera reperiuntur, præcipimus, & mandamus, ut quotannis, unà cum Libris Parochialibus, ſeù per totum Menſem Maii, in Cancellaria noſtra Archiepiſcopali diſtinctam contumacium notam exhibeant, qui injunctorum ſibi onerum, vel partialiter, vel in totum, ſatisfactionem negligunt, ſub pœna ſubſidiariæ eorumdem obligationis ad refundendum quidquid ex eorum culpa, vel negligentia, exigi nequiverit à principali debitore, vel
ſine

ſine hærede defunčto, vel extra Diœceſim egreſſo, vel notoriè decocto, vel aliàs quomodolibet in cauſſæ piæ præjudicium effecto non ſolvente.

11. Proſpicientes autem, ne hæredibus, [*k*] aut Teſtamentariis Executoribus, aut aliis quibuſcumque, in exequendis piis diſpoſitionibus, quidquam moleſtiæ inferatur, Alexandri PP. VII. Conſtitutionem in Additionibus ad hanc Synodum imprimi mandamus, cujus vigore, facultatibus, & privilegiis Rever. Fabricæ S. Petri de Urbe parumper moderatis, legata pauperibus in genere ubicumque locorum relicta, & pro tempore quandocumque, & quomodocumque relinquenda, non amplius, ſub Legatorum incertorum nomine, in beneficium dictæ Fabricæ convertuntur, neque ſub ejus facultatibus continentur, ſed perindè ac cetera certa pia Legata, in commodum, & beneficium pauperum plenè, & integrè cedunt diſtribuenda, quomodo, & per quos diſponens ipſe præfinierit.

(a) *Synod Prov. Flor.* 1517. *de Teſtam. cap.* 1. *&* 2. *f.* 56. *&* 60., *&* 1573. *Rubr.* 54. *c.* 1., *Synod. Diœceſ.* 1619. *tit.* 11. *cap. un.* §. 2., *&* 1637. *tit.* 12., *&* 1681. *tit.* 17., (b) *Synod.* 1573. *ubi ſupra*, (c) *Synod. Diœc.* 1637. *tit.* 12., (d) *d. Synod.* 1517. *Rubr. de Teſtam. cap.* 1., (e) *dicta Synod.* 1637. *tit.* 12., (f) *Synod.* 1517. *ubi ſup. cap.* 2., *&* 1573. *ibidem cap.* 2., *&* 1681. *tit.* 17. §. 1., (g) *Decret. S. Congregat. Concil. juſſu Urbani VIII. de Celebrat. Miſſar. ſub die* 21. *Nov.* 1625. *eſt in Addit. infra*, (h) *Synod.* 1637. *tit.* 12., (i) *Synod.* 1681. *tit.* 17. §. 2., (k) *Synod. Diœc.* 1656. *tit.* 14. *c.* 1.

TITULUS II.

DE SACRAMENTIS.

1. DIvinæ munificentiæ fontem inexhauſtum benigniſſimus Redemptor Noſter Jeſus Chriſtus, qui dat omnibus affluenter, peculiari modo in Eccleſiæ ſuæ Sacramentis aperuit. Per ea enim, veluti per rivulos, Gratiæ ſuæ largiſſimas aquas ſuperabundanter in nos derivare voluit, quibus omnis vera juſtitia, (*a*) vel incipiat, vel cœpta augeatur, vel reparetur amiſſa, & Sancta Dei Eccleſia perenni gratiarum effuſione fœcundetur. Ut has igitur aquas

aquas hauriamus omnes in gaudio de fontibus Salvatoris, (*b*) hanc hauriendi, propinandique, rationem Sacerdotibus æquè, ac populo, proponimus.

(a) *Concil. Trident. ſeſſ. 7. in Proëm.*, (b) *Iſai. cap. 12. ver. 3.*

CAPUT I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

1. QUoniam verò alia aliis curandis animarum noſtrarum languoribus adinventa à Chriſto Domino remedia, ſicut in multis ad invicem differunt, ità non in paucis conveniunt, de his primum, ne eadem ſæpiùs inutiliter repetantur, admonere proponimus.

2. Parochi igitur, cum primum ad Sacramentum aliquod novus quis acceſſerit, Sacramenti illius materiam, (*a*) formam, vim, & efficaciam publicè explicent, ut neceſſaria unius inſtructio univerſorum ſit ædificatio, idque maternâ potiùs linguâ ad faciliorem intelligentium captum expediat, juxtà Cathechiſmi, ac Ritualis Romani doctrinam, & praxim, à quibus ne latum quidem unguem diſcedant.

3. Pueros confirmandos, ſeù ad Pœnitentiæ, atque Euchariſtiæ Sacramenta recipiendos, ſolerter interrogent, nùm Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Decalogi, Eccleſiæque Præcepta, ac Fidei rudimenta, calleant; ſi enim ignoraverint, niſi ſecus aliquando neceſſitas prudenter perſuaſerit, arceri eos à Sacramentis decet, donec addiſcenda didicerint.

4. Præcipua Parochorum ſolicitudo circa Ægrotantes effulgeat, cum videlicet imminens propinquæ mortis diſcrimen, & anteacti laboris præmium Parocho, & uberiorem impenſæ curæ fructum repromittit Infirmo. Ne autem conſanguineorum ignavia Parochum fallat, (*b*) vel Parochus ipſe, ignoratæ valetudinis obtentu, deſidiæ notam declinare unquam poſſit, jubemus, ut inter Miſſarum ſolemnia, ruri præſertim, Populum interroget, an quæpiam ex Ovibus ægrotet, & nuncio accepto, ſublatâ quâcumque modici, vel gravis morbi diſtinctione, ægram inviſat, & ſalutaribus monitis, & extremis, ſi opus fuerit, Sacramentis omninò recreare non negligat.

5. Sacramentorum congruit dignitati, quod & diſtrictè præcipimus, ut in eorum adminiſtratione Presbyteri, cuiuſcumque ordinis, & dignitatis exiſtant, lethalis culpæ conſcii nequaquam accedant, talari veſte induantur, Cottâ, & Stolâ ornentur, cæremonias, ritus, & pre-

ces

ces adhibeant ad normam Ritualis Romani, quod, nedum obſervare religioſiſſimè in actu adminiſtrationis, ſed & frequenter evolvere, (*c*) etiam citrà caſum neceſſitatis, ad minimos quoſcumque evitandos errores, volumus, & mandamus, condignas errantibus pœnas omninò inflicturi.

6. Sacramenta, quæ ceteroquin dignis miniſtrantur, & propterea vivorum dicuntur, publicè, & notoriè indignis Parochi nequaquam conferant; non enim eſt bonum ſumere panem filiorum, & dare canibus; juſtè autem petentibus faciles omninò miniſtrent; & propriæ quandoque ſalutis oblitos, vel certè negligentes, oblatâ ſpontè medicinâ ad remedia capeſſenda pelliciant; charitatis tamen, humanitatiſque modum adhibeant, paternè illos excipientes; & propriâ quâcumque commoditate poſthabitâ, etiamſi animam ſuam pro ſibi commiſſis Ovibus, & Chriſti Sanguine redemptis, ad Boni Paſtoris exemplum, dare oportuerit.

7. Ægrotos ſeduli, ac frequenter inviſant, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, ac Extremæ Unctionis Sacramentis opportunè reficiant, preceſque ab Eccleſia preſcriptas in ultimo mortis agone devotè recitent, nec (quantum fieri poteſt) quemquam, Parocho abſente, ex hac vita migrare patiantur, ſeveriſſimam Deo, Nobiſq; rationem reddituri, pœnaſque prò incuriæ qualitate graviſſimas arbitrio noſtro daturi.

8. Caveant inſuper Parochi omnes, aliique Sacerdotes, ne in Sacramentorum adminiſtratione quicquam, quovis prætextu, directè, vel indirectè, cum illicito quæſtu procurent; huiuſmodi enim, vel ſimoniacâ labe, vel avaritiæ ſordè, infectos declaramus, pœniſque facinoris atrocitati condignis ſeveriſſimè puniemus.

9. Cum Sancta ſanctè tractari prorſus oporteat, fideles omnes toto noſtri cordis affectu monemus, & obſecramus, ut rectâ animi diſpoſitione, & decenti corporis habitu ad ſuſcipienda Sacramenta ſe conferant, non cujuſvis generis armorum onere graves; non indumentorum luxuriâ inverecundi, non veſtium, citra gradus, & loci dignitatem, abjectione contemptibiles, non inceſſus faſtu, aut oculorum petulantiâ, impudentes.

10. Sacramentis, ſeu ſacramentalibus quomodolibet abutentes, vel ea ad alios uſus, quam in eos, ad quos à Chriſto Domino, & ab Eccleſia ejus Sponſa, inſtituta fuerunt, etiam medicinæ obtentu, convertentes, ſi Sacerdotes fuerint, vel aliquo ex Sacris Ordinibus initiati, ipſo facto ab Officio, & Beneficio ſuſpenſos decernimus; laicos verò ſeveriſſimè puniendos, ultrà Juris pœnas, arbitrio noſtro jubemus.

(a) *Synod. Diæc.* 1619. *tit.* 2. *c.* 1. §. 1., (b) *Synod. Diæc.* 1678. *tit.* 5. *c.* 2., (c) *Synod.* 1619. *hoc tit.* §. 3., *&* 1645. *tit.* 1. *c.* 6. §. 4.   *CA-*

CAPUT II.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

1. SUperatis jam gradibus, per quos ad ſublime Sacramentorum faſtigium pervenitur, eorumdem ſeſe nobis offert janua, in Baptiſmi declaratione, & adminiſtratione, patefacienda.

2. Præcipuum itaque regenerationis Sacramentum explanandum aggredimur, ſine quo non licet introire in Regnum Dei; niſi id, quod, natum ex carne, caro erat, renatum ex (*a*) aqua, & ſpiritu regenerante, ſpiritus fiat. Ut igitur Baptiſmus, à quo cetera Sacramenta vim obtinent, ritè, & rectè, ſine ullo penitus errore, aut defectu, Fidelibus conferatur; omnia à S. Concilio Tridentino definita, & à Summis Pontificibus, præcipuè à B. Pio, & à Paulo, utroque Quinto, conſtituta, & à Rituali Romano præſcripta in hujuſmodi Sacramenti adminiſtratione, adamuſſim ſervari, & quam diligentiſſimè impleri præcipimus, graviſſimè animadverſuri in eos, qui, vel ex ignorantia, vel ex incuria, quicquam deliquerint. (*b*)

3. Et quoniam, ut infra declarabimus, cum de Miniſtro agemus, non ſolius eſt Parochi facultas baptizandi, ſed cujuſcumque de populo, in caſu neceſſitatis; Propterea Baptiſmi materiam, & formam, populos Parochi frequenter edoceant, (*c*) ut aquâ purâ naturali elementari, rejectâ artificiali, utantur, quæ quidem aqua, regenerandis hominibus adhibenda, citrà caſum neceſſitatis, nonniſi ex fonte Baptiſmali, ſolemniter benedicto in Sabbatho ante Paſcha, vel Pentecoſtes, hauriatur. Et ſi fortè, quod accidere aliquando poteſt, Fons ipſe Baptiſmalis, ex multiplicitate baptizatorum, penitus abſorbeatur, circà modum ſupplendi, Rituale ſervetur.

4. Formam autem vernaculâ præſertim linguâ, tàm Parochi, quàm Confeſſarii, commiſſis ſibi populis tradant, (*d*) ut nulla alia adhibeatur, quam, quæ adhiberi à Sacroſancta conſuevit Eccleſia, videlicet = *Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; = quorum verborum prolationi contemporanea eſſe debet aquæ ſuper baptizandi caput trina, in modum Crucis, infuſio, trium Divinarum Perſonarum nominibus correſpondens, ità tamen, ut unus, & idem, qui verba profert, neceſſariò aquam infundat.

5. Licèt baptizandi munus ad Parochum, tamquam ad legitimum Sacramenti Miniſtrum, vel ad Sacerdotem ab eo delegatum, propriè ſpectet, attamen, ut obvius, ubicumque, & quandocumque, tàm neceſſarii Sacramenti Miniſter habeatur, unuſquiſque rationis com-

pos, rejectâ quâcumque ſexus, Religionis, ac Dignitatis differentiâ, ſi recta concurrat in eo voluntas faciendi, quod Catholica facit Eccleſia, validè ſemper baptizare poteſt; & etiam licitè, ſi neceſſitas urgeat; ſervato inter præſentes ordine, ut prius Sacerdos, vel Clericus in concurſu Laicorum, priuſ maſculus excluſâ feminâ, prius Fidelis, quàm Infidelis, admittatur, niſi modeſtiæ lex, in nondum perfectè ex utero matris egreſſis, vel imperitia maſculorum, aliter fieri perſuaſerit. (e)

6. Parochus, aliuſve Sacerdos in Eccleſia baptizans, ubi primum baptizandus ſibi puer oblatus fuerit, ejuſdem pueri Parentes, vel Obſtetricem interroget, an, & quomodo, & à quo baptizatus domi fuerit infans, ad Eccleſiam deductus; nondum baptizatum more ſolito baptizet; baptizatum verò non prius dimittat, quàm baptizantem, à pueri Parentibus, ſub arbitrii pœna, perſonaliter adducendum, (f) de materia, & forma adhibitis ſolerter interroget, ut de Sacramenti validitate cognoſcat. Super ritè baptizatum prætermiſſas dumtaxat Eccleſiæ ſolemnitates, & Sacramentalia ſuppleat; & omiſsâ Baptiſmi formâ, dicat = *Quia tu es Baptizatus, ego te benedico, &c.*; nulliter baptizatum (g) ſimpliciter iterum baptizet; dubium autem de materiæ, & formæ legitimitate, ità ſub conditione baptizet, nempè = *Si non es Baptizatus ego te, &c.* quod, & in expoſitis ſervari jubemus, ſi de collato eis Baptiſmo non conſtet. (h)

7. Quoniam nomina pueris recens natis; & ad diſtinctionem perſonæ, & ad Sancti alicujus tutelam implorandam, imponuntur, Baptizantem admonemus; ne profana uſquam nomina, ſed, quæ in Albo Sanctorum connumerantur, admittat, nec eodem nomine plures fratres, etiam ſi ſeniores jam prædeceſſerint, vocet. Si autem familiæ, præſertim Nobilis, quandoque conſuetudo nomen aliquod, à ſanctitate religionis abhorrens, imponere coëgerit, vel idem nomen dare ex præſcripto Teſtatorum oportuerit, in iis ſaltem caſibus aliud nomen addatur, quod Chriſtianum deceat; & unum ab altero ejuſdem nominis reſpectivè diſtinguat, & hoc ipſum in Libro Baptiſmali peculiariter adnotetur, ne ullis umquam fraudibus decipi poſteritas poſſit, vel labefactari Religio. (i)

8. Niſi neceſſitas urgeat, exceptis Regum, aliorumque Principum Supremorum, filiis, neminem domi extra Eccleſiam baptizari Parochi ſinant, ſed omninò ſervetur Apoſtolicæ Sedis Conſtitutio *in Clementina unic. de Baptiſmo*. Eccleſiæ autem nomine illam intelligimus, ubi Fons eſt Baptiſmalis, (k) & intra Diœceſim, quam egredi ſine juſta cauſa, ac noſtra permiſſione, prohibemus; domi

verò

verò ex juſta cauſa baptizati, cum primum poterit, ad Eccleſiam deferantur, ut omiſſæ ceremoniæ, & ſacri ritus, palam ſuppleantur. (*l*)

9. Adultos, extra caſum neceſſitatis, ſine ſpeciali noſtra facultate baptizari vetamus; infantibus verò quamprimum miniſtrari, nec ultra triduum differri, abſque conceſſione noſtra, ſancimus; triduoque elapſo, nonniſi Nobis annuentibus, admitti jubemus, (*m*)

10. Non plures, quam duo ad ſummum, vir ſcilicet, & femina, ad pueros è SacroFonte ſuſcipiendos, admittantur à Parochis, quorum etiam curæ ſit docere Patrinos, quam, & cum quibus, & ad quos effectus, ſpiritualem cognationem contraxerint, & quibus erga baptizatos oneribus teneantur. In hujuſmodi autem Patrinos, ſub arbitrii noſtri pœna, contra Baptizantes repetenda, minimè aſſumantur excommunicati, interdicti, publicè criminoſi, infames, qui ſana mente non ſunt; non impuberes, non Angelicam Salutationem, Orationem Dominicam, Symbolum Apoſtolicum, Decalogi, & Eccleſiæ Præcepta, & præcipua noſtræ Fidei Myſteria, ignorantes; non Regulares, non Clerici in Sacris Ordinibus conſtituti, niſi ſpecialis noſtra, vel Vicarii noſtri Generalis facultas in ſcriptis acceſſerit; non denique ullus à Sacris Canonibus, & à Rituali Romano excluſus. (*n*)

11. Fontes Baptiſmales, ſi non marmorei, ſaltem lapidei ſint, mundi, nitidi, benè clauſi, & clavibus, à Parocho ſemper cuſtodiendis, obſerati, ne ſordibus, aut abuſibus pateant; in decenti loco Eccleſiæ erecti, Imaginem Chriſti Salvatoris à Præcurſore baptizati præſeferentes, ſuperius umbellâ contecti, ferreis undique, vel ſaltem ligneis, cancellis circumſepti; aquam è baptizatorum fronte defluentem in diverſo vaſe recipiant, unde per occultam fiſtulam in proximum Sacrarium dimanet, nec baptiſmalibus undis commiſceatur: (*o*) Vaſa Sacrorum Oleorum, & Salis, necnon vaſculum, ad aquam ſuper caput baptizandi fundendam, argentea ſint, vel ſaltem ſtamnea, ac tuto in loco, propè ipſum Fontem, accuratè cuſtodiantur. (*p*)

12. Sudariola, candelæ, & ſi quid aliud à Parentibus parvulorum deferatur in uſum Sacramenti, Baptizanti, vel Eccleſiæ acquiri volumus, nec reſtitui, ut ſortilegiis, & ſuperſtitionibus occurramus; ne autem ulla avaritiæ ſordes ex hac noſtra Conſtitutione invaleſcat, peti quicquam à Baptizantibus prohibemus. (*q*)

13. Statutis ab Eccleſia diebus, quibus aqua Baptiſmalis renovatur, Parochi omnes, tàm Seculares, quàm Regulares, ad matricem Eccleſiam conveniant, intra cujus fines Parochiam obtinent, ut

Plebanum, ſeù, quocumque alio nomine nuncupatum, matricis Eccleſiæ Rectorem in explenda Sacra functione coadiuvent, & ſolemni Miſſæ interſint, ac deſerviant, nec ſine Plebani ejuſdem, aut noſtra in ſcriptis obtinenda facultate, ſub pœna ſex aureorum in ſingulas vices, obſequium hujuſmodi erga Eccleſiam, cui ſubiiciuntur, prætermittant. Si verò intra eumdem Plebatum alii Fontes Baptiſmales exiſtant, Eccleſiarum hujuſmodi Rectores, dummodò in propria Eccleſia functiones peragant, à majoris Eccleſiæ famulatu immunes ſunto, & nonnullos alios ex eodem Plebatu Sacerdotes præmoneant, quos, aſsentiente Plebano, in adjutores adſciſcant, pœnam, ut ſupra conſtitutam, non evaſuri, ſi ſecus fecerint. (r)

14. Ubicumque Fons Baptiſmalis Fidelibus patet, Eccleſiæ omnes, præcipuâ hâc prærogativâ refulgentes, peculiarem Librum retineant, in quo annus, dies, & hora nati pueri, vel puellæ, dies quoque Baptiſmi, nomen eidem impoſitum, uterque Parens, eorumdemque Patres, ac Parochia, Patrini item, & nomen Baptizantis fideliter adnotentur; atque equidem immediatè in ipſomet Libro, non in pagellis à Libro diſtinctis, nec dilatâ ad aliud tempus, cum periculo oblivionis, deſcriptione neceſſariâ, ſub pœna ſcutorum quinque, tàm contrà Rectores, quàm contra eorum Capellanos, in ſupradictis delinquentes, in ſolidum exigenda. [ſ]

15 Plebanos, alioſque Sacri Fontis cuſtodiæ Præpoſitos, ſub pœna duorum aureorum in ſingulas vices, diſtrictè monemus, ut Literas teſtimoniales collati Sacramenti, quas juſtè petentibus gratis conſcribere tenentur, fideliter omninò, prout jacent in Libro baptizatorum, tranſcribant, nec ullam fraudem in re tanti momenti, quacumque ex cauſsa, committant. (t)

16. Ceterum, quod infrà, cum de rebus Eccleſiæ agetur, circà Librorum omnium Parochialium tranſmiſſionem ad Cancellarium noſtrum, & eorumdem approbationem, ſtatuimus, omnimodè, ſub pœna ſcutorum decem, ex officio, & abſque ulla monitione repetenda, diligenter impleant.

17. Quòniam verò periculum partus frequentem præbet occaſionem Obſtetricibus baptizandi, onus, ceteroquin Parochis injunctum, erudiendi Populum univerſum, cum ipſis Obſtetricibus accuratiùs præcipimus adimplendum, ne earum ignorantia parvulis in ſummi momenti actione noceat.

18. Nulla itaque Mulier, ſub Excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, obſtetricandi officium uſurpet, niſi, præmiſſo examine, ido-

idonea à Nobis, vel à Vicario noſtro Generali pro Sacramento Baptiſmi comprobetur; & tamen ſæpe ſæpiùs à Parocho identidem inſtruendam jubemus, &, ſi quando minus inſtructa reperiatur, ſuſpendi ab officio, monente Parocho, volumus, donec ſufficienter Baptiſmi formam, maternâ potiùs, quàm latinâ linguâ proferendam, & alia ad Baptiſmum neceſſaria, perfectè didicerit: Inobedientem Excommunicatione, ipſo facto incurrendâ, ligamus; Parochumque diſſimulantem ſeveriſſimis arbitrii noſtri pœnis obnoxium facimus. (*u*)

19. Cum non longè à Baptiſmo diſtet cura parvulorum intra primum nativitatis annum, ne cum damno reipublicæ immaturi decedant, Parochis omnibus diſtrictè mandamus, ut ſedulò perquirant, an Conjuges, & Nutrices, cum hujuſmodi Infantibus dormiant ſine capſula, ad puerorum tutelam retinenda, & ut eam negligentes, de culpæ gravitate, de periculo ſuffocationis, & de peccati reſervatione, ſecuto effectu, acriter commonefaciant, & contumaces ab ingreſſu Eccleſiæ prohibeant, donec reſipiſcant. [*x*]

20. Puerperis denique laudabile, & quidem vetuſtiſſimum, in utroque Teſtamento ſervatum, inſtitutum, ac ipſiuſmet Deiparæ exemplo confirmatum, inculcent, ut, abſoluto Puerperio, ad Eccleſiam Parochialem, & non ad aliam, niſi de Parochi licentia, Deo gratias acturæ, & Sacerdotalem Benedictionem recepturæ, ſub arbitrii pœna, ſe conferant. (*y*)

(a) *Joan. cap.* 3. *verſ.* 5. 6. 7., (b) *Synod. Diœc.* 1619. *tit.* 2. *cap.* 2. §. 1., *&* 1645. *tit.* 1. *cap.* 6. §. 2., (c) *Synod. Prov.* 1573. *Rubr.* 29. *cap.* 1., (d) *Synod.* 1645. *ubi prox. ſupra* §. 3., (e) *Synod. Diœc.* 1569. *hoc tit.* §. 2., *&* 1573. *Rubr.* 29. *cap.* 1., [f] *Synod.* 1619. *tit.* 2. *cap.* 2. §. 3., *Synod.* 1573. *Rubr.* 29. *cap.* 2., *&* *Diœc.* 1589. *hoc tit.* §. 3., (g) *dict. Synod.* 1573., *&* 1589. *ubi ſupra*, (h) *d. Synod.* 1573. *ibid.*, *&* 1589. *hoc tit.* §. 4., (i) *Synod. Diœc.* 1681. *tit.* 2. §. 2., (k) *Synod.* 1589. *hoc tit.* §. 3., (l) *Synod. Diœc.* 1508. *hoc tit.* §. *unic.*, *&* 1569. *hoc tit.* §. 2., (m) *Synod.* 1569. *hoc tit.* §. 2., *&* 1589. *hoc tit.* §. 3., (n) *Synod.* 1569. *hoc tit.* §. 1. *&* 6., 1573. *Rubr.* 29. *cap.* 3., 1619. *tit.* 2. *cap.* 2. §. 4., *Synod. Diœc.* 1610. *hoc tit.* §. 2., *&* 1691. *tit.* 1. *cap.* 5. *num.* 4., (o) *Synod.* 1589. *hoc tit.* §. 1. *&* 2., *&* 1610. *hoc tit.* §. 1., *&* 1645. *tit.* 1. *cap.* 6. §. 5., (p) *Synod.* 1619. *tit.* 2. *cap.* 1. §. 6., [q] *Synod.* 1619. *tit.* 2. *cap.* 2. §. 5., *&* 1645. *tit.* 1. *cap.* 6. §. 7., (r) *Synod. d.* 1619. *tit.* 2. *cap.* 2. §. 8., *Synod. Diœc.* 1637. *tit.* 8., (ſ) *Synod.* 1589. *hoc tit.* §. 9., *Synod.* 1610. *hoc tit.* §. 3., (t) *Synod.* 1645. *tit.* 1. *cap.* 6. §. 8., (u) *Synod.* 1619. *tit.* 2. *cap.* 2. §. 2., *&* 1645.

1645. *tit.* 1. *cap.* 6. §. 3., *&* 1691. *tit.* 1. *cap.* 5. *n.* 3., *Synod.* 1681. *tit.* 2. §. 3., (x) *Synod.* 1589. *hoc tit.* §. *ult.*, *&* 1619. *tit.* 2. *cap.* 2. §. 7., (y) *Synod.* 1619. *ubi ſupra*.

CAPUT III.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

1. INnocentiæ ſtolam in Baptiſmo recepimus, ſed, ut eam immaculatam perferamus ante Tribunal Chriſti, certamine cum victoria nobis opus eſt in hac vita, quæ militia eſt ſuper terram; Peccatum enim luſtrali Fonte deletur, ſed non fomes peccati, cum ſenſus, & cogitatio humani cordis in malum prona ſint ab adoleſcentia ſua. In hanc igitur pugnam Sacramentum Confirmationis arma ſuppeditat, & vires addit. Quamobrem omnibus, & ſingulis, animarum Rectoribus diſtrictè præcipimus, & mandamus, (*a*) ut ſingulis annis, poſt Feſtum Paſchæ, vim, & efficaciam hujus Sacramenti populis explicent, & opportunitatem annuncient illud recipiendi in Eccleſia noſtra Metropolitana, in Feſto Pentecoſtes, & duobus ſequentibus diebus; urgeantque, ut omnes ſeptennio majores (non enim infrà ſeptennium expedit) ad Civitatem noſtram, quantum fieri poteſt, accedant confirmandi, præmiſsâ tamen Sacramentali Confeſſione, & non niſi de mandato Parochorum, qui, prævio examine, de ſingulorum idoneitate cognoverint; ſi Fidei noſtræ Rudimentis imbuti, ſi in ætate legitima conſtituti, ſi Sacramenti naturam, & fructus edocti, ſi deſiderio gratiæ Sacramentalis accenſi, ſi nondum eâdem Sacrâ Unctione liniti, quæ reiterari ſine gravi culpa non poteſt; ſi denique rectè diſpoſiti fuerint ad Sacramentum ſuſcipiendum, quod animæ puritatem, & impetratam peccatorum veniam, prærequirit.

2. Quod ut faciliùs Parochi exequantur, cum, circà Dominicæ Paſſionis, vel Reſurrectionis tempora, Parochianorum domos, luſtrali aquâ conſperſuri, ſingillatim inviſunt, (*b*) tunc Patres, Matreſque familias interrogent, num aliquis apud eos hoc Sacramento adhuc roborandus exiſtat, ſuadeantque, ac reſpectivè, juxtà caſuum diverſitatem, pro prudenti eorum arbitrio, compellant, ut ſinguli diſcretionis annos ingreſſi, ſine juſta, & rationabili cauſa, gratiam Confirmationis obtinere non differant, ſed eumdem Parochum, de illa erudiendi, conveniant, & tandem ad Nos, Sacro Chriſmate liniendi, feſtinent.

3. Confirmandi vittam lineam mundam ſecum deferant, quâ frontem

Digitized by Google

tem circumligentur poſt Sacram Unctionem, nec prius quam exacto triduo ſolvantur; proprij Parochi miniſterio, qui faſciam conſervare, & Sacramento decoratos, juxtà formulam in Rituali Romano præſcriptam, in Libro Confirmatorum, omninò retinendo in ſingulis Parochialibus Eccleſiis, referat. *(c)*

4. Parochi verò Civitatis, Dominicâ præcedente Confirmationem, inter Miſſarum ſolemnia, *(d)* annuncient, ut ſinguli Confirmandi, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ receptis Sacramentis, ad Nos, Sacro Chriſmate inungendi, accedant, eoque delibuti, ad eorumdem Parochum redeant, tribus diebus elapſis, vittâ capitis, ut ſupra, exuendi, & inter Confirmatos adnotandi.

5. Unum tantummodò Patrinum, ſive maſculum, ſive feminam, occaſione Confirmationis adhibendum meminerint, idoneum tamen, & de ſpirituali cognatione admonendum, ut in Baptiſmi Sacramento fusè conſtituimus. *(e)*

6. Cùm Confirmatio duplicem pariat effectum in anima recipientis, gratiam ſcilicet infundat, & characterem indelebiliter imprimat; Propterea Parochi caveant, ne ſemel Confirmati Sacramentum iteratò recipiant, ſed facti veritatem accuratiores inveſtigent doceantque dubios, niſi dubium ipſum rationabiliter depoſuerint, nullatenus eſſe Confirmandos, niſi Nobis, vel prudenti Confeſſario, primum conſultis, & annuentibus. *(f)*

(a) *Synod. Prov.* 1573. *Rubr.* 30. *cap. unic.*, *Synod. Diœc.* 16 *eo hoc tit.*, *Synod. Diœc.* 1619. *tit.* 2. *cap.* 3. §. 1., *Synod. Diœc.* 1645. *tit.* 1. *cap.* 7. §. 1., [b] *Synod. Diœc.* 1691. *tit.* 1. *cap.* 6. *num.* 1., (c) *Synod.* 1691. *tit.* 1. *cap.* 6. *n.* 2., *Synod.* 1619., *&* 1645. *ubi ſupra* §. 3. *&* 2., (d) *Synod.* 1645. *tit.* 1. *cap.* 7. §. 2., *&* 1619. *tit.* 2. *cap.* 3. §. 1., (e) *Synod.* 1573. *Rubr.* 30. *cap. unic.*, *Synod.* 1619. *tit.* 2. *cap.* 3. §. 2., (f) *Synod.* 1619. *ubi ſupra* §. 4.

CAPUT IV.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

1. Millitibus ſuis Dominus, verè pius, verè miſericors, uberem paravit annonam, Panem videlicet vitæ, & Calicem ſalutaris, ut in fortitudine cibi iſtius alacriores ſemper evadamus in pugnam, & poſt breve certamen, quoddam veluti certæ victoriæ, & futuræ gloriæ pignus accipiamus Euchariſticum Cibum; & Euchariſtiæ Sacramentum jure, & meritò hunc Panem appellat Eccleſia, quia non ſine gratiarum actione deceat à Fidelibus manducari.

ducari. Omnes igitur Paſtoralis noſtræ ſolicitudinis conatus in id intendimus, ut auguſtiſſimum Sacramentum, in quo vera Chriſti Caro, veruſque Chriſti Sanguis, ſumitur, & totâ prorſus reverentiâ ſervetur, & totâ cordis munditie accipiatur.

2. Primum itaque locum in Eccleſiis, ſupremum videlicet Altare, vel ſaltem huic proximum, recondendo Auguſtiſſimo Sacramento deſtinamus, itaùt ingredientes Eccleſiam protinus adorandum conſpiciant, nec circumcurſare latibula oporteat, ut dilectum inveniant. (*a*) Tabernaculum, in quo recondi, ac continuò cuſtodiri debet, ſuperpoſito Umbraculo, vulgo *Baldacchino*, diſtinguatur, ac decoretur; (*b*) tutiſſimo, ac honeſtiſſimo loco ſit collocatum, diligentiſſimè compactum, nullâ penitus rimulâ perforatum, pretioſo artificio fabrefactum, vel picturâ exornatum, ſerico albo, vel rubeo, interius contectum, & ſub fida argentea clavi, aut ſaltem deaurata, per Parochum, vel alium Sacerdotem ab eo deputatum, ſub gravi pœna, ſemper retinenda, continuò occluſum. (*c*) Sacramentum autem ipſum, ſubſtrato nitido Corporali, in argentea, vel alterius metalli Pixide, intus deaurata, numquam ſuper Patena ſervetur; aliàs quinque aureorum pœnam inobedientes Parochi, aliive Eccleſiarum Cuſtodes, rejectâ quacumque excuſatione, perſolvent. (*d*)

3. Singulis decem diebus æſtivo, hyemali verò tempore ſaltem quindecim, conſumpto veteri Sacramento, recens conſecratum ſubrogetur, caveantque Parochialium Eccleſiarum Rectores, ne Euchariſticus Cibus in eorum Eccleſiis unquam deficiat. Plebanos autem in Domino rogamus, ut in Eccleſiis ſibi ſubjectis perpetuò vigilent, ne quicquam, ex incuria, contra hæc noſtra Decreta contingat. (*e*)

4. Tabernaculum, Sacramento aſſervando deſtinatum, etiamſi vacuum aliquando fortè remaneat, in alios uſus, quantumvis pios, non convertatur, excluſis etiam Sanctorum Reliquiis, quantumcumque inſignibus. & Sacrorum Oleorum vaſculis. (*f*)

5. Ante Aram Chriſti Corporis cuſtodem, interdiù, noctuque, conſtans Lampas exardeat, nec ſatis præcepto conſultum exiſtimetur, ſi, ut ſæpè contingit, ad aliud Altare, etiam proximum, aliæ faces refulgeant; Quod ſi negligentes Parochi mandata contempſerint, nedùm diminuti ſibi cultus vindicem Deum provocabunt, ſed pœnam etiam quatuor aureorum in ſingulas vices, inter accuſatorem, & Pia Loca æquè dividendam, & alias quoque arbitrarias, pro modo contumaciæ, ſine ulla ſpe remiſſionis, incurrent. (*g*)

6. Panem Angelorum Viatoribus manducandum ſumma cum reve-

reverentia Parochi, aliique Sacerdotes, apponant, & miniſtrent, &, ut populum ſalutaris eſcæ famelicum efficiant; non rarò, interi Miſſarum ſolemnia laudabilem veteris Eccleſiæ ritum commemorent; non tamen omnes Communionis quotidianæ cupidos paſſim admittant, ne, poſtquam primitivæ Eccleſiæ charitas refriguit, ad cœleſtem hanc Menſam ſine nuptiali veſte virtutum intrantes, in tenebras exteriores, Sponſi juſſu, proiiciantur. Parochorum itaque, & Confeſſariorum, prudenti arbitrio relinquimus, ut petentium ſtatu, moribus, virtutibuſque penſatis, ad Sacri Convivii participationem, in unoquoque menſe, vel hebdomada, ſemel, vel diebus ſingulis, ſpirituales filios admittant; quamvis rarò videatur alicui conſulendum, præſertim muliercculis, ac devotulis quibuſdam importunis, Sacerdotale faſtigium æmulantibus, ut frequentiùs, quàm tertio quoque die, communicent, juxtà piiſſimam Conſtitutionem Innocentii XI. de Communione quotidiana, quam in Additionibus inſerendam duximus. (*h*)

7. Dedecet autem Diaconos, & Subdiaconos, (*i*) non omnibus diebus feſtis, Clericoſque minoribus Ordinibus inſignitos, non primâ quâlibet Menſis Dominicâ, & in celebrioribus anni feſtivitatibus, communicare; reliquoſque Chriſtifideles tamdiù abſtinere ab hac Menſa, ut non ſaltem in Dominica Reſurrectionis, ac Pentecoſtes, necnon in feſtis Nativitatis Dominicæ, ac Deiparæ in Cœlum Aſſumptæ, diebus, Angelico Pane recreari ſtudeant; (*k*) & tamen ea eſt ſeculi corruptela, ut nonnulli, Satanæ filii, & perditæ prorſus ſalutis, homines, Paſchali etiam Eccleſiæ præcepto ſatisfacere renuant; quapropter Parochos omnes admonemus, ut ſingulis annis, in Dominica Paſſionis, vel Palmarum, inter Miſſarum ſolemnia, maternâ linguâ exponant, proùt in Additionibus hujus Synodi retulimus, Caput illud Lateranenſis Concilii, quod incipit: *Omnis utriuſque ſexus*. (*l*)

8. Quod ſi aliqui, Sanctiſſimum illud Conciliare Decretum, ſeù potiùs Animæ ſalutem, contemnentes, in dicta Paſchali ſolemnitate à Communione abſtinuerint, paternè per Parochos corripiantur, ut reſipiſcant; Elapſo verò toto tempore Paſchali, ſtatim Parochi, aliàs mulctandi, ſi fuerint in hoc negligentes, (*m*) quâcumque excuſatione rejectâ, contumaces ad Nos deferant, ut eos à Communione Fidelium ſejungamus, & ſi Eccleſiaſticis quoque Cenſuris obdurati adhuc parere contempſerint, graviter puniamus, ac demum poſtquam per annum in Excommunicatione inſorduerint, contrà eoſdem, tamquam de hæreſi valdè ſuſpectos, judicialiter procedamus.

9. Paſchale hujuſmodi præceptum nonniſi in propria Parochiali Eccleſia impletur; graviter igitur, juxtà Sacrorum Canonum, & Synodalium Decreta Conſtitutionum, à Nobis ad hoc renovata, puniendos illos declaramus, qui, ſine noſtra, vel Parochorum licentia, in ſcriptis exhibenda, extra propriam Parochialem Eccleſiam Paſchali tempore, ad ſatisfaciendum præcepto, etiamſi in Eccleſia noſtra Metropolitana communicaverint; (*n*) nec enim à lethali culpa immunes ſunt, nec Eccleſiæ præcepto ſatisfaciunt. Regulares itaque, qui in ſuis non Parochialibus Eccleſiis, vel cuipiam non Parochiano Paſchale Sacramentum adminiſtrare præſumpſerint, ſex Menſium ſuſpenſione, ipſo facto incurrendâ, ſalvis tamen indultis, & Apoſtolicis Privilegiis, ſi quibus gaudeant, abſque ulla tergiverſatione mulctabimus. (*o*)

10. Si quis verò, citrà dolum, abſens eo tempore à propria Parochia fuerit, vel Teſtimoniales Literas fide dignas de alibi peractâ Communione Nobis, aut proprio Parocho, opportunè exhibeat, vel iterum in Parochiali Eccleſia Paſchale Sacramentum recipiat; ſi ſecus fecerit, pœnis iiſdem, ac ſi præcepto non paruiſſet, erit obnoxius. (*p*)

11. Fruſtrà autem pœnas infligimus Dominici Corporis, & Eccleſiaſtici præcepti, contemptoribus, niſi modum aliquem ſtatuamus, quo morbidæ hæ pecudes à reliquo ſano grege internoſcantur: Jubemus proindè, ac diſtrictè mandamus, ut omnes Parochi Parochianis univerſis ſingulas Schedulas, quas vulgò *Bullettini* vocant, proprio Eccleſiæ, vel Familiæ, ſigillo, aut alia notâ ad libitum obſignatas, & nomine communicantis, vel propriâ Parochi, vel aliâ ſibi fidâ manu, in poſteriori parte inſcriptas, circà tempus Paſſionis, conſignent; eaſdemque ſchedulas in actu Communionis à ſingulis repetant, ſolicitè curantes, an Sacrâ Communione refectus, ille idem ſit, qui fuerat in pagella retroſcriptus. (*q*)

12 Cultum Venerabili Sacramento à Populis exhibendum ſatis adauget, & ſacram ejuſdem frequenter manducandi famem vehementer excitat pietas Sacerdotum, ac eorum in miniſtrando decus quoddam ſingulare retentum, & eximia totius ſacræ functionis ſervata majeſtas. Quapropter Parochi omnes, aliique Sacerdotes, etiam Regulares, omninò caveant, ne Sacræ Menſæ diſpenſatores aſſiſtant, niſi albâ, vel ſaltem ſuperpelliceo, ac ſtolâ deſuper, numquam nigri coloris, induti; (*r*) projectionis periculo providentes, Pixide regulariter, non Patenâ, utantur: aquam, ſeù alium quemcumque liquorem, purificandis communicantium labris propinari conſuetum, non in Calice porrigant, ſed in alio vaſe vitreo, vel argenteo, Calicis formam non referente.

Eleemo-

Eleemoſynam ſacculo, aut pelvi, nullatenus à Sacræ Menſæ aſſidentibus, ante, vel poſt Communionem, flagitent, etiam ad commodum Societatum Venerabilis Sacramenti, ſub arbitrii noſtri pœnis contrà exigentes, vel à ſponte etiam dantibus accipientes, etiamſi Confratres forent Societatis.

13. Niſi prohibeat anguſtia loci, vel niſi inſolita confluentium multitudo præpediat, maximè decet, ut in Menſa Euchariſtica, diſtributis hinc indè lateribus, feminæ a maribus ſegregentur, quæ quidem, velato capite, demiſſo vultu, obſtruſo pectore, modeſtoque prorſus habitu, ad Communionem accedant. (*ſ*)

14. Publicos peccatores, Concubinarios, Fœneratores, Meretrices, Lenones, Blaſphemos, Preſtigiatores, Hiſtriones obſcœnos, Coniuges ſeorſim illegitimè viventes, Interdicto innodatos, Excommunicatos vitandos, ceteroſque in publicis, patentibuſque flagitiis, degentes, ab Angelorum eſca jejunos dimittimus, ac penitus arcemus; nec admitti per Parochos unquam volumus, niſi ſufficienter probatos, & quoaduſque conſtiterit, eos ad bonam frugem tandem rediiſſe. (*t*)

15. Perrarò etiam, ac poſt diligentem excuſſionem, mulierculæ recipiantur, quæ, vel ut impudicitiam tegant coram hominibus, vel ut rei familiaris lucra promoveant, neutiquam verentur, cum animæ diſpendio, vindicem in ſe Deum provocare, quem, in abſcondito videntem, præpoſtera non latet, & perſonata facies pietatis. (*u*)

16. Clam verò facinoroſos, diutiniſque ſceleribus, ſed tamen occultis, irretitos, Confeſſarii, niſi aliter veræ contritionis, ſtabiliſque propoſiti, ſigna perſuaſerint, paternè diſponant, ut dilatâ per quatuor, vel quinque dies, divinæ Menſæ participatione, puriores indè, & in criminum deteſtatione firmiores, ad ſacrum Myſterium tandem accedant.

17. Armenos Sacrâ Communione reficiendos minimè volumus, niſi prius Catholicæ Fidei profeſſionem eos emiſiſſe conſtiterit, vel ex Noſtris, vel ex Sacræ Inquiſitionis Literis, in authentica forma exhibitis, juxtà Decretum S. Congregationis de die 25. Maii 1669. in Additionibus impreſſum. (*x*)

18. Non ante decimum ætatis annum ad Sacram Communionem, præterquam in Mortis articulo rationis uſum habentibus non denegandam, pueri admittantur; diligens tamen ſemper examen ſuper idoneitate requiſita præcedat inſtructio, ne fortè ignorantes Divina Myſteria, quæ in tanto Sacramento continentur, indignè, vel certè inutiliter, Angelico Pane veſcantur. Proprium hoc Parochi munus

eſto, ut Tyrones inſtruant; & ut celerius eos recipiant, vel diutiùs exerceant; ſi autem alius præter eos erudiendi provinciam ſuſceperit, adhuc Parochum adiri volumus; qui per ſeipſum probet, vel rejiciat. (*y*)

19. In mortis periculo laborantibus Panem hunc vitæ, & intellectus, tamquam Viaticum, ancipiti prorſus itineri, & inemendabili, neceſſarium, omninò porrigi præcipimus, omnibus iis opportunè, ac ritè ſervatis, quæ in Rituali Romano, (*z*) ac Provinciali Florentina Synodo, decernuntur: ſi verò ſumendi eum quomodolibet incapaces fuerint, nullo modo deferatur deoſculandus dumtaxat, vel adorandus; & ne vero quiſquam ſine fortitudine cibi iſtius viam univerſæ carnis ingrediatur, Parochi vigilent, graviſſimas pœnas daturi, quoties eorum culpâ ſecus evenerit. (*aa*)

20. Omnibus igitur dubiâ, gravique ægritudine, periclitantibus ſumenda Euchariſtia opportunè tradatur, quæ argenteo in vaſculo, (*bb*) ſi facultates patiantur, ſin minus, alterius materiei, ſemper tamen deaurato, afferatur; ſuperpoſitâ Umbellâ, ad hunc præcisè uſum retentâ, in itinere contegatur, & compluribus, quoad fieri poteſt, luminibus aſſocietur per Confratres Societatis, proprio habitu indutos, & in ſingulos menſes ad hoc munus electos, ubi commodè fieri poteſt; vel ubi ſodalitia hujuſmodi non repeiuntur erecta, per alios homines, albo lineo ſacco, prout in Confraternitatibus fieri conſuevit, religiosè coopertos; moneantes omnium Eccleſiarum Rectores, ut in hunc uſum hujuſmodi veſtes, ubi Societates deſunt, continuò retineant; Populorum etiam pietatem excitent, ut erga Venerabile Sacramentum venerabundæ aſſociationis obſequium exhibeant, & ut Indulgentias lucrentur à Summis Pontificibus conceſſas, quas expletâ functione comitantibus Parochi denunciare tenentur.

21. In Civitate, aliiſque celebrioribus in locis, tintinnabuli pulſatio præcedat, & non una tantum Particulâ conſecrata ad Infirmos afferatur, ſed plures, ut eodem ordine ab ægroti domo, comitantibus populis, & Pſalmos, aliaſque Preces, piè recitantibus, Sacramentum ad Eccleſiam reportetur, & cum eo adſtantes benedicantur.

22. Ægrotantis domus, in adventum Divini Hoſpitis, quantum domeſticæ vires ſuppetunt, & temporis anguſtiæ plerumque patiuntur, diligenter mundetur, ornetúrque; cubiculum præſertim Infirmi, in quo nitida menſa paretur cum Corporali, & Patena, Vaſculoque cum aqua ad manus Sacerdotis diluendas; (*cc*) lectu-

lectulus ipſe, in quo Infirmus jacet, ſerico, lineove velo, è conſpectu ſaltem Sacerdotis, laudabiliter ſuperveſtiatur; ſuper quibus ut maximè vigilent, ægrotantium eorumdem domeſticos, aliosque eorum curæ præpoſitos, vehementer hortamur.

23. Sacra Euchariſtia pro deferendo Viatico in nullo prorſus Oratorio, tàm publico, quàm privato, cuſtodiatur, nec in eo in Paſchali ſolemnitate Fidelibus diſtribuatur, abſque noſtrâ licentia, ſub pœna interdicti, ipſo facto incurrenda, aliiſque arbitrariis, contrà Sacerdotes, tàm Seculares, quàm Regulares, ab hac noſtra Sanctione diſcedentes. (*dd*)

24. Eouſque temeritatis ſacrilega quædam avaritiæ mancipia pervenerunt, ut impuris manibus, nedùm attrectare, ſed auferre Sacras Pyxides, & Angelicum Panem in iiſdem clauſum proiicere, vel aliàs profanare non ſemel præſumpſerint. Exhorreſcendum itaque facinus, quantum in Nobis eſt, exterminare cupientes, Apoſtolica Decreta Sanctæ Memoriæ Innocentii Papæ XI. ad memoriam reducimus, pœnaſque inibi contentas contrà ſacrilegos inviolabiliter exequi conſtituimus, ipſamque Bullam in Additionibus ad hanc Synodum imprimi mandavimus.

25. Numquam ſatis laudabilem noſtræ Civitatis conſuetudinem, ſingulis anni diebus, in Eccleſiis juſſu noſtro deſignatis, Venerabile Euchariſtiæ Sacramentum per ſpatium Quadraginta horarum publicè adorandi, maximoperè commendamus, & ut perpetuò retineatur ardentiſſimè concupimus, ac vehementer hortamur; Jubentes tamen, ut in Eccleſiis, prædicto tempore ſacræ ejuſmodi functionis, nulla penitus canatur Miſſa Defunctorum; ut Concionatores, ſi fortè Divinum inibi verbum ſit annunciandum, aperto ſemper capite verba faciant, eumque dicendo locum eligant, undè nec ipſi, nec auditores, Altari terga vertant, & ut denique ea omnia ſerventur, quæ in formam peculiaris inſtructionis, dudum typis editam, & in Synodi Additionibus reimpreſſam, redegimus.

26. Quoniam autem Fidelium pietati ſatis conſultum videtur, quotidianâ Venerabilis hujus Sacramenti publicæ expoſiti adoratione, quæ ſingulis in Urbis Eccleſiis, ceteroquin idoneis, ſpatio quadraginta horarum, ſervatis inter eas vicibus, diu, noctuque, confluentibus populis offertur: Propterea, ut Plenariam peccatorum Indulgentiam, ibidem orantibus à Summo Pontifice conceſſam, omnes avidius lucrari ſtudeant; & ut frequentiam earumdem Eccleſiarum excitemus, ac ne Sacramentorum maximum paſſim efferatur ad quæſtum, vel ad ambitionem; facultates exponendi, hactenus ſine

ſine delectu propemodum effuſas, præcipimus in poſterum moderandas, & nonniſi ex laudabili conſuetudine, vel ex gravi cauſſa, fore cuiquam concedendas, & præcipuè in Oratoriis, & Confraternitatibus.

27. Ceterum, ſub pœna interdicti, ſine expreſsa noſtra, vel noſtri Vicarii Generalis, facultate, nequaquam ullibi Euchariſtiæ Sacramentum palam exponi permittimus; eâdemque prorſus pœnâ mulctamus aſſervantes Corpus Chriſti feriâ quintâ Majoris Hebdomadæ alibi, quam, pro Officio feriæ ſextæ ſubſequentis, in Eccleſiis, ubi continuò cuſtodiri conſuevit; *(ee)* exceptis Oratoriis iis, quæ, ex antiqua conſuetudine, Sepulchrum, in quo Sacratiſſima Hoſtia adoratur repoſita, decentiſſimis ornamentis, cereis, atque lampadibus, excolere ſolent.

28. Non tamen prohibemus, quin, ad tempeſtates, turbineſque compeſcendos, per breve tempus aperire Tabernaculum, vel in Altari Pyxidem Euchariſtiæ collocare, Sacerdos poſſit, donec Preces aliquas, per ſe, vel cum aliis, divinum auxilium in publicis, privatiſque neceſſitatibus, impetraturus, effundat; ſecus verò numquam permittimus; *(ff)* quod ſi quis hoc fieri poſtulaverit, ad implorandam Infirmi alicuius incolumitatem, noverit, quod Infirmus ex iis eſſe debet, qui publicæ utilitati vivunt, præeminentia, gubernatione; præterea nullus.

29. Regularibus in propriis Eccleſiis, ex publica cauſſa, à Nobis tamen approbanda, Angelicum Panem publicæ Fidelium adorationi exponere non denegamus: Ex cauſſa autem privata ſemper licet, dummodò Sacramentum ipſum è Tabernaculo non extrahatur, nec ſine velo proferatur, iuxtà Decretum Sacræ Congregationis, videndum in Additionibus.

30. Novendiales ſolemnitates, vulgo *Novene*, ante Nativitatem Domini Noſtri Jeſu Chriſti pridem inſtitutas, ante ortum Solis inchoari, ſub arbitrii pœnâ, omninò prohibemus.

31. Quotieſcumque Corpus Chriſti in publicis, ac ſolemnibus Proceſſionibus, circumfertur, non in occluſis, ſed in patentibus vaſculis, & criſtallo, vel vitro mundo ſuper adjecto, pellucidis, includatur. *(bb)*

(a) *Synod. Prov.* 1573. *Rubr.* 31. *cap.* 1., [b] *Synod. Diœc.* 1678. *tit.* 6. *cap.* 1. *&* 2., (c) *Synod. Diœc.* 1691. *tit.* 1. *cap.* 7. *num.* 2., (d) *Synod. Diœc.* 1589. *hoc tit.*, (e) *Synod. Diœc.* 1663. *de Euchar. cap.* 1. *&* 2., (f) *Synod. Diœc.* 1645. *cap.* 8. §. 2., *& Diœc.* 1681. *tit.* 4. §. 4., (g) *Synod. Diœc.* 1619. *tit.* 2. *cap.* 4. §. 1., *&* 1645. *tit.* 1.

tit. 1. *cap.* 8. §. 3., *&* 1691. *tit.* 1. *cap.* 7. *n.* 2., (h) *Synod.* 1573. *Rubr.* 31. *cap.* 4., *&* 1619. *hoc tit. cap.* 4. §. 2., *&* 1681. *tit.* 4. §. 1., *&* 1691. *tit.* 1. *cap.* 7. *nu.* 3., (i) *Synod.* 1619. *hoc tit. cap.* 4. §. 7., (k) *Synod. d.* 1619. *hoc tit. cap.* 4. §. 2., (l) *d. Synod.* 1619. *ubi proximè ſupra* §. 4., (m) *Synod.* 1619. *hoc tit. cap.* 4. §. 4., (n) *Synod. Diœc.* 1610. *hoc tit.*, *&* 1691. *tit.* 1. *cap.* 7. *n.* 5., (o) *Synod.* 1619. *hoc tit. cap.* 6., (p) *Synod.* 1589. *hoc tit.*, (q) *d. Synod.* 1619. *hoc tit. cap.* 4. §. 4., (r) *Synod.* 1645. *tit.* 1. *cap.* 8. §. 5., *&* 1691. *tit.* 1. *cap.* 7. *num.* 3., (ſ) *Synod.* 1573. *Rubr.* 31. *cap.* 3., *&* 1619. *hoc tit.* §. 4. *cap.* 8., (t) *Synod. d.* 1619. *tit.* 2. *cap.* 4. §. 5., (u) *Synod.* 1573. *Rubr.* 31. *cap.* 7., (x) *Synod.* 1681. *tit.* 1. §. 2., (y) *Synod.* 1619. *tit.* 2. *cap.* 4. §. 6., *Synod. Diœc.* 1627. *hoc tit.* §. 1., 1681. *tit.* 4. §. 2., *Synod. Diœceſ.* 1699. *tit.* 8. *cap.* 2., [z] *Synod.* 1573. *Rubr.* 31. *cap.* 8., (aa) *Synod.* 1619. *tit.* 2. *cap.* 4. §. 10., *&* 1681. *tit.* 4. §. 3., (bb) *Synod.* 1573. *Rubr.* 3. *cap.* 8., *&* 1589. *hoc tit.*, (cc) *Synod.* 1691. *tit.* 1. *cap.* 7. *n.* 5., (dd) *Synod.* 1645. *tit.* 1. *cap.* 8. §. 6., *&* 1691. *fol.* 9., (ee) *Synod.* 1619. *tit.* 2. §. 11., *Synod. Diœc.* 1637. *tit.* 19., (ff) *d. Synod.* 1619. *tit.* 2. §. 12., (gg) *Synod.* 1619. *tit.* 2. §. 13.

CAPUT V.

DE SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO.

1. POſtquam Panem de Cœlo deſcendentem Viatoribus appoſuimus, ut ſi quis ex ipſo manducet, non moriatur in æternum, eumdem modò in medium afferimus, quatenus offertur in Sacrificium, in Holocauſtum videlicet, quo Chriſtus ſe totum immolat Patri: in Hoſtiam pacificam pro beneficiis, vel acceptis in gratiarum actionem, vel novis impetrandis in ſupplicem deprecationem: in Hoſtiam denique pro peccato, quà, ſicut idem Chriſtus, ſemel patiens, totius Mundi peccata in ſe aſſumpſit, ſuo expianda cruore, ita in ipſum nos, tanquam in eamdem victimam in Altari immolatam, peccata noſtra transferimus, ut expiare dignetur. Nihil itaque auguſtiſſimo hoc Dei opere admirabilius, nihil ſalubrius, ſanctius nihil.

2. Ut igitur eà, quà par eſt, & religione, & ſanctitate, peragatur, Sacerdotes omnes enixè monemus, ut quæ Sanctæ Memoriæ Urbanus PP. VIII., & Sacra Rituum Congregatio, decreverunt circa Celebrationem Miſſarum, necnon præcepta quæcumque, etiam mi-

minima, in Rubricis Miſſalis Romani diſtinctè contenta, & omnia alia ad Sacrificium ritè, honeſtèque, tractandum neceſſaria, avidè diſcant, frequenter mutuis inter ſe colloquiis, vel privatâ ſaltem lectione repetant, & quoties peragendi Sacra Myſteria caſus evenerit, Apoſtolicas deſuper editas Conſtitutiones perquam diligenter obſervent, & religioſiſſimè cuſtodiant, ne obliviosi legis auditores, ſed factores operis dici mereantur.

3. Cum autem Sacerdotes ad Sacrum Presbyteratus Ordinem recens promoti, velut in graviſſimo munere tyrocinium poſituri, propter verendam actionis Majeſtatem, novitatemque miniſterii, declinare à recta ſacrificandi norma faciliùs poſſint; præſentiſſimum errandi periculum præcaventes, diſtrictè jubemus, ut nemò prorsùs, quantumlibet ritè edoctus, primam Miſſam celebrare unquam audeat ſine Atteſtatione Magiſtri Cæremoniarum, vel alterius ex infra deputatis, & ſine facultate à Nobis, vel à Vicario noſtro Generali, in ſcriptis obtenta, & per octo ſaltem ſubindè dies, (*a*) periti Sacerdotis aſſiſtentiâ inter celebrandum utatur, ſub arbitrii noſtri pœna, cui obnoxios itidem volumus quoſcumque, occaſione celebrandæ primæ Miſſæ, congreſſus, vulgo *Ragunate*, cum oblatione munerum, & importunis precibus, convocabunt. (*b*)

4. Sacriſtæ, Eccleſiarumque Rectores, Cuſtodeſve, ſub pœna ſcutorum decem in ſingulas vices repetenda, neutiquam ad celebrandum admittant Sacerdotes quoſcumque, tàm Seculares, quam Regulares, publicâ Cenſurâ irretitos, vel notorio crimine diffamatos, quos à Divinis ipſo facto ſuſpendimus, ſi adhuc celebrare præſumpſerint. (*c*)

5. Vagos, vel ex aliena Diœceſi, Sacerdotes, in nulla Seculari, vel Regulari prorſus Eccleſia, ad peragendum Miſſæ Sacrificium admitti patimur, abſque noſtra in ſcriptis facultate, neutiquam obtinendâ, niſi proprii Ordinarii Commendatitias Literas exhibuerint, adeò recentes, quibus, pro locorum, unde venerunt, diſtantia, Fides adhiberi poſſit, vel niſi ab alio viciniori Epiſcopo recognitæ, & reſpectivè approbatæ fuerint; Inobedientes pecuniariâ ſcutorum decem, & reſpectivè ſuſpenſionis pœnâ, ipſo facto incurrendâ, mulctamus, à quâ Regulares nullo modo immunes declaramus, juxtà Reſponſum Sacræ Congregationis Concilii, de quo teſtatur *Synodus anni* 1627. *tit. De Fide* §. 4. *fol.* 18.

6. Finitimis tamen contiguarum Diœceſum Parochis, aliiſque Sacerdotibus, propè, & extra fines Diœceſis noſtræ, continuò commorantibus, ut in proximis Eccleſiis noſtris admitti licitè poſſint, indulgemus, dummodò probè cognoſcantur ab admittente, cujus conſcientiam oneramus.

7. Ex-

7. Exteri quoque Sacerdotes, itinerantes, & ad Civitatem noſtram rectà venientes, ſi recentes literas non ſuſpectas proprij, vel proximioris Ordinarii, à quo diſceſſerunt, oſtenderint, & nullam eleemoſynam pro Sacrificio petierint, aut ſperaverint, admitti ad celebrandum poſſint, à ſolis tamen Parochis, vel à Superioribus Regularibus, in eorum reſpectivè Eccleſiis; recedentes verò ab hac Civitate, non admittantur, niſi cum facultate per Nos conceſſa.

8. Talari veſte minimè indutos, & appoſititiam comam geſtantes, ſub pœnis in Edicto noſtro, aliàs promulgato, & in Synodi Additionibus reimpreſſo, contentis, nemo unquam ad celebrandum recipiat.

9. Ad ſacrificandum acceſſuri, ſemel in unaquaque ſaltem hebdomada, niſi, quod Deus avertat, gravis culpæ reatus neceſſariò frequentiorem quandoque expoſcat expiationem, Pœnitentiæ Sacramentum, ſacris nondum veſtibus induti, præmittant; (*e*) Preces antè Miſſam pro Sacerdotis opportunitate perſolvendas, & in principio Miſſalis impreſſas, devotè recitent, Miſſamque, non alieno miniſterio, ſed proprio conatu repertam, ne ex oblivione, aut ex impreſſorum mendo, quicquam in Altari delinquant, ſecreto perlegant, ac ſignacula ſuis locis apponant, quadraginta dierum Indulgentiam, à noſtris Prædeceſſoribus conceſſam, lucraturi; (*f*) caveantque, dum ſacris indumentis ornantur, vel dum, iiſdem amicti, Sacriſtæ nutum, & opportunum celebrandi tempus, expectant, ne interim vanis cogitationibus inquinentur, neve inutilibus, & profanis confabulationibus auditores ſeſe, vel collocutores adjungant, ſed probent ſeipſos potius, & ad eliciendos amoris, & humilitatis, aliarumque virtutum, actus ſolerter incumbant, & ſic de pane illo edant, & de calice bibant. (*g*)

10. Cæremonias, & ritus, juxtà præceptum Rubricarum, adamuſſim ſervent: memoriter Miſſam non recitent, ſed Miſſali Romano, non lacero, nec indecoro, utentes, totam in eo Miſſam legant, exceptis paucis, quæ in propriis tabellis, ſeorſim impreſſis, & inter infima Candelabra collocatis, ad majorem commoditatem exhibentur. In dicendo, agendoque, major celeritas, quàm rei ſanctitas expoſcat, actionumque, ac verborum, diſtinctio patiatur, evitetur omninò; odioſa quoque prolixitas, niſi privatim quis, ac ſine propemodum teſte ſacrificet, laudabiliter fugiatur; genuflexiones ad terram uſque, loco, ac tempori congruentes, producantur, ac omnia demum, ut decet, pietatem in Sacerdote, majeſtatemque, præſeferant, & in adſtantibus reverentiam excitent, ac religionem.

11. Veſtes Sacerdotales nemo celebraturus ex Altari ſumat inferior Epiſcopo, ſed iis in Sacriſtia induatur, quæ ſi deſit, tunc in cornu Evangelii præparata recipiat induménta, nec unquam inter celebrandum utatur miniſterio mulierum, quas ab Altari perpetuò repellimus. (*h*)

12. Completo Sacrificio, Sacerdos, accepti beneficii non immemor, ab omnibus ſecularibus negotiis aliquantiſper abſtineat, Deoque gratias acturus, vel in Sacriſtia, vel in Eccleſia, conquieſcat. [*i*]

13. Sacra Sacerdotis, Altariſque Supellex, Tobaleæ, ac linteamina, quæ noſtrâ, vel habentis à Nobis facultatem benedictione egent, antequam in uſum Sacrificii aſſumantur, propriâ ex Rituali Romano adhibitâ benedictione ſanctificentur.

14. Calices parentur non indecentes, auro ſcilicet ſuperinducto non deſtituti, nec rubigine maculoſi, nec aliàs immundi; Patenæ ſimiliter auro linitæ, & abſque cælaturis, (ad colligenda faciliùs fragmenta) efformatæ, ſub pœna trium aureorum; Utentes verò Calicibus in Sacrificio ita fractis, ut periculum effundendi ſpecies conſecratas probabiliter timeatur, decem aureorum pœnâ condemnamus, (*k*) bifariam dividendâ, inter delatorem, & Eccleſiam.

15. Altare non ſit execratum, ſed Sigillum Conſecrationis integrum, conſpicuumque retineat, ne ſuper eo Sacrum facientes pœnâ ſuperiùs inflictâ puniantur; Tribus tobaleis, Cruce, & ſculptâ Crucifixi Domini Noſtri Jeſu Chriſti Imagine, ceteriſque neceſſariis ad ſacrificandum inſtrumentis, ornetur, ad normam inſtructionis claræ memoriæ Petri Niccolini Prædeceſſoris noſtri, poſt Synodum anni 1645. impreſſæ, & in Additionibus ad has Conſtitutiones inſertæ. Mundities tandem in omnibus, ac decus, & magnificentia, prout cujuſque patitur Eccleſiæ facultas, religioſiſſimè ſervetur; linea præſertim ſacra Sacerdotis indumenta, amictus, & alba, mappulæque ad involvendum Chriſti Corpus, tegendumque, ac abſtergendum, Calicem deſtinatæ, Corporalia videlicet, Pallæ, & Purificatoria, nullis unquam ſordibus, quæ ſtomachum ingenuò Sacerdoti faciant, vel à ſacrificando deterreant, inquinentur; nulla enim vera, aut emendicata Eccleſiarum, Rectorumve, paupertas, in re minimi diſpendii, quanti eſt frequens ſacræ lineæ ſupellectilis purgatio, Sacerdotum negligentiam excuſabit, quin graviſſimis à Nobis arbitrariis pœnis plectantur.

16. Ante Auroram, vel poſt Meridiem, ſine privilegio, ſub pœna arbitrii, incruentum offerre Sacrificium nullus præſumat, & in ipſo actu Celebrationis à ſumptione Tabacchi divina facientes abſtineant; ſi ſecus fecerint, pœnam dabunt arbitrariam.

17,

17. Non rariùs, quàm ter, aut quater ſaltem in anno offerre Deo Sacrificium Sacerdotes jubemus, ſalvâ obligatione Parochorum ſingulis Feſtis diebus, & quandoque frequentiùs celebrandi in propria Eccleſia infra hebdomadam, tempore præſertim Adventus, Quadrageſimæ, & in Vigiliis Sanctorum, ut proprio loco ſtatuemus, & ſalvâ lege fundatorum in aliis Beneficiis non curatis, quàm omnimodè ſervari præcipimus. *(l)*

18. Parochorum onus celebrandi Miſſam in propria Eccleſia ſingulis Feſtis diebus, de quo in propria ſede latius agemus, vindicare pro nunc à tranſgreſſione magis obvia volentes, Prædeceſſorum noſtrorum Synodalibus Decretis innixi, prohibemus, *(m)* ne Miſſæ Votivæ, vel Anniverſaria Defunctorum Officia, extra Urbem, ſub pœna trium aureorum, & aliis arbitrariis, celebrentur à Dominica Paſſionis ad Octavam Paſchatis incluſivè, quando potiſſimum ipſiuſmet Parochi in paſcendis ovibus requiritur miniſterium.

19. Eorum autem avaritiam, qui, exceptâ Dominicæ Nativitatis celebritate, & caſibus à jure permiſſis, pluries, quàm ſemel in die ſacrum facere præſumerent, biennali ſuſpenſione, ipſo facto incurrendâ, & quinquennali Triremium pœnâ compeſcimus. *(n)*

20. Paſtorali muneri deſunt, qui ovem unam pabulo indigentem, propter nonaginta novem non indigentes, relinquunt. Multò magis, qui, ut unius ovis ruri degentis, ſcilicet, ut potentis cujuſpiam, vel prædivitis, commodo ſatisfaciant, plebem univerſam *(o)* præpropero, vel dilato ſacrificio, perturbant. Jubemus igitur, ut Parochi omnes, præcipuè extra Civitatem, regimini Eccleſiarum præpoſiti, horam faciendi Sacrum univerſo populo magis accomodam ſeligant, Concionem non prætermittant, nec, poſt acceſſum ad Altare, privatum quemquam expectent, aut quicquam Rei Sacræ indecorum, ſeu populorum utilitati contrarium, committant, privatæ cujuſcumque perſonæ rogatione, obſequioque poſthabitis, ſuper quibus conſcientiam eorumdem Parochorum oneramus.

21. In Eccleſiis quibuſcumque, & præſertim in Oppidis, ubi plures Miſſæ celebrantur, eas, æqualibus circiter ſpatiis ab Aurora ad Meridiem interpoſitis, ad majorem populi commoditatem celebrari mandamus.

22. In privatis Oratoriis, ex benignitate Sedis Apoſtolicæ conceſſis, nullus, tàm Secularis, quàm Regularis cujuſvis Inſtituti Sacerdos, Miſſam audeat celebrare diebus in Indulto exceptis, nec poſt-

quam alia Miſſa in eiſdem fuerit eodem die celebrata, nec illo defuncto, cui, vel à quo Literæ Apoſtolicæ directæ, ſeu impetratæ fuerint, ſuper quibus Literis quilibet ad celebrandum vocatus teneatur diligenter inquirere, alioquin quotquot hujuſmodi Miſſæ ſine legitima facultate interfuerint, præcepto Eccleſiaſtico audiendi Miſſam in die feſto nequaquam ſatisfeciſſe ſe noverint, juxtà Decretum Sanctiſſimi Domini Noſtri editum de anno 1704., quod, ut omnibus innoteſcat, imprimi in Additionibus, & ab omnibus inviolabiliter obſervari mandamus.

23. Feriâ ſextâ, & Sabbatho, Majoris Hebdomadæ, in iis tantum Eccleſiis Divina Officia celebrari, & Chriſti Domini Corpus in Sepulchro recondi annuimus, in quibus per totum annum, jure, vel conſuetudine permittente, Angelicus Panis in Tabernaculo retinetur; omnibus autem aliis Eccleſiis, præterquam Inſignibus Oratoriis Sancti Joannis Baptiſtæ propè Metropolitanam, & Sancti Michaelis in Horto, copioſo etiam Sacerdotum, & Clericorum quotidiè inſervientium numero inſtructis, & ad inſtar Collegiatarum Divinâ Pſalmodiâ continuò decoratis, Sacras Functiones ſupra recenſitas omninò prohibemus, ſub pœnâ Suſpenſionis ipſo jure quoad Celebrantem, & interdicti quoad locum, (*p*) aliiſque in Decreto deſuper edito à S. Memoriæ Alexandro PP. VIII. de anno 1690. latè contentis.

24. Nihil prorſus ſeveriori religione obſervandum fore, quàm ultimas Defunctorum voluntates, unanimis omnium gentium, ſectarumque, ac temporum, conſenſus perpetuò, & conſtanter, edocuit; præcipuè verò Catholica jubet Eccleſia, cum de Sacroſanctis Miſſæ Sacrificiis, ad levandas præmortuorum animas, ex quacumque diſponentium lege adimplendis, agitur. Præcipimus igitur, ut piæ Teſtatorum, ſeu Fundatorum, diſpoſitiones, Miſſarum onera præſcribentes, adamuſſim omninò cuſtodiantur, omneſque penitus conditiones, certæ Eccleſiæ, vel Altaris, dierumque, ſine ulla fraude, vel excuſatione, impleantur, ſub pœna privationis fructuum quoad Clericos Beneficiatos, & ſub pœnis arbitrariis quoad alios, tàm Clericos, quàm Laicos, Eccleſiaſtica Beneficia non poſſidentes.

25. Et quoniam ingruentes temporum calamitates, & viciſſitudines, ex fructuum imminutione, antiquorum præſertim onerum aliquando reductionem exigunt, eam privatâ quâvis auctoritate decerni prohibemus, inconſultâ Apoſtolicâ Sede, ad quam, ſeclusâ quâcumque tergiverſatione, recurri mandamus, juxtà Conſtitutiones Urbani Papæ VIII., & Sanctiſſimi D. N. Clementis Papæ XI., in Additionibus reperiendas.

26. Ut

26. Utverò, quantum in Domino poſſumus, fraudibus obviemus, diſtrictè præcipimus, & mandamus, ut in ſingulis Eccleſiarum, & Oratoriorum, Sacriſtijs Codex peculiaris aſſervetur, in quo Celebrantes quotidiè ſuorum onerum ſatisfactiones, expreſsâ cauſâ, ſingulis vicibus propriâ manu deſcribant, (q) nec pro libito, vel ſine noſtra facultate, ſcriptoris cujuſquam miniſterio utantur, ad mentem Innocentii Papæ XII. in ejus Conſtitutione edita de anno 1697. In eodem Codice adnotari etiam volumus Miſſas quaſcumque extra ordinem, & citra onus Beneficiatorum, vel Eccleſiæ, celebratas. (r)

27. Eodem tendit Tabella, ſive Catalogus, onerum cujuſque Eccleſiæ, in dies, & menſes diſtributus, quem publicè appendi, & retineri, in quacumque Sacriſtia præcipimus.

28. Nullus omninò Sacerdos, vel Pius Locus, plura Sacrificia celebranda ſuſcipiat, quam quæ poſſit adimplere trimeſtri ſaltem ſpatio, ultra quod, ſeclusâ largientis voluntate, & aſſenſu, differre implementum non licet. Si quando autem, quacumque ex cauſa, intra dictum tempus, acceptatis Miſſarum oneribus non poſſit ſatisfieri, Parochos, Rectoreſque, vel Sacriſtas, & quoſcumque Cuſtodes Eccleſiarum, vel alios onerum prædictorum debitores, diſtrictè monemus, ut exceſſum hujuſmodi Nobis, & propriam impotentiam, tempeſtivè denuncient, ut opportunis remediis, juxtà Sacrorum Canonum diſpoſitionem, & Conſtitutiones Apoſtolicas, celeri eorumdem ſatisfactioni conſulamus.

29. Nullus autem Pius Locus, aut Beneficiorum, etiam Parochialium, Rector, onera perpetua Miſſarum, ex quacumque diſpoſitione oblata, acceptare, niſi Nobis conſultis, & annuentibus, uſquequaque ſub arbitrariis pœnis præſumat. (ſ)

30. Capſulas, quæ pro Mortuis dicuntur, & incertis Miſſarum eleemoſynis deſtinantur, ſine noſtra facultate nullibi affigi, vel circumferri, & affixas amoveri mandamus, ſub gravibus arbitrio noſtro pœnis contra tranſgreſſores infligendis.

31. Parochos, præſertim Urbanos, Sacriſtas, vel alios quoſcumque, arbitrariè puniemus, (t) ſi in diebus ferialibus pro Miſsa celebrata, quacumque ex cauſa, in ſuis Eccleſiis, Oratoriis, & Confraternitatibus, Julii eleemoſynam excesſerint: poſſint tamen libram unam erogare in diebus, vel ex præcepto, vel ex devotione, feſtivis, & in ſolemnioribus ad duos etiam Julios extendere.

32. Demum, ut omnes, ex lege Fundatoris, vel aliàs quomodocumque, ad quotidiè celebrandum cum Sacrificii applicatione obſtricti, propriæ conſcientiæ conſulant, quoad unius diei vacatio-

nem

nem in ſingulis hebdomadis, Decretum Sacræ Congregationis editum in una Collen. 18. Septembris 1682. in Additionibus hujus Synodi imprimi mandavimus. (*u*)

(a) *Synod. Diœc.* 1699., (b) *Synod. Prov.* 1573. *Rubr.* 18. *cap.* 11., *&* *Diœc.* 1610., (c) *Synod. Diœc.* 1619. *tit.* 3. *cap.* 1. §. 2., *&* 1699., (d) *Synod.* 1573. *Rubr.* 18. *cap.* 2., *& fere in omnibus Diœceſ. Synodis.* (e) *Synod. Provinc.* 1517. *de Celebr. Miſſ. cap.* 9., (f) *Synod.* 1517. *de Celebr. Miſſ. cap.* 2., *&* 1573. *Rubr.* 18. *cap.* 3. *&* 4., *& Diœceſ.* 1569. *de Celebrat. Miſſ.*, *&* 1619. *tit.* 3. *cap.* 1. §. 4., (g) *Synod. Diœc.* 1669. *pag.* 18., (h) *Synod. Diœc.* 1645. *tit.* 1. *cap.* 8. §. 25. *&* 26., (i) *Synod.* 1619. *tit.* 3. §. 7., (k) *d. Synod.* 1619. *cap.* 2. §. 2., (l) *Synod.* 1619. *tit.* 3. *cap.* 1. §. 12., (m) *Synod.* 1517. *de Celebr. Miſſar. cap.* 5., *&* 1573. *Rubr.* 18. *cap.* 8., 1619. *tit.* 3. *cap.* 4. §. 3., (n) *d. Synod.* 1619. *tit.* 3. *cap.* 1. §. 5., (o) *Synod.* 1573. *Rubr.* 18. *cap.* 5., (p) *d. Synod.* 1619. *tit.* 3. *cap.* 3. §. 3., *Synod. Diœc.* 1637. *tit.* 3., *&* 1645. *tit.* 1. *cap.* 8. §. 10., (q) *Synod.* 1619. *tit.* 3. *cap.* 1. §. 3., (r) *Synod. Diœc.* 1656. *tit.* 5. *cap.* 2., *&* 1663. *eod. tit.*, *&* 1691. *tit.* 2 *cap.* 3. *num.* 12., (ſ) *Synod.* 1637. *tit.* 13., (t) *Synod.* 1645. *tit.* 1. *cap.* 8. §. 22., (u) *Synod.* 1637. *tit.* 13., *&* 1663. *tit.* 4. *cap.* 2.

CAPUT VI.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

1. Quoniam, monente Apoſtolo, [*a*] culpæ lethalis conſcius à Sacræ Menſæ Convivio arcetur, niſi prius è Dœmonum ſervitute ſolutus, ad Angelorum Panem manducandum liber penitus, & purus accedat, quod Pœnitentiæ Sacramento, in re, aut in voto, conſequimur, propterea, Catholicæ etiam Eccleſiæ in Sacramentorum explicatione ordinem ſervantes, Euchariſticis legibus pœnitentiales haſce, tàm Confeſſariis, quàm Pœnitentibus, à Sacris Canonibus, & à Prædeceſſoribus noſtris, providè ſancitas, ordinatè ſubnectimus.

2. Nullus Sacerdos, (*b*) niſi, vel ordinaria Juriſdictione ex Parochialis, Eccleſiæ regimine potiatur, vel delegatam à Nobis, vel à Vicario Noſtro Generali, & quidem, nec revocatam, nec præfiniti temporis lapſu reſolutam, obtinuerit, quempiam pœnitentem ſacramentaliter abſolvere, præterquam in mortis articulo, ſub pœna Excommunicationis, ipſo facto incurrendæ, præſumat.

3. Parochi, tàm Urbani, quàm Rurales, indiſtinctè in totâ Diœceſi,

ceſi, etiam in Civitate, exceptâ, Eccleſia Metropolitanâ, Fidelium Confeſſiones, de conſenſu tamen Parochorum localium, excipere poſſint; Utroſque, necnon quoſcumque alios Confeſſarios, in aliquam ex Congregationibus Presbyterorum noſtræ Civitatis adſcitos, cum collegialiter in Eccleſia Metropolitana ad divina Officia celebranda convenerint, ſeſe invicem ſacramentaliter expiare poſſe permittimus.

4. Facultatem audiendi Confeſſiones, conceſſam à Nobis limitatè quoad locum, & quoad perſonas, nolumus ampliari poſſe à Parochis pro eorum ovibus, ſub pœna facultatis ejuſdem interdictæ, ac ipſo facto revocatæ; (c) permittimus tamen habentibus hujuſmodi facultatem limitatam ad certum locum audire etiam extrà talem locum Confeſſiones eorum Infirmorum, qui ſani ſoliti erant eorum Miniſterio in Confeſſionibus uti.

5. Sæpius in anno, præſertim verò in Quadrageſima, omnes quotquot animarum curam gerunt, Eccleſiaſticam legem de annua à prima diſcretionis ætate Sacramentali Confeſſione populum ſibi ſubiectum edoceant, & pœnas contra inobedientes à Sacris Canonibus, præcipuè à Capit. *Omnis utriuſque ſexus de pœnit. & remiſſ.*, impoſitas evulgent, atque declarent. (d)

6. Fideles quoque hortari, & monere non ceſſent, tàm Concionatores, quàm Parochi, ne mortalis peccati conſcii, diſcrimen ſubeant rationem villicationis ſuæ ex inopinato reddendi, ſed, ut vigilantes, & ſemper parati, inveniantur, hoc Sacramentum ſæpiſſimè frequentent. Qui, ſi ſingulis menſibus, quod optamus, & obteſtamur, animi ſaniem non evomant, quater ſaltem in anno, in Feſtis videlicet Nativitatis Dominicæ, Pentecoſtes, Aſſumptionis B. V. Mariæ, & Omnium Sanctorum, peccatis animum exonerent, atque Sanctiſſimo Chriſti Corpore, Sanguineque, paſcant.

7. Diligens Paſtoris officium ſi quando inſolentior ovis eluſerit, oblatumque ægrotantis animæ remedium, quod in reliquo anni decurſu contempſerat, ad tempus Paſchale diſtulerit, de rectâ animi diſpoſitione, (e) ad Sacramentum dignè ſuſcipiendum, valdè ſuſpicamur. Quare Confeſſarios hortamur, ut tali caſu prudenter ſe gerant, nec omni (f) ſpiritui credant, ſed diutinæ Sacramentorum abſtinentiæ cauſſis altius introſpectis, ac ſeverè examinatis, hujuſcemodi medicinalis eſcæ faſtidio captos, & præcepti neceſſitate dumtaxat adactos, aliquantulum probent.

8. Judicis majeſtatem, quam, in adminiſtrando Pœnitentiæ Sacramento, Confeſſarii præſeferunt, decet omninò, ut, aliquibus caſibus

pru-

prudenter exceptis, (*g*) nonniſi intrà Eccleſiam, in conſpicuo ejuſdem loco, & in propria Confeſſionali ſede, Pœnitentes à Confeſſario ligneis interpoſitis tabulis diſtinguente, & ſtamneis quibuſdam laminis, quæ ſpiſſis, minutuliſque, foraminibus terebratæ ſint, voces ſecretò colloquentium excipiente, ſuperpelliceo, & ſtolà induti, caput Sacerdotali bireto tecti, Canonici verò Metropolitanæ noſtræ in habitu ſuo chorali, ſacramentale jus dicant.

9. Nullum maſculum, niſi aliter prudentia dictet, nedum feminam, in Sacramenti hujus miniſterio, ſub pœnis arbitrio noſtro graviter infligendis, facie ad faciem audiant; & ſi fortè pœnitentium concurſus ità ſit frequens, ut intra Eccleſiæ parietes, & in Confeſſionalibus ſedibus, audiri omnes non valeant, ſuppoſititiæ ſedes aliæ in loco decentiori, patenti, & omnibus obvio, parentur, tabellis, & laminis; [*h*] numero hìc octavo præſcriptis, utrinque munitæ.

10. Ne propriæ limitatæ Juriſdictionis fines prætergrediantur aliquando, neve à recta Sacramenti forma proferenda tranſverſum, ut ajunt, unguem diſcedant, Bullam in Cœna Domini legi conſuetam, Caſuumque Nobis Reſervatorum exemplum, & formulam Abſolutionis, quæ in Additionibus ad hoc Caput imprimi mandavimus, præ oculis frequenter habeant. [*i*]

11. Pœnitentiæ Sacramentum, nec ante Solis ortum, nec poſt ejuſdem occaſum, cuiquam, præſertim feminis, extrà neceſſitatis caſum, adminiſtretur; & ſi quando in ſolemnioribus anni diebus, Sacerdotum raritas, & affluentia populorum, aliter ſuadeant, diurnæ lucis defectus, ad evitanda ſcandala, ſub arbitrariis pœnis, accenſo è regione Sacerdotis lumine, ſuppleatur; (*k*) atque tunc temporis præcipuè ſtipans hinc indè expectantium virorum, ac mulierum, multitudo, maribus ad unum Confeſſarii latus, feminis ad alterum conſiſtere juſſis, quantum fieri poteſt dividatur; quod ut etiam de die Parochi laudabiliter curent ardenter exoptamus, ne locus expiationis piaculorum fiat occaſio.

12. Sacrorum Canonum, & arbitrii noſtri, pœnas, à perfringentibus ſacramentale ſigillum rigoroſè repoſcendas, indicimus, & graviter etiam plectendos decernimus quoſcumque Sacerdotes, ſi fortè in actu excipiendæ Confeſſionis; aliquo, licèt minimo, verbo, aut ſigno, aut aliàs quomodolibet, etiam ex imprudentia, peccatorem detegant, vel de eo ſuſpicionem circumſtantibus ingerant: decet enim benignè, ac paterno prorſus amore, excipere peccatores, & Sacramenti deſiderium excitare in eis, non odium. (*l*)

13. Omnem pariter ſimoniæ, & ſordidæ cupiditatis, labem à Pœniten-

nitentiæ Miniſtris penitùs eluere ſatagentes, jubemus, ut munuſcula, (*m*) & dona à Pœnitentibus, cum præſertim officio ſacro funguntur, nequaquam petant, nec oblata accipiant: Pecuniarias ſatisfactiones, quas Pœnitentias vocant, raro, & cautè injungant, eaſque ſibi nunquam attribuant, nec in pauperes diſtribuendas, conſignari ſibi pro exequenda diſtributione curent; ſpontè tamen rogati, ut eleemoſynas certis, vel incertis pauperibus erogent, nihil obſtat, quin petentium precibus annuant; Tranſgreſſores autem ſeveras arbitrii noſtri, pro modo culpæ, pœnas dabunt. (*n*)

14. Hortamur autem Confeſſarios, ne inter ſacram Confeſſionem eleemoſynas pauperibus, præſertim feminis, largiantur, ad evitanda ſacrilegia, quæ facilè admitti ſolent à nonnullis, peccata gravia tacentibus, ne bonum nomen apud Confeſſarium amittant, cujus intuitu ab inopia ſublevantur.

15. Parochi Infirmos, ut quantocyus confiteantur admoneant, & Confeſſarius, qui ægrotantem ſibi non ſubditum abſolverit, ejuſdem Parochum de habita exomologeſi certiorem faciat, (*o*) quò proprium & ipſe munus adimpleat. Medici verò poſt tertiam viſitationem ab ægri corporis curanda valetudine deſiſtant, niſi certum de peracta Confeſſione teſtimonium eis exhibeatur. (*p*)

16. Æternæ ægrotantium ſaluti, non patrimoniis inhiantes, quicumque ſpiritualibus filiis ex hac vita profecturis Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrant, neutiquam in ultimæ eorum voluntatis conſcribendis Elogiis ſeſe ingerant, niſi ſolo charitatis intuitu, & tunc fatuas aliquando, & in odium proximorum conceptas diſpoſitiones, quantum in Domino poſſunt, dehortari ſatagant. Proprium autem commodum, vel propriæ Eccleſiæ, vel propinquorum, directè, vel indirectè, tàm proſpero, quàm infelici conatu quærentes, & attentantes, graviſſimè arbitrio noſtro puniantur. (*q*)

17. Filiarum ſpiritualium familiaritates evitent, & exhorreſcant, (*r*) curioſas, & non neceſſarias interrogationes, de proprio, alienoque periculo ſoliciti, prætermittant, ità tamen, ut nimiæ brevitatis ſtudioſi, neceſſarias peccati circumſtantias inveſtigare non contemnant. [*s*] Pœnitentes à Confeſſario ſolicitatos non abſolvant, niſi ſolicitantes Nobis, aut Sacro Inquiſitionis Tribunali denunciare præmiſerint, aut ſaltem in aliquo urgenti caſu ſeriò promiſerint. Confeſſarii verò omnes pœnas in Bulla Gregorii XV. contentas, nimirùm perpetuum Carcerem, Beneficiorum, & Officiorum privationes, & ſuſpenſionem ab audiendis Confeſſionibus, ipſo facto incurrendam, probè ſciant. Hæc propterea Bulla in calce appo-

L ſita,

ſita, ſingulis ad Confeſſarii munus admittendis, in actu examinis, vel perlegatur, vel explicetur. (*t*)

18. Peccatores in proxima voluntaria occaſione peccati, quaſi in tenebris, & in umbrâ mortis ſedentes, niſi remotâ occaſione non abſolvant; (*u*) nulla autem ſit Abſolutio complicis in re venerea, cujus materia abſolutè, & in ſe actio indifferens non judicatur, ſed per ſe in actum carnalem, ſive completum, ſive incompletum prodit.

19. Graviorum criminum, quæ in fine hujus Capitis notantur, & repetuntur inter Præcepta, & Documenta ad Parochos, & Confeſſarios ſeorſim impreſſa, abſolutionem Nobis reſervatam ſi quis Confeſſarius, tàm Secularis, quàm Regularis, abſque noſtra ſpeciali facultate, ſub prætextu quorumcumque Privilegiorum, uſurpare præſumpſerit, pœnam Excommunicationis ipſo facto, aliaſque graviſſimas incurrat, ex Decreto S. Congregationis, in Additionibus ad hoc caput impreſſo. Facultates verò abſolvendi à Reſervatis, ſi quando impetrentur à Nobis, non comprehendere caſus, quibus cenſura adnectitur, niſi ſpecialiter concedatur, declaramus. (*x*)

20. Publicè peccantes publicè pœniteant, prout magis ad ædificationem populi pertinere Illuſtriſs. Archiepiſcopus judicaverit. (*y*)

21. Ceterum pro qualitate peccatorum congruam ſemper ſatisfactionem Confeſſarii imponant, ne alienis ipſi graventur oneribus, & Canones Pœnitentiales, in Sacerdotali Romano par. 1. tract. 5. cap. 21. obvios, frequenti lectione percurrant, unde, adhibitâ temporum noſtrorum moderatione, debitas quibuſque criminibus pœnas addiſcant, & explicatâ antiquorum Patrum diſciplinâ, faciliùs ad mitiorem pœnam amplexandam delicatos quandoque peccatores alliciant.

22. De Doctrinæ Chriſtianæ Rudimentis, quos rudiores putant, interrogent, & ſi quem nacti fuerint, qui, vel negligens, vel nimis verecundus, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Fidei, Præceptaque decem addiſcere non curet, non abſolvant; quem verò non negligentiâ propriâ, ſed alia de cauſſa Rudimentorum ignarum, docilem tamen, & bene diſpoſitum, eum breviter in ijs, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, inſtruant, ſuaviterque admoneant, ut hæc poſtmodum diligentiùs addiſcat à proprio Parocho, vel, ſi non poſſit, ab aliis. (*z*)

23. Licentiæ audiendi Confeſſiones non concedantur niſi propter Eccleſiarum neceſſitatem; nec quis ad examen admittatur, niſi poſt exhibitam atteſtationem ſui Superioris, Secularis, ſeu Regularis, de ſua converſatione, moribuſque, & de idonea ſcientia. [*aa*]

24.

24. Singulis Feriis ſextis cuiuslibet hebdomadæ publicum examen, in noſtro Archiepiſcopali Palatio, poſt Veſperas, ad eos probandos, quos animarum curæ, vel confeſſionibus fidelium audiendis præfici oportebit, prout hactenus conſuevit, haberi jubemus, *(bb)* privato cujuſquam examine, ſine noſtra ſpeciali diſpenſatione, ſemper rejecto; Approbatos autem, antequam creditum ſibi munus exerceant, jubemus Sacris Meditationibus, quas Spiritualia Exercitia vocant, per octo dies incumbere penes PP. Congregationis Miſſionis, ut in Edicto noſtro de die 20. Aprilis 1705. in Additionibus impreſſo, mandavimus; ut extimeſcendum ſuſcepti officii pondus agnoſcant, & ut illo Divinæ Charitatis Spiritu affatim repleantur, quem in alios, quodammodo redundantem, refundant.

25. Omnes denique Confeſſarios, quantum in Domino poſſumus, monemus, & obſecramus, ut eâ ſcientiâ, pietate, zelo, ac virtutibus ornare ſeſe contendant, quibus pollere decet talis, ac tanti Sacramenti diſpenſatores, ne cęci cęcos ducant, & ambo, quod Deus avertat, in foveam cadant. Quod ut faciliùs aſſequantur, ſpiritualia exercitia eos quotannis iterare vehementer hortamur, juxtà Literas Sanctiſſimi D. N. D. Clementis PP. XI., quas apponi præcepimus in Additionibus; jubemuſque, ut quilibet apud ſe retineat exemplar, ſeù paginam Præceptorum, & Documentorum, quæ pro Parochis, & Confeſſariis ſeorſim, & in Additionibus etiam hujus Synodi imprimi mandavimus; necnon aliquos de Pœnitentiæ Sacramento tractantes Libros, ſeù Caſuum Conſcientiæ Summas, quas identidem, attentè, & ſeriò pervolvant, ſicut & Propoſitiones à diverſis Summis Pontificibus damnatas, aliaque ad hoc Caput ſpectantia, poſt Synodum impreſſa.

CASUUM RESERVATORUM IN HAC DIOECESI ELENCHUS.

1. Homicidium voluntarium.
2. Oppreſſio, ſeù puerorum ſuffocatio.
3. Nefaria conſuetudine Deum, B. Virginem Mariam, vel Sanctos blaſphemantes.
4. Carnes feriâ ſextâ, & Sabbato; eaſdemque, & alios vetitos cibos, Quadrageſimæ diebus, aliorumque Jejuniorum ab Eccleſia indictorum, abſque licentia comedentes.
5. Temeratores Monialium, & literas amatorias, vel inhoneſtas, ſcribentes, mittentes, vel ſcienter portantes, ſeù conſignantes Mo-

nialibus, vel puellis, aliiſque mulieribus, quocumque titulo, intra Clauſtra commorantibus, vel res, & actus inhoneſtos, coram eiſdem agentes, vel de inhoneſtis rebus, ipſis, vel coram ipſis colloquentes, ſint ipſo facto excommunicati, Excommunicatione Nobis reſervatâ.

6. Laici ementita Patrimonia Clericis ordinandis conficientes, excommunicati ſint ipſo facto, Excommunicatione Nobis reſervatâ.

(a) 1. *ad Corinth.* 11., (b) *Concil. Trident. ſeſſ.* 23. *cap.* 15. *de Reformat.*, *Synod. Diœceſ.* 1569. *tit. de Confeſſor. ſub initio*, *&* 1619. *tit.* 2. *cap.* 5. *de Pœnit.* §. 2., (c) *ex Actis Eccl. Mediol. par.* 2. *Synod.* 11. *ſub tit. de Tabell. Confeſſar. propè fin. pag.* 409., *Cardin. de Lugo de Pœnit. diſput.* 21. *ſect.* 1. *n.* 16. *& ſeqq.*, (d) *Synod. Diœc.* 1589. *tit. de Pœnit. fol.* 8., (e) *Synod.* 1589. *hoc tit.*, (f) *Epiſt.* 1. *Joan. c.* 4. *verſ.* 1., (g) *Synod. Prov.* 1573. *hoc tit. Rubr.* 32. *c.* 3., *Synod.* 1589. *hoc tit.*, (h) *Synod.* 1619. *cap.* 1. §. 4., *&* 1691. *tit.* 1. *cap.* 8., (i) *Synod. Diœceſ.* 1645. *tit.* 1. *cap.* 9. §. 2., (k) *Synod.* 1619. *ubi proximè ſupra*, (l) *Synod.* 1573. *Rubr.* 32. *de Pœnit. cap.* 6., (m) *Synod. Diœc.* 1691. *cap.* 8. *n.* 7., (n) *Synod.* 1573. *Rubr.* 32. *de Pœnit. cap.* 7., *Synod. Diœceſ.* 1610. *hoc tit.*, *Synod.* 1619. *tit.* 2. *cap.* 5. §. 7., (o) *Synod.* 1619. *tit.* 2. *cap.* 5. §. 3., *&* 1691. *tit.* 1. *cap.* 8. *num.* 3., (p) *Synod.* 1610. *tit. de Sacr. Pœnit. verſ. meminerint*, *Synod.* 1619. *tit.* 11. *cap. unic.*, *&* 1645. *tit.* 4. *de Medicis cap.* 28. §. 1., (q) *Synod.* 1619. *tit.* 2. *cap.* 5. *de Pœnit.* §. 3., *&* 1610. *de Sacr. Pœnit. fol.* 11. *verſ. caveant*, *& verſ. prohibemus*, (r) *Synod.* 1619. *ubi ſupra* §. 5., (ſ) *in d. Synod.* 1619. *ibid.* §. 6., (t) *d. Synod.* 1619. *tit.* 2. *cap.* 5. §. 9. *de Pœnit.*, *&* 1623. *de Sacram. Pœnit.*, *&* 1691. *tit.* 1. *cap.* 8. *num.* 7., (u) *Synod.* 1691. *tit.* 1. *cap.* 8. *nu.* 6., (x) *Synod.* 1619. *tit.* 2. *cap.* 5. *de Pœnit.* §. 2., (y) *Synod.* 1589. *tit. de Pœnit.*, (z) *Synod.* 1589. *tit. de Pœnit.*, (aa) *Synod.* 1610. *de Sacram. Pœnit. fol.* 10. *verſ. licentiæ*, *Synod. Diœc.* 1681. *de Sacram. Pœnitent. tit.* 6. §. 2., (bb) *Synod.* 1610. *de Sacram. Pœnitent. fol.* 10. *verſ. habeatur*.

CAPUT VII.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

1. NOrunt omnes Unctionis Extremæ Sacramentum, à Chriſto Domino inſtitutum, per Jacobum autem fratrem Domini Fidelibus commendatum, ac promulgatum, per quod reliquiæ peccatorum tolluntur, (*a*) peccata quoque ipſa, ſi confitendi deſit occaſio, & recta accedat diſpoſitio, delentur, corporiſque etiam, quatenus

tenus animæ ſaluti profutura ſit, valetudo reſtituitur, & robur animæ adiicitur; Quamobrem, ſublatis impedimentis, ſuppetiiſque receptis, erectiores ad ultimam luctam, undè infelix, vel fauſta pendet Æternitas, efficimur.

2. Hujus Sacramenti Miniſter ſolus eſt Sacerdos, (*b*) nec tamen quilibet Sacro Presbyteratus ordine inſignitus, extra neceſſitatis caſum, licitè illud miniſtrare poteſt, niſi ſit, vel proprius ægrotantis Parochus, vel ab eodem generaliter, vel ſpecialiter delegatus; quamobrem Religioſi, qui Clericis, aut Laicis Sacramentum Unctionis Extremæ miniſtrare, non habitâ ſuper his Parochialis Presbyteri licentiâ ſpeciali, præſumpſerint, Excommunicationis ſententiam incurrunt ipſo facto, per Sedem Apoſtolicam dumtaxat abſolvendi. (*c*)

3. Materia autem eſt oleum ab Epiſcopo, in die Cœnæ Domini, ad inungendos Infirmos peculiariter benedictum; Quod ſi, ex Sacerdotis incuria, Sanctum Chriſma, vel Oleum Cathecumenorum, atque adeo unum pro alio fuerit adhibitum, nullum eſſe collatum Sacramentum noverit, ſed aptâ reſumptâ materiâ, unctioneque, ac formâ repetitis eſſe iterandum.

4. Sacra Olea, Pontificali Conſecratione ſanctificata, & in ſingulos annos, (*d*) veteribus cum abſtergente goſſipio, vel alia hujuſmodi bibula materie combuſtis, eorumque cineribus in Sacrario repoſitis, renovanda, Parochi omnes intrà Civitatem, & Suburbiis, necnon Plebani, ſeù Matricium Ruralium Eccleſiarum Rectores, quomodolibet nuncupati, ab Eccleſia noſtra (*e*) Metropolitana ſingulis annis accipiant, & ab iis ſubiectis in quocumque Plebatu Parochis ſubminiſtrentur: nulli tamen, niſi Clerico Sacris ſaltem initiato, (*f*) deferenda conſignari jubemus, quâcumque tandem conſuetudine, vel abuſu nequaquam obſtantibus, niſi ſecus, ex urgenti neceſſitate, duxerimus ſpecialiter indulgendum.

5. Argenteis, vel certe ſtamneis, & quidem mundis, affabreque elaboratis in vaſculis, nunquam autem ligneis, vitreiſve, (*g*) aut in lapide alabaſtrite exciſis, propriâ, eâque perſpicuâ, ad errores devitandos, denominatione forinſecus inſcriptis aſſerventur, & extra Altare, (*h*) intra tamen Eccleſiam, vel Sacriſtiam, decenti in loco, clavi per Parochum ipſum, vel alium Sacerdotem retinendâ, nec alteri extrà neceſſitatem tradendâ, firmiter obſerato, claudantur, ne ſacrilega cuiquam Sacramentalibus abutendi denegetur occaſio.

6. Cum ad lethaliter ægrotantes Sacrum Infirmorum Oleum defertur, goſſipio plerumque, ſimilive abſorbente materia laudabiliter exceptum, ne ſit periculo effuſionis obnoxium, ſericis (*i*) in ſac-

culis

culis, corio deſuper tectis, vaſculum includatur, nec privatis in Domibus relinquatur unquam, niſi Sacerdos aliquis, ibidem continuò commorans, ſacri pignoris cuſtodem ſeſe fideliſſimum ſpoponderit.

7. Parochos autem, alioſque Sacerdotes Parochi vicem gerentes, aut ſupplentes, ſi contrà ſuperius hactenus conſtituta quidquam deliquerint, graviſſimis arbitrio noſtro pœnis, pro modo culpæ infligendis, ſubiicimus. In Sacramenti adminiſtratione, quàm, ſuperpelliceo, & ſtolâ induti, peragere debent Sacerdotes, ejuſdem Sacramenti formam, à S. Romana Eccleſia adhibitam, (*k*) vel ad ſingulas unctiones integram, vel, urgente mortis periculo, univerſis ſimul compendiariè accommodatam, præviaſque, ac ſubſequentes (*l*) precationes, ritus, ac ceremonias à Rituali Romano præſcriptas, recitent, & utramque in ægrotante corporis, animique diſpoſitionem, unctionumque numerum, ac loca accuratè diſpiciant, & obſervent, prout in Regulis, ac Rubricis ejuſdem Ritualis fusè, ac diſtinctè docentur. Secus facientes graviſſimè, prout delicti qualitas poſtulaverit, plectentur.

8. Ceterum officium ſuum Parochi, ad ſalutem populorum exquirendam vocati, ſedulò, ac ſolerter impleant: Sacramenti hujus vim, & efficaciam frequenter explicent, [*m*] ut ejuſdem etiam benè valentes deſiderio accendantur, quo in mortis articulo, niſi aliàs explicare id poſſint, tanto Sacramento roborari dignè mereantur. Præſertim verò in ejuſdem adminiſtratione ægrotum doceant, quid accipiat, & ne quiſquam doli capax, & diſcretionis, ut ajunt, annos egreſſus, per Sacerdotis incuriam abſque eo decedat, (*n*) vigilantes caveant; Nos enim, juris etiam ordine prætermiſſo, graviter animadvertendum eſſe decernimus in deſides animarum Paſtores, quorum culpâ quiſpiam è vivis, hoc non recepto opportunè Sacramento, deceſſerit, ejuſque Sanguinem de ejus manu requiremus.

(a) *Concil. Trident. ſeſſ.* 14. *in proœmio de hoc Sacram.*, (b) *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *de Extrem. Unct. can.* 4., (c) *Clement. Religioſi de privileg. & exceſſib. privilegiat.*, (d) *Synod. Diœc.* 1619. *hoc tit.* §. 3., (e) *Synod. Diœc.* 1637. *tit.* 10., *&* 1645. *tit.* 1. *cap.* 10. §. 3., (f) *Synod. Prov.* 1573. *Rubr.* 28. *de Sacram. & cor. adminiſtr. cap.* 4., *&* 1645. *ubi proxime ſupra*, (g) *anted. Synod. Provin. Rubr.* 37. *hoc tit. cap.* 1., *&* 1617. *tit.* 10., (h) *Synod. Diœc.* 1681. *tit.* 7. §. 3. [i] *Synod.* 1637. *tit.* 10., *&* 1681. *tit.* 7. §. 4., (k) *Synod.* 1573. *Rubr.* 28. *de Sacram. cap.* 3., (l) *Synod.* 1619. *tit.* 2. *cap.* 6. §. 5., (m) *Synod.* 1681. *tit.* 7. §. 2., (n) *Synod.* 1573. *Rubr.* 28. *de Sacram. cap.* 2.

CA-

CAPUT VIII.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

1. DIvina planè res eſt Sacerdotii adminiſtratio, quippè quæ Dominico Gregi inſtituendo, ſanando, paſcendo, roborando inſtituta. Quapropter formidanda, & Nobis ad tantum gradum provectio, & promoveri petentibus aſcenſio eſt, niſi cœleſtis ſapientia, probi mores, & diuturna juſtitiæ obſervatio ad id electos commendent. Ut itaque tales conſecrentur, qui Sacerdotale munus, vitæ ſanctitate, doctrinâ, fide, & prudentiâ ſuſtinere poſſint ad majorem Dei gloriam, & ſalutarem Fidelium utilitatem, illud & omni pietatis ſtudio, totoque animo, & mente ſupplici à Deo Optimo Maximo precamur, & conſtitutis his legibus intendimus.

2. Præviâ itaque primâ Clericali tonſurâ, quâ idonei ad Sacramentum Ordinis licitè, & ritè ſuſcipiendum efficimur, atque in ſortem Domini vocamur, Forique, ac Canonis privilegia ſortimur, ſeptem Ordinum gradibus, videlicet, Oſtiaratu, Lectoratu, Exorciſtatu, Acholythatu, Subdiaconatu, Diaconatu, & Presbyteratu, unum dumtaxat, & ratione finis, & ratione perfectionis Sacramentum perficientibus, ad Sacerdotium nos evehit, qui ſuſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore (*a*) erigit pauperem, Chriſtus Dominus, Sacerdos in æternum (*b*) ſecundum ordinem Melchiſedech. Et quoniam Sacroſancti Tridentini Concilii Patres quæcumque ad rectam Sacrorum Ordinum collationem, ſuſceptionem, & exercitium ſpectant, adeò providè, & accuratè, Spiritu Sancto afflante, ſanxerunt, ut nihil Eccleſiæ Dei utilius excogitari potuiſſe videatur, nec quidquam reliquum ſit nobis, quam ejuſdem Concilii Decretis, filiali, quâ decet, obedientiâ penitus cuſtodiendis totius animi viribus invigilare; propterea omnia, & ſingula ab eadem Sacra generali Synodo de Ordinum (*c*) collatione, ac ſuſceptione diſpoſita, & deinceps Apoſtolicis in Literis declarata, aucta, vel ſuppleta, omninò impleri, & inviolabiliter exequi, ſub pœnis inibi inflictis, aliiſque arbitrio noſtro declarandis, præcipimus, ac mandamus.

3. Ne verò quiſpiam in re tanti momenti, quanti eſt Eccleſiæ Miniſtrorum electio, & conſecratio, quidquam, vel ex ignorantiâ legum, vel malitiosè delinquat, Prædeceſſorum Noſtrorum veſtigiis inhærentes, & Summorum Pontificum mandatis obtemperantes, præcipua quædam, & quæ ad Pontificis ordinántis juriſdictionem, & indulgentiam, & quæ ad Ordinandorum idoneitatem, ac decorem

ſp:-

ſpectant, peculiariter rememoranda, & recenſenda operæpretium exiſtimamus.

4. Quamvis igitur, ratione adepti Beneficii, inſtituentis Epiſcopi Juriſdictioni Clericus ſubiiciatur, niſi tamen (*d*) annui ejuſdem fructus, juxtà Synodales Conſtitutiones, ſive morem regionis, congruo Beneficium in extera Diœceſi poſſidentis alimento ſufficiant, ſublatâ facultate ſupplendi cum adjectione Patrimonii, etiam pinguis, nequaquam Subditus alieno Epiſcopo, ad effectum ſuſcipiendi Ordines, cenſeatur: Quæ ſi omnia copulativè ad legitimam ſubjectionem concurrant, adhuc minoribus Ordinibus à proprio Ordinario initiatus promoveri ad ulteriores ab Epiſcopo Beneficij non poſſit, niſi eidem Teſtimoniales ſuper vita, & moribus Literas proprii Paſtoris, tàm Originis, quàm Domicilii, in Actis Curiæ Promoventis aſſervandas, exhibuerit, ſub pœnis à S. Mem. Innocent. PP. XII. inflictis in Sacra Conſtitutione, quàm, ne ullum unquam lateat, in Synodi Additionibus tranſcribi mandavimus.

5. Hujuſmodi autem ſic promotis, ne ſuſceptorum Ordinum in Diœceſi noſtra fungantur officio, antequam Apoſtolicæ Conſtitutionis formam, & diſpoſitionem exactè adimpletam fuiſſe, intra terminum à Nobis aſſignandum, ſine ullo tamen diſpendio, docuerint, vel aliàs à Nobis approbationem impetraverint, ſub pœna ſuſpenſionis à ſuſcepti Ordinis exercitio, arbitrio noſtro duraturæ, diſtrictè prohibemus.

6. Ab humili gradu Fidelis populi ad ſacrarum adminiſtrationum ſublimitatem nullo modo promovendos decernimus, qui, poſt mutatum habitum ſecularem, (*e*) diuturnâ ſaltem triennali, eàque laudabili inter Clericos converſatione fuerint comprobati, ac multo tempore didicerint, quæ poſtmodum alios docere tenentur.

7. Quamobrem extra præſcripta à Jure tempora, jejunio, & oratione conſecrata, promoveri cupientibus, ne in quærendis Apoſtolicæ Sedis Indultis operam perdant, Decreta S. Congregationis, à felicis recordationis Innocentio PP. XII. ſpecialiter deputatæ, in Synodi Additionibus duximus inſerenda, in quibus, rejectâ ſimilium conceſſionum facilitate, quæ in Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ſacrarum legum contemptum ſeorſim irrepſerat, ſeverior indulgendi modus præſcribitur, & legitimæ diſpenſandi cauſſæ declarantur, quibus, vel earum aliquâ, minimè concurrentibus, Apoſtolica Sedes à legum rigore non temperat.

8. Nos autem, nedum in exequendis hujuſmodi Literis Apoſtolicis, nequaquam coactivis, arbitrio autem tantum, & conſcientiæ noſtræ

Digitized by Google

noſtræ remiſſis, intra terminos declaratæ facultatis omninò conſiſtere, ſed narratæ etiam cauſſæ veritatem, & Supplicantis merita penitus inveſtigare indiſpenſabiliter proponimus.

9. Quotquot autem ſtatis temporibus Sacræ Militiæ nomen dare, vel ad ſuperiores Ordinum gradus aſcendere concupierint, duobus ante generalem Ordinationem Menſibus, ſupplicem libellum, & documenta ſingulis Ordinibus diſtinctè conſtituta, Secretario Congregationis pro Ordinandorum qualitatibus examinandis à Nobis nuper erectæ perferant, & ea omnia adamuſſim impleant, quæ in Inſtructione deſuper impreſsa, & poſt Synodum juſſu noſtro reimprimenda ſeorſim jubentur, perindè ac ſi ejuſdem Inſtructionis tenor de verbo ad verbum hìc haberetur inſertus.

10. Quæ enim in Edicto deſuper edito maturè ſtatuimus, hæc ita Synodalium noſtrarum Conſtitutionum præcipuam, & clariorem partem exiſtimamus, quemadmodum manuum impoſitio gravior eſt cura Paſtoralis noſtræ ſolicitudinis, & incredibilis cauſſa pavoris.

11. Ubi ſecretis Congregationis præfatæ ſuffragiis ſupplicantes pro Ordinum ſuſceptione exaudiri meruerint, & idipſum ex notula approbatorum Cancellario noſtro tradenda dignoverint, publico ſeſe Examini conſtitutà die exponant, ut inde expediti, (*f*) Spiritualia Exercitia, ſingulis Sacris Ordinibus dumtaxat neceſſariò præmittenda, peragant, juxtà Literas de mandato S. M. Innocentii PP. XI. ſingulis Ordinariis tranſmiſſas, & in Additionibus hujus Synodi impreſſas.

12. Quoniam Sacroſancti Tridentini Concilii (*g*) Decreto nullus primâ Tonſurâ initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus conſtitutus, fori privilegio gaudet, niſi Beneficium Eccleſiaſticum habeat, aut Clericalem habitum, & Tonſuram deferens, alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſerviat: Omnes, & ſingulos hujuſmodi Clericos ſeriò monemus, ut Edictum, aliàs per Nos promulgatum, & in Additionibus reimpreſſum, quoad habitum, & Tonſuram omninò ſervent, & Eccleſiæ, quibus adſcribuntur, cum effectu deſerviant. (*h*)

13. Nedum Clericis in Exorciſtas aſſumptis, ſed nulli etiam prorſus Sacerdoti, Seculari, (*i*) vel Regulari, liceat in poſterum Energumenis exorciſmos adhibere, niſi de licentia Ordinarii in ſcriptis habita, ac ſumma cum reverentia, & pietate, in Eccleſijs, ſeu ſaltem coram plurimis honeſtis perſonis, devotè, ac piè orantibus; Tranſgreſſores, præter Excommunicationem, quam volumus ipſo facto incurrere, carcere, aliiſque arbitrariis pœnis puniemus. Revo-

cantes, caſſantes, & annullantes quaſcumque licentias, ante promulgationem noviſſimi Decreti Sanctiſſimi D. N. D. Clementis XI. de die 21. Junii 1710. in Additionibus impreſſi, conceſſas; omnibus prohibendo, ne abſque recentiori noſtra facultate tali muneri fungantur; quæ licentia cum delectu, & examine prævio de pietate, & virtutibus, de doctrina, de prudentia, & peritia in Exorcizante requiſita, dumtaxat concedatur. Atque ii, quibus conceſſa fuerit, ſervent ad unguem regulas, & adhibeant precationes in Rituali Romano traditas pro exorcizandis obſeſſis; aliis omnibus rejectis, & damnatis, quas Apoſtolicæ Sedis Judicium ſpeciali confirmatione non approbavit, juxtà Decretum SS. D. N. ſuperius commemoratum, quod omnimodè ſervari præcipimus, atque mandamus.

14. In Patrimoniis conſtituendis, (quod etiam ad Beneficia pacificè poſſeſſa protendimus) annuus quinquaginta ſcutorum fructus ab omni reali onere liber, proùt hactenus conſuevit, pro congruis alimentis probetur, & bonorum libertas attendatur; fideicommiſſo tamen obnoxia, dummodo Ordinandus ſit de vocatis in fideicommiſſo, & dummodo portio patrimonio ſubjecta non excedat ratam bonorum eorumdem Ordinando tangentem, non reſpuimus. *(k)*

15. Patrimonium, tituli loco ſubrogatum, quantumvis ſub conſueta conditione reverſionis ad conſtituentem, ubi primum Ordinatus aliundè ſufficienter proviſus fuerit, nullo modo, ſub pœna ſuſpenſionis à Divinis Nobis reſervatæ, *(l)* ipſo facto incurrendæ, alienari, vel retrocedi, abſque noſtra facultate, poſſit, quam nullatenus impártiemur, niſi de idoneis obtenti Beneficii, vel aliis ſupervenientibus redditibus, plenè conſtiterit.

16. Qui ficto Patrimonio, vel cum pactis de non exigendis ejus fructibus, majores Ordines aſſumpſerint, ipſo facto *(m)* ſuſpenſionem à Divinis incurrant; Laici verò hæc ementita Patrimonia conficientes, ſeù potiùs confingentes, eo ipſo Excommunicatione Nobis reſervatâ innodentur; manentibus in ſuo robore etiam pœnis antiquorum Canonum, à Concilio Triden. ſeſſ. 21. cap. 2. innovatis, & arbitrariâ ulteriùs graviſſimâ animadverſione, pro qualitate delicti, & perſonarum, Nobis reſervatâ.

17. Sacerdotio autem initiandi, poſt Diaconatum, niſi Eccleſiæ neceſſitas aliud exquirat, ab interſtitijs minimè diſpenſentur.

18. Denique omnes inter Eccleſiæ Miniſtros aſciti dignitatem propriam agnoſcant, & bonorum operum exemplo, ac frequentiâ Sacramentorum, ſupra reliquos Chriſtianæ Religionis alumnos ſeſe evectos exhibeant, utque proprio muneri dignè ſatisfaciant, omnia

fide-

fideliter exequantur, quæ infra, cum de vita, & honeſtate Clericorum agetur, præſcribentur.

19. Et ut peccandi tollatur occaſio, Congregationis à Nobis erectæ Deputatos enixè rogamus, ut ſuſpecta ſemper Nobis Patrimonia, ſeu eorum ſupplementa, quæ ab extraneis conſtitui aliquando ſolent, ſeveriùs examinent, & pietatis titulo fucatam fraudem accuratiùs exquirant, raram enim credimus piam vere munificentiam in Clericos, niſi arcta donantis neceſſitudo, & facultatum copia, veriſimilem faciant nullo onere prægravatam largitionem.

(a) *Pſalm.* 112. *ver.* 6., (b) *Pſalm.* 109. *ver.* 5., (c) *Conc. Trident. ſeſſ.* 25. *de Refor. cap.* 5. *& plurib. ſeqq.*, (d) *Innoc. XII. in Conſtit. Speculatores Domus Iſrael ſub dat. prid. non. Novemb.* 1694., *Synod. Diœc.* 1699. *tit.* 11. *cap.* 6., 7. *&* 8. *pag.* 17. *& ſeqq.*, (e) *dicta Synod.* 1699. *ubi ſupra cap.* 6., (f) *Synod. Diœc.* 1681. *tit.* 5. §. 4., *&* 1691. *tit.* 1. *num.* 3., (g) *ſeſſ.* 23. *de Reformat. cap.* 6., (h) *Synod. Diœc.* 1656. *tit.* 4. *cap.* 2., (i) *Synod. Diœc.* 1619. *tit.* 2. *cap.* 9. §. 2., (k) *Synod. Diœc.* 1645. *tit.* 1. *cap.* 11. §. 2., *&* 1678. *tit.* 8. *cap.* 3., *&* 1699. *tit.* 11. *cap.* 4., (l) *Synod.* 1645. *tit.* 1. *de Ordin. cap.* 11. §. 3., *&* 1699. *ubi proximè ſupra*, [m] *Synod. Diœc.* 1678. *tit.* 8. *cap.* 3., *&* 1699. *tit.* 11. *c.* 5.

CAPUT IX.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

1. CUm de Virginibus præceptum Domini non habeamus, *(a)* ſed conſilium, & cum nubere magis expediat, *(b)* quam uri; unuſquiſque enim *(c)* proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius verò ſic; Propterea ſecundum indulgentiam, *(d)* non ſecundum imperium, ſacra Matrimonii fœdera nubentibus proferimus, & quemadmodum ſancta res eſt Matrimonium, magnumque Sacramentum *(e)* in Chriſto, & Eccleſia, ut ſanctè tractetur, propriis legibus, ex Sacroſancto præſertim Tridentino Concilio, & ex provida Prædeceſſorum noſtrorum circumſpectione, communimus.

2. Sponſalia, quæ mutua futurarum nuptiarum promiſſio ſunt, & quæ ad eorum probationem, antiquis *(f)* Eccleſiæ noſtræ Conſtitutionibus deſuetudine abrogatis, Parochi, vel Notarii præſentiam, ſub pecuniaria inflicta pœna, poſtulabant, ne ſaltem etiam mutuo interveniente Partium conſenſu, ſine noſtra facultate, auctoritate, ſeu Decreto diſſolvantur, *(g)* ſub pœna ſcutorum decem, enixè prohibemus.

3. Periculoſam Sponſorum de futuro familiaritatem, & frequentiores congreſſus ultra duos, & tunc ipſius Sponſæ propinquis præſentibus, (*b*) ad incontinentiæ crimen evitandum, vehementer abhorremus: Cohabitationem verò ſub eodem tecto, omni jure damnatam, (*i*) ſub pœna quatuor aureorum in ſingulas vices quoad mediocres perſonas, vigintiquinque verò quoad divites interdicimus, pœnamque huiuſmodi, tàm ab utriſque Sponſis, quàm ab eorum reſpectivè Parentibus repoſcendam, & accuſatori pro medietate, pro alia verò medietate pauperibus Parochiæ, in quà Sponſi morantur, applicandam decernimus.

4. Nonniſi certò conſcii de legitima Contrahentium ætate, & de libero utriuſque conſenſu, ſaltem ex reciproca aſſertione Parochorum, ſi Sponſi de diverſa Parochia fuerint, (*k*) ad futuri Matrimonii denunciationes Parochi procedant, quas ter in diebus feſtivis de præcepto, inter Miſſarum ſolemnia, & majori populi frequentia, tàm in viri, quàm in mulieris Parochiali Eccleſia, ſub pœna (*l*) quatuor aureorum, pro medietate accuſatori, pro altera medietate pauperibus Monaſteriis applicanda, repetere teneantur: Eas in totum, vel pro parte remittendi facultate Parochis penitus interdictâ, cum id totum Epiſcoporum arbitrio (*m*) prorſus committatur. Ipſâmet tertiæ denunciationis die, niſi ea fuerit feria tertia ante Cineres, vel Sabbathum ante Dominicam Adventus, Sponſi per verba de præſenti (*n*) non conjungantur, ſine noſtra in ſcriptis facultate. Si tamen diebus, ut ſupra exceptis, etiam Nobis inconſultis conjungendi fuerint, tunc Parochi in actu ſecundæ denunciationis Populum (*o*) moneant de Matrimonio poſt tertiam denunciationem immediatè contrahendo, ut impedimenta, ſi quæ noverint, ad Parochum maturius perferant: Quoties ab ultima denunciatione, nondum celebrato Matrimonio, bimeſtre ſpatium effluxerit, denunciationes omnes rurſus iterandas, niſi (*p*) ſecus viſum Nobis fuerit, ſub iiſdem pœnis, præcipimus.

5. Quandocumque denunciari Matrimonia contigerit, Parochi omnes, ruri præſertim, impedimenta, quibus dirimuntur, modeſtè Populis commemorent, ne (*q*) eorumdem ignari fruſtra interrogentur, aut perperam reſpondeant. De pœnis etiam non revelantium in re tàm gravi vehementer admoneant.

6. Parochus, ad quem Nuptiarum benedictio, & Sponſorum conjunctio non pertinet, alteri Parocho Fidem peractarum (*r*) ſub certis diebus denunciationum facturus, de ſufficienti ſimul ſui Parochiani in Chriſtianæ Fidei rudimentis exercitatione teſtetur, ſuper quo ejuſdem conſcientiam oneramus.

7. Qui-

7. Quicumque impedimenti alicujus dirimentis conſcius, illud Parocho, aut Nobis (*s*), ultra octo dies, deferre neglexerit, inflictas à Jure pœnas ſe noverit incurſurum. Malitioſè verò ad futurum Matrimonium perfringendum, vel retardandum, falſa quæpiam impedimenta comminiſcens, conſtito de calumniâ, decem ſcutorum pœnam, offenſæ Parti, vel Piis Locis applicandam, incurriſſe cenſeatur, & tamen arbitrii etiam noſtri ſeveritatem non evitet.

8. Objectum à quovis publico, vel ſecreto delatore impedimentum inter Sponſos, ab ulterioribus denunciationibus, vel ſi eæ completæ fuerint, ab anuli datione, Parochos omninò deterreat, propoſitique impedimenti negotium, (niſi ejus inſubſiſtentia, vel calumnia manifeſtè patuerit) ad Nos, vel Vicarium noſtrum afferatur determinandum.

9. Sponſalia de futuro ſcienter intra prohibitos gradus contrahentes; Matrimonium per verba de præſenti eâdem malâ fide attentantes; idemque inceſtuoſâ, vel fornicariâ copulâ pollicentes, (*t*) graviſſimis arbitrii noſtri pœnis, habitâ inter crimen, & crimen ratione diſparitatis, ac turpitudinis plectemus.

10. Libertatem Conjugii, ſub anathematis pœna ex Sacra (*u*) Tridentina Synodo, nemo impedire præſumat: Ad Matrimonium contrahendum, directè, vel indirectè cogentes, (*x*) ejuſdem anathematis gladio ipſo facto feriantur; omnia denique in hujus Sacramenti adminiſtratione ſerventur, quæ ex eodem Concilio, Ritualique Romano (*y*) Parochis præſcribuntur.

11. In Matrimonium conjungendi ſint in Fidei Catholicæ Myſteriis ſufficienter eruditi, & eo anno Paſchali Communione refecti. (*z*) De Sacramenti etiam natura, & ſanctitate, de mutua fidei maritalis obſervatione, ac de piè educandæ prolis oneribus doceantur.

12. Matrimonio copulandi, ut gratiam Sacramenti recipiant, nullius culpæ lethalis conſcii, (*aa*) ſed Pœnitentiæ lavacro mundati, ad illud contrahendum accedant, & Euchariſtico Pane recreentur: Parochi verò, quantum fieri poteſt, per ſemetipſos, legitimo impedimento ceſſante, (*bb*) non per alios, & Matrimonia conjungant, & Sponſos, ac Sponſas benedicant, non tamen in ſecundis Nuptiis, (*cc*) niſi mulier ipſa primo nubat, & ita in loco mos inoleverit: Parocho autem legitimè impedito, qui Parochi vices ſupplet diligenter exequatur, ac ipſi Parocho mandanti, verbo, vel ſcripto, quidquid egerit fideliter referat.

13. Privatis contrahentium in domibus (*dd*) nequaquam, ſine noſtra facultate, Matrimonia celebrentur; Sancta enim ſanctè tractare Chriſtianos decet.

14. De-

14. Declarent Parochi Nuptias, (*ee*) vel Nuptiarum ſolemnes Benedictiones, ab Adventu D. N. J. Chriſti uſque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum uſque ad octavam Paſchatis incluſivè ſolùm eſſe prohibitas: In aliis verò temporibus poſſe ſolemniter celebrari.

15. Vagantium hominum, & alienigenarum Matrimoniis ne interſint, juxtà Tridentini Concilii Decreta, niſi prius Teſtibus in Curia noſtra examinatis, ad formam Inſtructionis Sanctæ, & Univerſalis Inquiſitionis de Urbe, quam ad omnimodam obſervantiam in Additionibus duximus inſerendam, & niſi obtentâ à Nobis ſpeciali in ſcriptis facultate, (*ff*) quam, propriæ exonerationi conſulentes, Parochi penès ſe retinere, & conſervare curabunt.

16. Quoſcunque intra prohibitos gradus Matrimonium contraxiſſe Parochi, aliique repererint, ad notitiam noſtram (*gg*) deducant, ut & eos ab invicem ſeparare, & Proceſſus conficere, & alia adimplere poſſimus, ad quæ Tridentini Concilii Decretis obſtringimur.

17. Particularem in Codicem referant omnia, & ſingula Matrimonia, quibus ipſi, vel alii de eorum mandato, hoc ipſum diſtinctè adnotantes, interfuerunt, & nedùm Contrahentes, eorumque Patrum, & Avorum, [*hh*] ſed etiam duorum Teſtium, ad id ſpecialiter vocatorum, nomina conſcribant; Quod ſi ſecundæ Nuptiæ alterius ex Conjugibus fuerint, ſummoperè laudabimus diligentiam Parochi, priora Vidui, vel Viduæ Conjugia recenſentis. Matrimoniorum hujuſmodi notam in Archivio noſtro recondendam circa Feſtum S. Joannis Baptiſtæ, necnon Librum ipſum à Nobis approbandum, quotannis ad Curiam mittant.

18. Ceterum denunciationibus omiſſis, aut Nobis prohibentibus, vel Parocho juſtis de cauſſis diſſentiente, Matrimonia ne contrahantur, ſub pœna ducentorum aureorum à Contrahentibus, & viginti quinque à quolibet Teſte repoſcenda. (*ii*)

(a) *Paul. 1. ad Corinth. cap. 7. ver. 25.*, (b) *Paul. 1. ad Corinth. cap. 7. ver. 9.*, (c) *Paul. 1. ad Corinth. c. 7. ver. 7.*, (d) *Paulus ibid. ver. 6.*, (e) *Paul. ad Epheſ. cap. 5. ver. 32.*, (f) *Synod. Provin. 1517. de Sponſal. & Matrim. cap. 1. §. 3.*, (g) *d. Synod. 1517. ubi ſupra cap. 12. fol. 44., & 1573. hoc tit. cap. 12.*, (h) *Synod 1517. ubi ſupra cap. 2. fol. 38., & 1573. Rubr. 35. cap. 6.*, *& Diœceſ. 1691. tit. 1. cap. 11. §. 4., & 1699. tit. 12. cap. 5.*, (i) *Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.*, (k) *Synod. Diœc. 1589. hoc tit. §. 2., & 1619. cap. 8. de Matrim. §. 2. & 3., & 1681.*

Digitized by Google

& 1681. tit. 9. §. 4., (l) *Synod. Prov.* 1573. *Rubr.* 35. *cap.* 2., *& Diœc.* 1691. *tit.* 1. *cap.* 11. §. 3., (m) *Trid. ubi proximè ſupra*, (n) *Synod. Diœc.* 1619. *de Matrim.* §. 4., (o) *d. Synod.* 1619. *tit.* 2. *cap.* 8. *de Matrim.* §. 4., (p) *Synod.* 1619. *ubi ſupra* §. 3., (q) *Synod.* 1517. *de Sponſal. & Matrim. cap.* 5. §. 1., (r) *Synod.* 1573. *Rubric.* 35. *cap.* 4., (ſ) *Synod. Diœc.* 1508. *lib.* 4. *Rubr.* 36. *fol.* 76., *Synod.* 1517. *de Sponſal. & Matrim. cap.* 6., (t) *Synod.* 1517. *de Sponſ. & Matrim. cap* 4. *fol.* 39., (u) *ſeſſ.* 24. *cap.* 9. *de Reformat. Matrimon.*, (x) *Synod.* 1573. *Rubr.* 35. *cap.* 9., *&* 1619. *tit.* 2. *cap.* 8., (y) *Synod Diœceſ.* 1681. *tit.* 9. §. 1., *&* 1691. *tit.* 1. *cap.* 11. §. 2., (z) *Synod.* 1589. *hoc tit.* §. 3., *&* 1691. *tit.* 1. *cap.* 11. §. 5., (aa) *Synod. Diœc.* 1610. *hoc tit.* §. 2., (bb) *Synod.* 1573. *de Sacr. Matrim. Rubr.* 35. *cap.* 4., (cc) *Synod.* 1508. *lib.* 4. *Rubr.* 39. *fol.* 76., *&* 1619. *hoc tit.* §. 5., (dd) *Synod.* 1589. *hoc tit.* §. 1., *&* 1645. *cap.* 12. §. 3., (ee) *Synod.* 1573. *Rubr.* 35. *cap.* 11. *fol.* 76., *&* 1619. *tit.* 2. *cap.* 8. §. 5., (ff) *Synod.* 1573. *Rubr.* 35. *cap.* 5., *& Diœceſ.* 1637. *tit.* 14., *&* 1691. *tit.* 1. *cap.* 11. §. 4., (gg) *d. Synod.* 1573. *Rubr.* 35. *cap.* 8., (hh) *Synod.* 1573. *hoc tit. cap.* 3., *& Diœc.* 1645. *cap.* 12. §. 4., *&* 1681. *tit.* 9. §. 3., *&* 1691. *tit.* 1. *cap.* 11. §. 5., *&* 1619. *cap.* 8. §. 6., (ii) *Synod. Diœc.* 1629. *hoc tit.* §. 2.

TITULUS III.

DE SACROSANCTIS ECCLESIIS, EARUMQUE MINISTRIS.

Divinæ Miſericordiæ fontem, in ſeptem Eccleſiæ Sacramenta, veluti in totidem ſalutaris aquæ rivulos, diverſis Animarum noſtrarum languoribus efficaciter curandis aptiſſimos, derivatum, Dilectiſſimo Gregi Paſtorali noſtræ ſolicitudini commendato à Chriſto Domino ſingillatim aperuimus. Jàm verò Sacroſanctæ Eccleſiæ, in quibus Sacramenta conficiuntur, & miniſtrantur, Eccleſiarumque Miniſtri, qui diſpenſatores ſunt Myſteriorum Dei, ad Divinæ Domus nitorem augendum, & Eccleſiaſticam diſciplinam in Clericis promovendam Nos vocant, ut loca, tot, ac tantis Divinæ in nos Miſerationis perenniter ſcatentia liquoribus, debito Populorum cultu, ac orna-

ornamentorum venuſtate Paradiſum intuentibus referant, quem credentibus præfigurant, & aperiunt; & ut genus electum, Regale Sacerdotium, incontaminatis undequaque moribus, muneris ſublimitati ſanctitatique reſpondeat.

DE ECCLESIARUM IMMUNITATE.

CAPUT I.

1. ECcleſiarum decus eſt, & ſingulare privilegium, ut in eis, veluti extra terras conſtitutis, & in montibus ſanctis fundamenta habentibus, ſileat humana omnis poteſtas, quia Domus Domini ſunt in terris. Hinc proinde, de Sacroſanctis Eccleſiis acturi, ab earumdem immunitate exordimur, unde, & Eccleſiarum maximè dignitas, & religioſa Regum, ac Principum in Deum pietas eluceſcunt.

2. Immunitatem Eccleſiarum, in Urbibus ad præſidia fugitivorum ſeparatis; & in Altari Templi Jeroſolymitani divina lege (*a*) conſtitutam, Pontificioque, (*b*) ac Cæſareo (*c*) jure communitam, Sereniſſimi Principes in Etruria noſtra regnantes, acerrimi profectò Catholicæ Fidei Propugnatores, Apoſtolicæ Sedis obſervantiſſimi, & ergà Eccleſiaſticos Viros, ac Loca Pia, & religioſa Regiâ verè munificentiâ in primis conſpicui, conſtantiſſimè ſemper, nedum venerari, ſed etiam fovere, ac defendere eximiâ pietate conſueverunt. Eorumdem itaque (*d*) patrocinium, & opem imploramus, ut debitus Deo cultus, ac Miniſtris, & Myſteriorum ejus diſpenſatoribus legitimus honor exhibeatur; & ne Officiales, Magiſtratus, aliique eorum adminiſtrationi Præfecti, Eccleſiaſticam Juriſdictionem, & libertatem ulla ex parte violent impune, ſed potiùs, juxtà Sanctiones Apoſtolicas, ac Synodales has noſtras Conſtitutiones, religiosè tueantur, ac vindicent.

3. Nihil magis Religioſorum locorum, præſertim ubi dicatæ Deo Virgines aluntur, inficit libertatem, ſanctitatemque commaculat, ac veriorem lædit, ſeù potius evertit immunitatem, quàm ſi intra, vel propè Eccleſias ædificetur Altare (*e*) præter Altare Domini Dei noſtri. Quamobrem, ut à Domo Dei longè omninò abigamus abominationes, & Idola, quibus decepti aliquando Chriſtifideles, thus verò Deo adolendum, immunditiæ ſimulacris accendunt, municipalibus Patriæ Legibus, in Provinciali Florentina Synodo ſemel, iterumque laudatis, (*f*) & approbatis inhærentes, interdicimus, ne feminæ palam inhoneſtè viventes, ducentis cubitis propè Monaſteria Mo-

by Google

Monialium, & centum propè oſtia, aut ingreſſus Eccleſiarum, domicilium habeant: Quod ſi intra ea ſpatia ipſæ habitaverint, aureis quindecim Fiſco mulctentur.

4. Seclusis Criminibus in Gregoriana Conſtitutione (*g*) exceptis, & conditionibus in ea præſcriptis minimè ſervatis, divellere ab Altari non licet reos ad illud confugientes: ſed quamquam Jure cautum eſſe videatur, quamlibet Eccleſiam hujuſmodi privilegio gaudere, ut per triginta paſſus in ambitu ſuo ad ſe refugientibus Immunitatem præſtet, attamen, quia in locis anguſtis, prout Florentiæ experimur, frequentia Eccleſiarum, ad invicem quodammodo contiguarum, totam fermè Civitatem, ſervatâ ſupradictâ diſtantiâ, redderet immunem, idque ſine magno publicæ utilitatis incommodo Juſtitiæque diſpendio ſervari non poſſet; Propterea, Prædeceſſorum noſtrorum (*b*) veſtigia ſequentes, declaramus ea tantum loca circum Eccleſias in Civitate Florentiæ Immunitatem ad ſe confugientibus præſtare, quæ aliquo notabili ſigno à viis publicis, & aliis locis profanis diſtinguuntur; ſervatâ de cetero, quoad alias Eccleſias extrà Civitatem, Communis Juris diſpoſitione.

5. Domus verò Eccleſiis adjacentes ita tandem criminoſos, ac debitores, etiam ceſſantes Jure noſtro Municipali appellatos, à captura defendunt, ſi eas Clerici, aut Perſonæ alioquin Religioſæ eidem Eccleſiæ jugiter ſervientes, ex perpetua ejuſdem domus deſtinatione, continuò inhabitent: Domos enim, quas, vel mercede conductas, vel gratuitò conceſſas, debitores ipſi, vel alii, quantumvis Clerici Eccleſiæ non famulantes, inhabitant, nullâ prorſus volumus Immunitate gaudere. Sciant tamen Clerici, quod intrà domum Eccleſiæ, cui famulantur, & quam, veluti ejuſdem obſequiis mancipati, jugiter habitant, ac intra locos ei adjacentes, (*i*) nullo modo ſe prædictâ libertate, & Immunitate tueri poſſunt, quo minus in omnibus Ordinarii Judicio, & executioni contrà eos commiſſæ ſubjaceant.

(a) *Exod. cap.* 21. *ver.* 13. 14., *Num. cap.* 35. *ver.* 6., *Deuter. cap.* 19. *ver.* 3. *& ſeqq. Ioſ. cap.* 20. *ver.* 1., (b) *Cap. inter alia cap. penult. de Immunit. Eccl., & cap. minor, & duob. ſeqq.* 17. *quæſt.* 11., *Concil. Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 20. *de Reform.*, (c) *Rubr. & tot. tit. C. de his qui ad Eccleſ. confug., & in Auth. de Mandat. Principis* §. *Neque autem*, (d) *Synod. Provin.* 1573. *Rubr.* 13. *cap.* 1., (e) *Joſ. cap.* 22. *ver.* 19., (f) *Synod. Provin.* 1517. *de Immunit. Eccl. cap.* 1. *pag.* 112., & 1573. *eod. tit. Rubr.* 13. *cap.* 2., (g) *Conſtit. Gregor. XIV quæ incipit: Cum alias nonnulli*

edit. anno 1591. *in Bullar. impreſſ. Lugduni tom.* 2., (h) *Synod.* 1517. *de Immunit. Eccleſ. cap.* 2. *pag.* 112., *&* 1573. *eod. tit. Rubr.* 13. *cap.* 3., (i) *Synod.* 1517., *&* 1573. *ubi ſupra.*

CAPUT II.

DE REVERENTIA SACROSANCTIS ECCLESIIS EXHIBENDA.

1. QUam terribilis ſit locus iſte, (*a*) ubi Domus Dei eſt, & porta Cœli, ſatis norunt Catholici Principes, qui, omnimodâ Immunitate indultâ, Jus Regis in Eccleſiis conquieſcere ſinunt, & ſacra Regis Regum Limina, terrenâ demiſsâ Majeſtate, venerantur. Idipſum verò neſcire prorſus innuunt, qui irreverenter ſacras Ædes adeunt, ubi Angeli contremiſcunt, ignorantes eos, qui Domum orationis faciunt ſpeluncam latronum, ibi juſtum Judicem provocare ad ultionem, ubi clementiſſimum Patrem placare ſperant ad veniam.

2. Quamobrem B. Pii V. Conſtitutionem, (*b*) Apoſtolico verè zelo conſcriptam, & à Prædeceſſoribus noſtris univerſo Gregi ad obſervandum inconcuſsè propoſitam, iterum promulgamus, & ſub pœnis ibidem inflictis, obſervari præcipimus, & mandamus; Parochis univerſis diſtrictè jubentes, ut reverentiam Eccleſiis debitam, pœnas temporales, ac æternas earum contemptoribus irrogatas, ſubjectis ſibi Populis identidem commemorent.

3. Domum Dei ſemper [*c*] decet ſanctitudo, præcipuè verò cum ſacra Miſſæ Myſteria, vel divina celebrantur Officia, vel ſacræ Conciones, vel Chriſtianæ Doctrinæ tyrocinia habentur, vel alia quæcumque pietatis exercitia peraguntur. Ne itaque functiones hujuſmodi omninò perturbari, aut deturpari contingat, vigintiquinque aureorum (*d*) pœnam, & alias arbitrarias, etiam corporis afflictivas, in temerarios Templorum temeratores irrogamus, ſi qui deambulare, vociferari, incompoſitè ſtare, aut ſedere, Celebranti Sacerdoti, vel Euchariſtiæ tabernaculo terga vertere, vel aliud quidpiam contra Eccleſiæ decorem, & ſacrarum actionum reverentiam indecenter admiſerint.

4. Severiora tamen pœnarum flagella, pro delinquentium, vel delictorum qualitate decernenda, contrà quoſcumque ſcurrilibus, turpibus, vaniſque colloquiis, & fœdâ cum Mulieribus etiam honeſtis dicacitate, vel indecori cujuſpiam actus procacitate, ſacrarum Ædium limina profanantes, (*e*) ultra pœnam ſuperiùs inflictam, Nobis

Nobis reſervamus: Mandantes omnibus Eccleſiarum Rectoribus, ac Superioribus, necnon Sacriſtis, Oſtiariis, aliiſque earum Cuſtodibus, ut præmiſsâ monitione Evangelicâ, ni reſipuerint, præfatos omnes ſanctiſſimæ legis tranſgreſſores ad Nos deferant, ſub pœna duorum aureorum, partim delatoribus, partim Monaſteriis pauperibus ex æquo applicanda.

5. Opportunitas certi loci, ac temporis, quibus invariabiliter ad Eccleſias conveniunt Sacerdotes, ac Clerici earumdem Choro famulantes, anſam non modicam, neque raram præbet, ut qui cum eiſdem, vel de privatis, vel de publicis, & tàm de domeſticis, quàm de forenſibus negociis, vel de ſpirituali, ac temporali Monaſteriorum regimine, agere quidquam debent, non ſecus, ac in publico quodam foro, vel in propria taberna, vel in Curia repertos, in ipſamet Eccleſia, non ſine intuentium, ac audientium ſcandalo, palam alloquantur, facientes Domum Dei domum (*f*) negociationis; Cum itaque Divinæ Majeſtati, quæ in Templis adoratur, maximè injurioſum, à Clericali modeſtia per quam alienum, licentiæ laicorum nimium incentivum, ac religioſorum Fidelium offendiculum neutiquam tolerandum, exiſtimemus id, quod dolentes referimus, Eccleſias nimirum, præſertim celebriores, ab ipſiſmet Sacerdotibus, & Clericis inſervientibus propemodum contemni, quos præcipuè, tùm proprio exemplo, tùm exhortationibus, laicorum reverentiam erga Domum Dei excitare, & cohibere libertatem deceret; Propterea omnibus, & ſingulis Sacerdotibus, & Clericis, cujuſcumque Ordinis, & Dignitatis exiſtant, actu inſervientibus Eccleſiæ Noſtræ Metropolitanæ, alijſque Collegiatis Eccleſijs, ſeù quæ ad uſum Collegiatarum, tàm intra, quàm extra Civitatem, proprio Clero, & Chori frequentiâ, vel quotidiè, vel certis hebdomadæ cujuſcumque diebus decorantur, in memoriam reducimus, ut ex corde diligant decorem Domus Domini, eoſdemque (*g*) vehementer hortamur, ne intra ipſam Eccleſiam, aut præ foribus ejuſdem, eoque minus in Choro, ſive chorali habitu induti fuerint, ſive communem nondum dimiſerint, vel exutum reſumpſerint, de domeſticis, aut forenſibus, aut alijs quibuſcumque negociis, etiam ex officio ſibi commiſſis, omninò cum aliquo tractent, ſed negocia ipſa opportunioribus loco, ac tempore tractanda, & feliciori tandem exitu perficienda reſervent.

6. Orantium quieti, Sacrorumque Miniſteriorum dignitati proſpicientes, ne importunis mendicorum rogationibus debita Divinis rebus attentio labefactetur, & ne provocata quandoque piorum etiam

hominum patientia frangatur, inhibemus, ne pauperes intra Eccleſiam ſtipem quæritantes, tempore præſertim divinorum Officiorum tolerentur, ſed idoneo quopiam compellente ſcrutatore ad valvas conſiſtere jubeantur, ſub pœna arbitrii, (*h*) ab Eccleſiarum Rectoribus, ſeu Cuſtodibus in ſingulas vices incurrenda, niſi per ſe ipſos, vel aliorum miniſterio, egenos præfatos è Templis ejecerint.

7. Præfectos autem, & Superiores cujuſcumque Ordinis Regulares in Domino etiam, atque etiam obſecramus, ut in propriis reſpectivè Eccleſiis confluentium Populorum devotioni panformiter conſulant, memores præſertim Pianæ (*i*) Conſtitutionis, quâ in virtute ſanctæ Obedientiæ jubentur ſacræ attentionis perturbatores hujuſmodi, per aliquem ſpecialiter deputatum, extra Eccleſiam, ſeu ad valvas ejuſdem repellere, indulta Ordinariis facultate graviſſimè corripiendi negligentes Apoſtolicæ juſſionis executores, & pro qualitate perſonarum, corporali etiam comminatâ pœna, arbitrio Papæ, vel Regularium Superiorum infligenda.

8. A rigore legis eximimus (*k*) indigentium Monialium, aliorumque piorum Locorum deputatos, capſulis ſtipem corrogantes, quibus, poſtquam Sacerdos in ſacroſancto Miſſæ Sacrificio ſpecies conſecratas abſumpſerit, quominus, facultate ab Ordinario prius obtentâ, eleemoſynas in Eccleſia modeſtè flagitent, nequaquam interdicimus. Prædictâ autem licentiâ noſtrâ minimè munitos, ſi ſacras Ædes quæritantes circumierint, capſularum, pecuniæque introcluſæ amiſſione mulctamus, à Templis, eorumdemque januis, ne mendicare ulterius liceat, arcemus, necnon carceri ad arbitrium mancipamus.

9. Cum non deceat mulierem non velato capite (*l*) orare, quia propter Angelos poteſtatem ſuper caput ſuum habere jubentur, mulieres omnes vehementer hortamur, ut theatralibus pompis, quæ ad laſciviam incendunt, religiosè depoſitis, modeſta prorſus, & pietatem redolentia veſtimenta Templum ingreſſuræ ſuſcipiant, ut non adorandæ, ſed adoraturæ videantur acceſſiſſe: & Confeſſarios omnes monemus, ut minus honeſtè indutas in Sacramentali Confeſſione acriter increpent, ſeveriorique impoſitâ pœnitentiâ ſalutari, à pompis, ac veſtiendi procacitate deterreant.

10. Fœdiſſima verò luxuriæ mancipia, feminas nempe vas ſuum (*m*) in paſſione deſiderii, non in ſanctificatione, & honore poſſidentes, turpemque ſui corporis quæſtum publicè facientes, vel de meretricio, aut concubinatu palam diffamatas, tàm in Catalogo Magiſtratus Honeſtatis deſcriptas, quàm prætermiſſas, non ſervatâ moderatione locorum, ac temporum præſcriptâ in Edicto Prædeceſſoris noſtri

noſtri, quod hic ad omnimodam exequutionem innovamus, & in Additionibus imprimi mandavimus, ſeu non obtentâ à Nobis expreſsâ in ſcriptis facultate, ab Eccleſiarum, piorumque Locorum ſpecialiter inhibitorum ingreſſu, necnon à ſacris Proceſſionibus, tàm publicis, quàm privatis, (*n*) & à locis Nundinarum, quæ feriis ſextis, ac diebus Dominicis Quadrageſimæ, vel alio ſacro tempore haberi conſueverunt in noſtra Civitate, quamcumque penitus, etiam honeſtam, piamve cauſſàm per eas allegabilem reſpuentes, arcemus, ſub pœna ipſo facto incurrenda quinquaginta aureorum pro prima vice, & centum pro ſecunda; Quod ſi ulterius contumaces fuerint, ultra pecuniariam pœnam, arbitrariè augendam, vel in carcerem per annum detrudantur, vel Excommunicationis gladio feriantur. Pœnam autem pecuniariam pro dimidia accuſatori, & executoribus, reliquam Monaſterio Monialium Converſarum applicamus.

11. Excipimus tamen feriam quintam infra hebdomadam Paſſionis, quo die in Eccleſia Noſtra Metropolitana, ex inveterato laudabiliſſimo Civitatis Inſtituto, Concio peculiaris habetur pro mulieribus hujuſmodi inhoneſtis, è flagitioſæ vitæ naufragio ad ſalutis portum, propoſito Magdalenæ reſipiſcentis exemplo, & oblatâ pœnitentiæ tabulâ, revocandis: Volumus enim, ſub pœnis, aliàs à Magiſtratu Honeſtatis, vel à Prædeceſſoribus Noſtris inflictis, prædictæ Concioni omnes intereſſe, quotquot apud eumdem Magiſtratum turpiſſimâ deſcriptione dehoneſtantur.

12. Ne autem meretricantium (*o*) mulierum à libero ſacrorum Liminum ingreſſu decreta propulſatio, & limitatus ad certas Eccleſias, ſtatis dumtaxat horis, impunis earum acceſſus, eaſdem ab Eccleſiaſticis præceptis annuæ Communionis, & Confeſſionis, ſeu audiendæ Miſſæ Feſtis de præcepto diebus falsò ſuadeat exemptas, cum tamen eàdem planè, ac ceteri omnes, præcepti lege obſtringantur, quandoquidem per ipſaſmet ſtat, quin ad gratiam promerendam rectè diſponantur; & ne ignorantia Juris illis ſuffragari unquam poſſit: Mandamus omnibus Eccleſiarum Rectoribus curam habentibus animarum, ut proſtitutæ pudicitiæ feminis, in earum Parochia reſpectivè commorantibus, onus ſervandi Præcepta Eccleſiæ identidem commemorent, & inter Miſſarum ſolemnia quamprimum in propriis Eccleſiis Edictum ſuperiùs innovatum promulgent; ſub arbitrii pœna.

13. Quemadmodum, ejectis è Domo Dei Dœmonum ſimulacris, virorum ad ſanctuaria confluentium honeſtati proſpeximus, ita etiam piarum mulierum pudicitiæ, ne Procorum in ipſomet

aſylo

aſylo ſanctitatis, præſertim verò in Æde Deiparæ Virginis ab Angelo Annunciatæ, exponatur inſidiis, duximus conſulendum. (*p*) Quamobrem ne in Atriis, Porticibus, Cœmeteriis, ac Veſtibulis, ſeù præ foribus Eccleſiarum, quiſquam ingredientes, vel egredientes Puellas, Matronaſve inſpecturus, ſalutaturus, allocuturus, ſollicitaturus, vel à longè etiam perſequuturus conſiſtat, neve, quod deterius foret, circumcurſans quærat quas devoret, penitus interdicimus; omneſque otioſas commorationes, ſtationes, ſeſſiones, obambulationes, ſuſpectaſque urbanitates à quibuslibet locis Templi vel Templo quomodocumque cohærentibus prorſus abigimus. Omnipotentis Dei, ac Noſtram indignationem, ac utriuſque ſeculi condignas ſceleri pœnas transgreſſoribus ægrè denunciantes.

14. Si verò (quod abſit) à concupiſcentia ſua abſtractus (*q*) quiſpiam, & illectus, intra, vel extra, ſed propè Eccleſiam, moram aliquam duxerit, ut mulieres ad Eccleſiam accedentes, vel ab eadem recedentes, (*r*) aut illac tranſeuntes, ſive honeſtas, ſive impudicas, inhoneſtè aſpiciat, vel ut lenocinetur, aut cum lenonibus, ac lenis pertractet, excommunicabitur, & alias pœnas dabit, cujuſcumque conditionis, ac dignitatis exiſtat. Decem autem aureorum pœnâ, vel aliàs corporaliter plectetur, qui obſcœnis, aut inhoneſtis verbis, fœdiſque colloquiis (*s*) Eccleſiæ ſanctitatem inquinare impudenter præſumpſerit.

15. Longè etiam ab Eccleſiis, earumque Porticibus, Atriis, atque Veſtibulis arceri jubemus Nundinas, ac Mercatus, præſertim beſtiarum, tabernas, negociationes, actuſque omnes laicorum, (*t*) venditationes liberculorum, & pagellarum, Sanctorum vitas, miracula, aut imagines exprimentium, candelarum, florum, eſculentorum, poculentorum, aliarumque rerum venalium, quantumcumque luſtrali aquâ Sacerdotis miniſterio reſperſarum, reſpergendarumve, vel ad uſum etiam Sacrificii, & Eccleſiæ; ſeu ad Populorum devotionem, & pietatem excitandam deſtinatarum; ac denique ea omnia, quæ ſine ſtrepitu, ac clamore fieri vix nequeunt, quæque aliquo pacto Divina Officia, vel Eccleſiarum aditum impedire poſſunt, ſub pœna quatuor aureorum, Locis piis applicandorum.

16. Nullo tempore intra quaſcumque Eccleſias (excepta Oratione quadraginta horarum, & tunc, tàm per orantes, quàm per Cuſtodes vigiliâ, ac modeſtiâ ſervatis) pernoctare, & ſomno indulgere permittimus. (*u*)

17. Intra Eccleſias æneæ fiſtulæ, tormenta bellica, aut haſtata arma numquam deferantur, (*x*) nulluſque cum venaticis volucribus, & in

& in quantum fieri poteſt, neque cum ejuſmodi canibus ingrediatur Domum Dei.)

18. Caveant Rectores Eccleſiarum, & Oratorii cujuslibet publici Cuſtodes, aut Domini, ut nec ipſi, nec alii quicumque Eccleſiam ullam, aut Parochialem, aut ſimplicem, ſeu principalem, ſive alteri annexam, aut Oratorium, etiam ubi, quacumque de cauſa, interdicta foret celebratio Miſſarum, veluti in horreum, vel cellarium, aut fœnile convertant, (*y*) pro ruſticis inſtrumentis, frugibus, uvis, olivis, ſtraminibus, & alijs cujuſlibet generis rebus conſervandis, vel recondendis, ſub pœna amiſſionis quartæ partis rerum inibi reconditarum, quarum pretium pro dimidia delatori publico, vel ſecreto, pro altera Chriſti pauperibus, & piis Locis arbitrio Noſtro, applicetur; necnon ſub pœna [*z*] viginti aureorum, qua obſtrictos volumus etiam Parochos quoad Oratoria intrà eorum juriſdictionem ſita, niſi Nobis, aut Vicario Noſtro Generali delictum, ac delinquentem opportunè denunciaverint.

19. Tantundem etiam contra omnes ſuperiùs expreſſos, & ſub eadem pœna ſtatuimus, ſi fortè in Eccleſiæ Cœmeterio, Atrio, vel Porticu areas conſtituant, ubi frumenta ſecta areſcant, & exprimantur, ſeù alio quovis modo ſegetum grana ex ariſtis excutiantur. (*aa*)

20. Cuſtodes Eccleſiarum utriuſque ſexus nullam artem in Eccleſiis, & Oratoriis, aut præ foribus eorumdem, tamquam in taberna, penitus exerceant: Grammaticæ autem, vel humanarum literarum rudimenta in Eccleſiis, tamquam in ludo literario, Rectores Eccleſiarum, ſub pœnis arbitrio Noſtro dicernendis, minimè doceant, aut doceri permittant. Academias autem, & ſcientificas diſſertationes, translato prius ad Sacriſtiam, vel alium decentem locum Venerabili Euchariſtiæ Sacramento, Nobis præcipuè conſultis, non prohibemus.

21. Vigilent præterea Parochi, & quicumque publicis Oratoriis cuſtodiendis præficiuntur, ſub arbitrariis pœnis, juxtà culpæ, modum, & delinquentium qualitatem infligendis, ut ſacrorum Locorum januis, & feneſtris diligenter occluſis, (*bb*) neutiquam imbrium damno, volucrumque, aut quadrupedum animantium ingreſſu, & injuriis Eccleſiæ pateant; à quibus etiam Cœmeteria, viſibili ſigno ligneæ, vel lapideæ Crucis, vel aliâ piâ Imagine ceteroquin diſtincta, parietibus, vel ſaltem hirtâ ſepè, aut ligneis repagulis circumſepta, prohiberi volumus, ac defendi.

22. Curent quoque, ne Eccleſiæ profanis ullis, ſive picturâ, (*cc*) ſive ſculpturâ expreſſis Imaginibus, etiam occaſione ſolemnio-

ris

Digitized by Google

ris apparatus ornentur, ſeù veriùs polluantur: Ne quid exterioribus Eccleſiarum parietibus immundum unquam adhæreat, aut propè ipſos ejectum diutiùs tabeſcere permittatur: Ne eiſdem parietibus, aut valvis res venales, aut ſchedulæ de rebus profanis, præterquam ſi publicâ auctoritate jubeatur, affigi patiantur: Et nè cuipiam intrà Eccleſias proſpectus, aut ingreſſus pateat (Principibus duntaxat, ac ipſiſmet Parochis, & Curatis exceptis,) ſed feneſtras omnes, aditus, & oſtiola, per quæ ex contiguis domibus penetrari, ſeù reſpici in Eccleſias poſſit, calce, & lateribus omninò, ac perfectiſſimè quantocyus obſtrui ſatagant, Vicinorum eorumdem expenſis. Reluctantes verò, aut ſpeciali privilegio, vel immemorabili poſſeſſione, ſeù legitimâ præſcriptione nitentes, Nobis, vel Vicario Noſtro Generali denuncient, ut & de aſſertis privilegiis judicemus, & irrationabiliter invitos omni Juris remedio ad obedientiam compellamus.

23. Poſtremò Synodalibus Prædeceſſorum noſtrorum [*dd*] Conſtitutionibus, & Apoſtolicis Clementis PP. VII. Decretis inhærentes, cum præcipuè in Eccleſiis Dei Verbum annunciatur, Chriſtianæ Fidei rudimenta traduntur, Miſſæ Sacrificium offertur, divina celebrantur Officia, vel Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum publicæ adorationi manet expoſitum, monemus ne in proximis plateis, aut è conſpectibus Eccleſiarum, Circulatores ulli, Comædi, Faridici, Aſtrologi, & alii ejuſdem farinæ nebulones, quos maternâ linguâ *Ciurmatori*, *Ciarlatani*, *Cantimbanchi*, *Zingani*, *Giocolatori*, & hujuſmodi nuncupamus, publicè nugas, cantus, vaticinationes, repræſentationes, & illecebras exhibeant, aut exerceant, merces vendant, medeantur, aliudve quidpiam agant, quo Populus, divino cultu poſthabito, ad fabulas convertatur. Choreas inſuper, & ludos, eodem planè modo, cujuſcumque generis, aleas, pilas, globulos, folles, folliculos, talos, trochos, & quotquot alios omni Jure exoſos, & improbatos, ad ſacrarum præſertim Ædium infrequentiam, & ad rerum Divinarum perturbationem, deteſtanda quorumdam avaritia, vel irreligioſitas intempeſtivo tempori, ac loco reſervavit exercendos, prorſus eliminamus; Parochiſque univerſis diſtrictè præcipimus, ut à ſacrorum Locorum ambitu omnia hæc, aliaque ejuſcemodi diverticula pietatis, & vitiorum incitamenta, pro eorum viribus impediant, ac propulſent. Laicorum autem in Civitate Magiſtratuum Officiales, & Prætores extra Urbem publicæ gubernationi præpoſitos enixè rogamus, ut Regiæ Celſitudinis in Etruria Regnantis eximiæ, ac notæ religioni ſervientes, poteſtatem omnem ſibi commiſ-

ſam

ſam in temporalis, ac æterni Domini obſequium impendant, manuſque adjutrices, ad hunc abuſum acerrimis animadverſionibus profligandum, validiſſimè porrigant.

(a) *Geneſ. cap.* 28. *ver.* 17., (b) *Conſtit.* 5. *Cum primum de anno* 1566., (c) *Pſalm.* 92. *ver. ult.*, (d) *Synod. Prov.* 1573. *Rubr.* 12. *cap.* 1., & *Diœc.* 1619. *tit.* 6. *cap.* 1. §. 2., & 1645. *tit.* 2. *de Sacroſ. Eccleſ. cap.* 17. §. 1., & 1691. *tit.* 4. *cap.* 1. *num.* 2., (e) *Synod. præd. ubi proximè ſupra* §. 3., & *num.* 3. §. 1., & *cap.* 2., (f) *Joan.* 2. *ver.* 16., (g) *Synod. Diœc.* 1678. *tit.* 2. *cap.* 3., (h) *Synod.* 1619. *tit.* 6. *cap.* 1. §. 4., & 1645. *tit.* 2. *cap.* 17. §. 1., & 1691. *tit.* 4. *cap.* 1. *num.* 4., (i) *B. Pius V. d. Conſtit.* 5. *Cum primum ædit. de anno* 1566., *Synod.* 1619. *tit.* 6. *cap.* 1. §. 4., & 1645. *ubi ſupra*, (k) *Synod.* 1573. *Rubr.* 12. *cap.* 3., & 1619. *ubi ſupra*, (l) *Paul. ad Corinth. Ep.* 1. *cap.* 11. *ver.* 10., (m) *Paul. Ep.* 1. *ad Theſſal. cap.* 4., (n) *Synod.* 1619. *tit.* 6. *cap.* 1. §. 9., & 1674. *ſub hoc tit. pag.* 37. & 38., (o) *Synod.* 1619. *tit.* 6. *cap.* 1. §. 9. *in fine*, (p) *Synod. præd.* 1619. *tit.* 6. *cap.* 2. §. 10., (q) *Jacob Epiſt.* 1. *cap.* 1. *ver.* 14., (r) *Synod.* 1619. *tit.* 6. *cap.* 2. §. 10., (ſ) *Synod. Diœc.* 1645. *tit.* 2. *cap.* 17. §. 1., & 1691. *tit.* 4. *cap.* 1. *num.* 3., (t) *Synod.* 1619. *ubi ſupra*, & 1691. *tit.* 4. *n.* 8. *cap.* 1., (u) *Synod.* 1645. *tit.* 2. *cap.* 17. §. 3., & *Synod. Diœc.* 1691. *tit.* 4. *cap.* 1. §. 6., (x) *Synod.* 1645. *tit.* 2. *cap.* 17. §. 3., *Synod.* 1691. *ubi ſupra n.* 5., (y) *Synod.* 1645. *ubi ſupra* §. 3., & 1678. *tit.* 2. *cap.* 2., (z) *Synod. Diœc.* 1699. *tit.* 15. *cap.* 5., (aa) *Synod.* 1645. *ubi ſupra* §. 4., & 1691. *tit.* 4. *cap.* 1. *num.* 5. (bb) *Synod.* 1645. *ubi ſupra* §. 2., (cc) *dicta Synod.* 1645. *tit.* 2. *cap.* 17. §. 4., (dd) *Synod.* 1619. *tit.* 6. *cap.* 1. §. 7. & 8., & 1645. *tit.* 2. *cap.* 17. §. 7., & 1681. *tit.* 14. §. 3.

CAPUT III.

DE ECCLESIIS REPARANDIS, ET ORATORIIS CONSTRUENDIS.

1. NE Eccleſiæ debitis obſequiis deſtitutæ, ab ea, quàm referunt, imagine Cœleſtis (*a*) Urbis Jeruſalem in ſpeluncam latronum (*b*) ſacrilegè transformentur, & ne ipſos Chriſtifideles ab ingreſſu, & oratione deterreant, ſed ut magis ad venerationem, & ad pietatem alliciant, Sacroſancti Concilii Tridentini (*c*) Decreta venerantes, & Synodalibus Prædeceſſorum Noſtrorum Conſtitutionibus (*d*) inhærentes, decernimus, ut qualibet Eccleſia, etiam

ruralis, pavimento, lateribus, aut lapidibus æqualibus ſtrato, & rimulis, ac ſcrobiculis minimè lacerato, nulliſque prorſus offendiculis obnoxio refulgeat: Ut feneſtris, citrà luminis offenſionem, vitreo, linteove, aut ſaltem papyraceo tegamento ſemper occluſis, januis autem, extra frequentiæ popularis concurſum, ruri præſertim, obſeratis, à pecorum, oviumque prohibeatur ingreſſu: Ut ſcopis identidem ab aranearum deſuper telis, & infra à calcantium pulvere, cænoque purgata, nullis uſquequaque ſordibus inquinetur: Ut munditiem, ac integritatem in candore parietum, in Altarium ornatu, in ſacrarum Veſtium nitore, in neceſſario vaſorum, librorumque Sacrificiis, ac Divinis Officiis inſervientium apparatu, penitus exhibeat: Ut denique undecumque pura, & concinna, apteque compoſita, etiam in paupere tecto, ac ſupellectili, Sacerdotii Religionem, & Sanctuarii Majeſtatem oſtentet.

2. Quoniam verò, ex incuria quandoque, vel avaritia Parochorum, Eccleſiæ Dei, illæ præſertim, in quibus, veluti membris, & annexis alicujus majoris Eccleſiæ, Divina Officia ſilent, nec Parochi reſidentia ſiſtitur, nedum neceſſariis ad Dei cultum ornamentis deſtituuntur, ſed in eorum Animarum perniciem, & in contemptum Domus Domini miſerè collabuntur, propterea remedium, ab eadem Tridentina Generali, & ab utraque Provinciali Florentina Synodo (e) providè ſubminiſtratum, adhibentes, dummodo ad congruam ſuſtentationem Rectoris, qui primus, tamquam Altari deſerviens, ali debet, duæ partes ſufficiant, reliquam tertiam partem fructuum earumdem, tàm pro ruinoſis Eccleſiis inſtaurandis, quàm pro iis ſacrâ omni ſupellectili affatim inſtruendis ſpecialiter hypothecatam declaramus, & præcedente ejuſdem Rectoris annali contumaciâ poſt monitionem, ipſo facto authoritate Noſtrâ percipi, & in reparationem, ac ornatus, quibus Eccleſia indiguerit, converti mandamus. Quod ſi Parochus hujuſmodi Eccleſiæ ruinoſæ, vel aliàs rerum neceſſariarum indigentis, redditus per plures annos obtinuerit, & fructus ipſi ultra honeſtum victum deſervientis abundent, nec tertia tantùm pars promptæ Ædium reſtaurationi, & ſacrorum inſtrumentorum emptioni reſpectivè ſufficiat, integram eorumdem fructuum medietatem in prædictos Eccleſiarum uſus, quamdiù neceſſitas poſtulaverit, applicamus, præmonitione ſuperius ſtatutâ, & contumaciâ Rectoris per integrum annum dumtaxat reſervatis. Illas tamen Eccleſias ſub hujuſmodi Conſtitutione, præterquam in ſubſidium, comprehendi nolumus, quæ proprios Operarios, & redditus diſtinctos, ac peculiares pro Fabricæ, ac ſacrarum rerum expenſis ſupportandis habent.

3. Ea

3. Ea autem lacrymabilis eſt Diœceſis Noſtræ conditio, atque calamitas, ut pleræque Parochiales Eccleſiæ tenui Rectoris alimento, & Fabricæ inſtaurationi, & Altarium apparatui nequaquam ſint pares. Harum igitur indemnitati Paſtorali vigilantiâ proſpicere pariformiter volentes (*f*) egenas, ruinoſas, ac impotentes redintegrationis Eccleſias, niſi Patronorum, aut Parochianorum, (quos ordinatè compellere monemur ex Tridentina Synodo) ſuppetant facultates, [*g*] vel niſi pro earum reſtauratione, ſeù dotis augmento, quiſpiam zelo Divinæ Domus incenſus, jura Patronatus, proùt de jure, unà cum antiquis Patronis, habitâ ratione expenſarum, proportionabiliter in perpetuum adepturus, de proprio ſatis contulerit, invitis etiam Patronis, ter monitis, Matrici Eccleſiæ, ſeù viciniori Parochiæ, juxtà locorum, Populorumque opportunitatem, vocatis vocandis, & ſervatis de jure ſervandis, uniri mandamus.

4. Penitus autem collabentes, & quarum, ob ſummam omnium inopiam, deſperata prorſus eſt redintegratio, ſive Parochiales, ſive ſimplices Eccleſiæ fuerint, iiſdem cæmentis adhibitis, in parvum, ſi fieri poteſt, Oratorium redigantur: Sin minus, ne eas deterius violari contingat, facultate prius à Nobis obtentâ diruantur, & in profanos uſus, non tamen ſordidos, erectâ ibi Cruce, arbitrio Noſtro convertantur: Cæmenta ſacris tantum Locis ædificandis, vel reſtaurandis reſerventur: Defunctorum in Chriſto Fidelium oſſa, ſi ibidem humata noſcantur, vel in alio Cæmeterio, authoritate Noſtrâ recondantur, vel Sacer Locus, ſalutis noſtræ Signo, aut aliâ Sanctorum icone diſtinctus, & ſepe, murove circumvallatus, ab omni uſu profano, & ab hominum, pecorumque injuriis defendatur: dirutæ verò Eccleſiæ Titulus, & Bona tàm mobilia, quàm immobilia, ſalvo jure Patronatus, & naturâ, ac oneribus Beneficii, in aliam à Nobis deputandam Eccleſiam transferantur, ubi Divinus cultus à Nobis, pro modo facultatum, inſtituatur in Sacello noviter erigendo ad honorem Sanctorum, quibus vetus Eccleſia dicabatur, vel eorumdem Imagine, & invocatione adiectâ in altero ex antiquis Altaribus, ſi novo ædificando deſit locus, aut pecunia. Quot quot contra has Noſtras Sanctiones deliquerint, & pœnis à Jure reſpectivè inflictis, & aliis arbitrio Noſtro infligendis graviter plectantur.

(a) *Apoc.* 21. *ver.* 2., (b) *Ierem. c.* 20. *ver.* 11., *Luc. cap.* 19. *ver.* 46., (c) *ſeſſ.* 7. *cap.* 8. *de Reformat.*, & *ſeſſ.* 21. *cap.* 8. *de Reform.*, (d) *Synod. Diœc.* 1619. *tit.* 6. *cap.* 2. §. *unic.*, & 1681. *tit.* 14. §. 4., (e) *Synod. Prov.* 1517. *hoc tit. cap.* 1., & 1573. *Rubr.* 14. *cap.* 1. & 2., (f) *Synod. Prov.* 1573. *de Eccleſ. repar. Rubr.* 14. *cap.* 1. & 2., (g) *Conc. Trid. ſeſſ.* 21. *cap.* 7. *de Reform.*

Digitized by Google

CAPUT IV.

DE SACRIS ORATORIIS, ET CAPELLIS.

1. Quamquam loca omnia Divino cultui, & in Domum Orationis ſecreta, ac ad offerendum Deo incruentum Sacrificium ſelecta, Oratoria appellari poſſint, attamen uſu receptum videtur, ut, ad diſtinctionem Eccleſiarum, in quibus Sacramenta publicè miniſtrantur, & Venerabile Euchariſtiæ Sacramentum, ſub fida certi Sacerdotis inibi permanentis cuſtodia, perpetuò aſſervatur, ita appellentur minores quædam Eccleſiæ ad ſolum Miſſæ Sacrificium peragendum, publico, vel privato commodo deſervientes. Quoniam verò, exceptis privatarum ædium Oratoriis, nullâ localis Eccleſiaſticæ Immunitatis prærogativâ ſuffultis, cetera omnia circa Eccleſias conſtituta, etiam ad Oratoria, præſertim publica, protenduntur, idcircò, poſtquam de Eccleſiis tractavimus, quædam pauca de Oratoriis peculiaria ſubnectimus.

2. Quandoquidem igitur ſingulæ pene ruſticales Nobilium Virorum, ac Civium habitationes particulari Oratorio decorantur, vel ad ejus conſtructionem anhelant, nec ſine juſta Parochorum querela, potiſſimùm extra Civitatem, publica Oratoria in infinitum multiplicantur, in ipſiuſmet Parochi, & in grave etiam præjudicium Populorum, quos brevioris, aut facilioris viæ, & contractioris ſolemnitatis illecebræ capiunt, & ab audienda voce Paſtoris, Eccleſiæque Parochialis acceſſu nimium divertunt, ubi Verbo Dei paſci, Chriſtianæ Fidei rudimentis imbui, Sacramentis roborari, de Feſtis, & Jejuniis obſervandis admoneri, de Matrimoniis ineundis, ac Clericis ordinandis, circa perſonarum impedimenta, ſeù defectus, vel titulorum idoneitate interrogari; ubi denique de omnibus ad propriam, vel alienam utilitatem neceſſariis inſtrui ſolent, ac debent; Nemo in poſterum nova Oratoria conſtruere [a] præſumat, niſi obtentâ à Nobis facultate, quàm à Parochialis Eccleſiæ diſtantia, à viarum impedimentis, à perſonarum qualitate, & ab alijs circumſtantiis dimetiemur. Ædificata verò, ad normam Inſtructionis pro Oratoriorum Viſitatoribus, editæ in Synodo anni 1645., quàm in Additionibus ad hanc noſtram inſerendam curavimus, omnibus ad Altaris miniſterium neceſſariis penitus inſtruantur, & juſſu Noſtro ab aliquo ex infra eligendis diligenter inſpecta, ac probata, Sacroſancti Miſſæ Sacrificii celebratione minimè ſanctificentur, priuſquam annuentibus Nobis, vel Vicario Noſtro Generali, & quidem

in ſcri-

in ſcriptis, & factâ quoad publicum Oratorium benedicendi ejuſdem poteſtate, & Benedictione prædictâ actualiter expletâ, permittatur.

3. Ut minus, quàm fieri poteſt, Oratoria Parocho, ſeù potius ipſiſmet Populis noceant, qui neſcientes quid faciant, propriæ ſalutis, & ſpiritualis profectus detrimenta extrà Parochiales Eccleſias quærunt, jubemus, ne in publicis Oratoriis, Hoſpitalibus, & Confraternitatibus extrà Civitatem, ſub pœna localis interdicti, [*b*] & bimeſtris ſuſpenſionis à Divinis reſpectu Sacerdotis, & arbitraria quoad Cuſtodes, Adminiſtratores, vel Dominos infraſcripta procurantes, aut permittentes, Miſſa ulla Dominicis, aliiſque Feſtis diebus de præcepto, abſque Parochi, vel Noſtra permiſſione celebretur, antequam in Eccleſia Parochiali Miſſam, & alia pietatis exercitia, ſi quæ immediatè ſubſequi ſoleant, Parochus abſolverit: Si tamen duabus, aut pluribus Miſſis Eccleſia ipſa decoretur, de prima tantum, quoad prohibitam Oratorii præventionem, intelligimus; in Feria autem Quinta, & Sabbatho Majoris Hebdomadæ, Indultis quibuſcumque, & conſuetudinibus rejectis, niſi ſpeciali Sedis Apoſtolicæ privilegio, aut Noſtra facultate concedatur, Miſſam, aut Divina Officia celebrari ſub iiſdem pœnis prohibemus. Præcipimus inſuper, ne ad Miſſam (*c*) in publico quovis Oratorio per alium, quam per proprium loci Parochum celebrandam, & citra ejuſdem conſenſum, aut Noſtram conceſſionem, Vicinia, pulſatis Oratorii Campanis, advocetur, ſed immò ultrò eò convenientes Populi ad Parochialis Eccleſiæ cultum, & venerationem, ac frequentiam excitentur: Ne Feſta, aut Jejunia præmoneantur, ne oblationes colligantur, ne pro incolumitate puerperarum, puerorum, aut beſtiarum, ſacræ ipſis Bendictiones, inſcio loci Parocho, vel invito adhibeantur; ne Sacramenta, præter Pœnitentiam, & Euchariſtiam, & quidem ſolis Oratoriorum Dominis, (*d*) eorumque familiaribus, de expreſſo, vel tacito Parochorum aſſenſu, adminiſtrentur; ne Cadavera tumulentur, neve aliud quidpiam in Parochialium Jurium præjudicium admittatur, niſi expreſsâ Noſtrâ derogatione, vel ſpeciali aliquo Jure à Nobis cognoſcendo nitantur. Contrà autem facientes in pœnam decem aureorum, & ad omnium emolumentorum lege reſiſtente perceptorum reſtitutionem Parocho faciendam condemnamus.

4. In Oratoriis, ac Societatibus, ac etiam in Eccleſiis, quando præſertim Venerabile Euchariſtiæ Sacramentum, aut Sanctorum Reliquiæ adorationi publicæ ſolemni ritu exhibentur, vetamus, ne (*e*)

nova

nova Altaria, particularis Solemnitatis commodo dumtaxat famulatura, & ſubindè removenda, ſine ſpeciali Noſtra approbatione erigantur, & omnem avaritiæ fomitem eliminaturi, præcipimus, ut, Nobis inconſultis, nulla cogendis, ſeù verius extorquendis eleemoſynis capſula, aliudve quidpiam ſacræ pecuniæ receptaculum adorantibus Populis, vel ſacra Lipſana oſculantibus, pretium Feſtivitatis quodammodo perſoluturis, proferatur. Si quando verò pro Indulgentiis lucrandis, eleemoſynæ conditionem Summus Eccleſiæ Pontifex adjecerit, tunc capſula ſuper Altari excipiendis oblationibus apponatur, ut Fideles ad neceſſarium conditionis implementum excitentur, & alliciantur: Sacram tamen pecuniam, vel in pauperes diſtribuendam, vel Locis Piis applicandam, nunquam autem in uſum Parochorum, Nobis inconſultis, convertendam decernimus.

5. Laici omnes (*f*), potiſſimum ruriculæ, & è Civitate pauperiores, ac penitus rudes, quibus plerumque Oratoriorum, vel Confraternitatum, vel Hoſpitalium cuſtodia committitur, omninò caveant, ne vagos Sacerdotes, ſive Seculares, ſive Regulares, eleemoſynam pro Sacrificio accepturos, ad Miſſæ celebrationem admittant, etiamſi Teſtimonialibus Literis Noſtris muniantur, niſi Parocho Loci ab ipſiſmet Sacerdotibus perſonaliter oſtenſæ, ab eodem Parocho, præſente Cuſtode, probentur, ſub pœna interdicti Oratorii ipſo facto.

6. In Oratoriis autem privatis, tàm intra, quàm extra Civitatem conſtructis, licèt Pontificio nitantur Indulto, Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium offerri minimè poteſt nedum Feriâ Quintâ, Sextâ, (*g*) & Sabbatho Majoris Hebdomadæ, ut ſupra de publicis Oratoriis, & Confraternitatibus prænotavimus, ſed neque in ſolemnioribus Feſtis Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paſchatis, Pentecoſtes, Annunciationis, & Aſſumptionis Deiparæ, Sanctorum Petri, & Pauli, & Omnium Sanctorum, niſi Literis Apoſtolicis ad hujuſmodi Solemnitates nominatim expreſſas facultas amplietur.

7. Quoniam demum ad Sacri Myſterii actionem in Oratoriis, tàm publicis, quàm privatis permittendam, & ne indulta ſemel facultas ex aliquo ſuperveniente defectu tractu temporis expiret, quamplura circa ſacri Ædificii locum, ac ſtructuram, & apparatum deſiderantur, idcircò omnibus, & ſingulis Oratoriorum Fundatoribus, Poſſeſſoribus, Cuſtodibus, & Viſitatoribus infrà eligendis, Inſtructionem à claræ memoriæ Petro Niccolino Prædeceſſore Noſtro editam proponimus, eamdemque unà cum aliis Decretis Apoſtolicis in Additionibus ad hanc Synodum impreſſis, inconcuſsè ſervari volumus, ac mandamus.

(a) *Sy-*

Digitized by Google

(a) *Synod. Diœc.* 1691. *tit.* 4. *cap.* 6. §. 3., (b) *Synod. Prov.* 1573. *Rubr.* 18. *cap.* 6., *&* *Diœceſ.* 1619. *tit.* 3. *cap.* 3. §. 3., (c) *Synod. Prov.* 1517. *de Celebrat. Miſſar cap.* 9. *pag.* 30., *&* 1619. *tit.* 3. *cap.* 3. §. 1., (d) *Synod.* 1619. *tit.* 3. *cap.* 3. §. 1., (e) *Synod.* 1691. *tit.* 4. *cap.* 6. §. 2., (f) *Synod. Diœceſ.* 1645. *tit.* 2. *cap.* 18. §. 2. , (g) *Synod.* 1619. *tit.* 3. *cap.* 3. §. 3., *&* 1645. *ubi proximè ſupra* §. 1.

CAPUT V.

DE CONFRATERNITATIBUS LAICORUM.

1. PRæcepta de Sacris Oratoriis ædificandis, regendis, ac exornandis generatim edita, univerſas etiam Laicorum Confraternitates obſtringunt, quæ, tamquam Divinis Laudibus ſolemniter decantandis, & Populis in fraterna charitate erudiendis, ac exercitandis erectæ, celebriorem quamdam Oratoriorum ſpeciem conſtituunt. Quamobrem eas, nedùm decet eàdem planè ſolemnitate conſtrui, pari liberalitate donari, ac defendi, æquali veneratione accedentium coli, & conſimili Parochialium Jurium indemnitati ſervire, ſed ſpecialibus etiam legibus ad earum Inſtituti rationem promovendam, ac tuendam, pro Paſtoralis officij ſolicitudine, communire oportet.

2. Ipſa itaque earumdem denominatio, quæ fraternam charitatem ſignificat, unde Confraternitates dicuntur, & quæ ſocialem ad animarum lucra cooperationem declarat, unde Sodalitates nuncupantur, ſatis innuit, quo mutui amoris nexu colligari, & quo animorum conſenſu communi bono inhiare deceat omnes in Sacras hujuſcemodi Congregationes aſcitos. Singularum propterea Societatum Conſtitutiones, quæ ad vitiorum eradicationem, ad Virtutis incrementum, ad proximorum utilitatem, atque ad Divini honoris propagationem, licèt variis quandoque propoſitis mediis, uniformiter diriguntur, prævià (ut firmitatem, authoritatemque legis (*a*) obtineant, neve arbitrarià à Nobis Societatum Rectores animadverſione plectantur) Noſtrâ Confirmatione, quatenus Prædeceſſorum Noſtrorum munimine careant, exactè obſervari præcipimus, (*b*) pœnaſque contra irreverentes, rixantes, & ſeditioſos providè inflictas, quam diligentiſſimè repeti, & inviolabiliter perſolvi mandamus. Quod ut faciliùs aſſequi, vel potius ex voto cavere valeamus, ſemel ſaltem in Menſe (*c*) unum, vel alterum earumdem Conſtitutionum Caput Confratribus ritè coadunatis publicè perlegi jubemus; dedecet enim

enim propriæ profeſſionis Canones, quid agendum, quid evitandum præcipientes, quempiam ignorare; & ſi quid obſervatu difficile ex rerum, vel temporum variatione, emendandum, vel abolendum occurrerit, annuente Confraternitatis Correctore, & ſecretis Confratrum generaliter, ut infra §. *Univerſis autem, &c.* convocandorum ſuffragiis adſtipulantibus, ſive etiam renuentibus, ad conſilii Noſtri trutinam pro approbatione, vel rejectione, proùt in Domino magis expedire putaverimus, demum revocetur; (*d*) impetrata verò à Nobis, vel à Vicario Noſtro Generali veterum Conſtitutionum correctio, vel novarum comprobatio, niſi generalis prædicta Confratrum convocatio præceſſerit, vel eidem fuerit expreſsè derogatum, veluti furtim extorta, nullius planè roboris, & efficaciæ, ſed irrita prorſus, & inanis habeatur.

3. Ceterum Libri Conſtitutionum, quæ propriam Loci legem conſtituunt, numquam, niſi Noſtro juſſu, aut permiſſione, extra Societatem extrahantur, & quibuslibet ex fratribus, citrà animum cavillandi, juſtè petentibus, intrà eiuſdem Societatis ambitum dumtaxat, numquam extra legendi permittantur. (*e*) Quæ verò Societates nullà adhuc certà lege reguntur, prudentibus quibuſdam Viris, & proprio Correctore conſultis, Conſtitutiones præcipuò Loci Inſtituto probè accommodatas ſibi præfiniant, Nobiſque poſteà, aut Vicario Noſtro Generali, probandas, vel emendandas tranſmittant.

4. Novæ Societates, Confraternitates, Congregationes, aut Centuriæ, ſivè intra, ſivè extra Civitatem, [*f*] abſque Noſtra, vel Apoſtolicæ Sedis authoritate, etiam in Eccleſiis Regularium, non inſtituantur: Ex Summi verò Pontificis erigendæ diplomate, aſſenſum Noſtrum, ſi in Literis Apoſtolicis prætervetur, expectent, & conditionibus inibi adjectis omninò implendis ligentur. Aliàs Inſtitutiones omnes, & erectiones hujuſmodi, tàm factas, quàm faciendas, penitus irritas, novaſque Societates, Congregationes, Confraternitates, & Centurias, quomodocumque nuncupatas, Eccleſiaſtico interdicto ipſo facto ſuppoſitas declaramus, & quatenus opus fuerit, nunc pro tunc ſubiici volumus, & mandamus.

5. Singulæ Societates à proprio Sacerdote, qui Corrector appellari in Noſtra Diœceſi conſuevit, in Spiritualibus regantur, munuſque hujuſmodi extra Civitatem, & Caſtra, niſi ſecus in ipſis Conſtitutionibus per Nos, ſeu Prædeceſſores Noſtros approbatis caveatur, ad Parochum, intra cujus Territorium exiſtunt, pertineat; juſtis tamen de cauſſis, arbitrio Noſtro Parochi perſonam egredi, ejuſdemque,

que, vel alterius cujuſcumque factam electionem infringere Nobis reſervamus. (*g*) Graviora Sodalitatis negotia, abraſionis præſertim cujuſpiam ex Albo Confratrum, & Bonorum ad longum tempus locationes, ſeu extraordinarias expenſas, quantumvis utiles, & neceſſarias inter rurales, Correctore diſſentiente, proponi nolumus, aut periculo ſuffragiorum exponi: (*h*) Confratrum tamen, & præſertim Officialium querelas adverſus irrationabile quandoque Correctoris judicium non repudiamus, ſed ijs ad omnem Juſtitiæ trutinam ſeverè examinandis, perpurgatis prorſus auribus, operam Nos daturos libenter pollicemur.

6. Univerſis autem, tàm intra, quàm extra Civitatem erectis Sodalitatibus, ne concors paucorum æmulatio abſenti, & ignoranti officiat Multitudini, præcipimus, idemque ad omnes Congregationes, & Collegia protendimus, ut extraordinaria quæcumque, & quidem periculoſa religioſæ Familiæ negotia, ſive ad æconomicum, ſive ad ſpirituale regimen ſpectantia, cujuſmodi ſunt ejectiones Confratrum, & mulctæ graviores, Officialium intempeſtiva remotio, Bonorum ad longum tempus locationes, litigiorum diſpendia, ædificiorum ſumptus, Sacræ cujuſpiam pompæ, aut peregrinationis indictio, inſolitæ contributiones, veterum Legum correctio, & abolitio, vel novarum inſtitutio, ac promulgatio, & alia omnia in Divinæ Domus egeſtatem, & perturbationem, ac perniciem conducentia, extraordinaria generali Confratrum convocatione tractentur; & ſi quidem idoneus præſentium Confratrum numerus propoſitæ rei annuerit, Noſter adhuc expectetur aſſenſus, ſin minus, vel reprobetur omninò, vel irrationabile ſuffragantium votum, Noſtro emendandum judicio, arbitrioque deferatur. Generalem autem legitimam convocationem intelligimus, ſi patefactâ pertractandi negotii qualitate in antecedenti Congregatione, Confratres omnes in Urbe commorantes quoad ſodalitia Civitatis, mediante famulo, & intra duo miliaria inter rurales, mediantibus Parochis, qui ex Altari promulgent, ad proximam Congregationem, cauſsâ convocationis individualiter expreſsâ, intimentur, dummodò unius ſaltem Menſis ſpatium inter unam, & alteram Congregationem intercedat. Quodcumque verò in minus ſolenni Conventu geſtum, vel ſtatutum fuerit, irritum prorſus, & inane declaramus.

7. In Officiales, juxtà Conſtitutionum leges, aſſumantur Viri probi, & religioſi, qui, Correctore præſertim dirigente, Divinum cultum promovere, pacem tueri, & Chriſti patrimonium conſervare norint, (*i*) ac velint: Et quoniam à paſſiva electione regulariter ar-

centur, qui certam debiti ſummam à taxis ordinariis, vel à punctaturis, vel alias undecumque dimanantem, cum Sodalitate contraxerunt; Et quia non ſemel ex æmulorum induſtria, vel obſervantiorum quorumdam zelo, ſub prætextu antiquioris debiti, quod ſubſequuta debitoris in recentioribus taxis, & oneribus perſolvendis promptitudo è Confratrum memoria penè deleverat, ne delati muneris poſſeſſionem nanciſcantur, vel ut ab ea jam adepta deiiciantur, improbè, vel etiam religiosè repelluntur, qui in Catalogo debitorum, communiter nuncupato *lo Specchio*, minimè deſcripti, & propriæ contumaciæ nequaquam conſcii, bonâ cæteroquin fide, & tamquam nullo impedimento prohibiti, ad Officium aliquod Societatis fuerunt aſſumpti: Nos quieti Piorum Locorum providè præcaventes, ſtatuimus, ac decernimus, ut ſingularum Confraternitatum, & Congregationum Proviſores, Camerarii, Syndici, vel alii, ad quos ſpectat, Librum peculiarem retineant, denominandum *lo Specchio*, in quo ſingulorum Confratrum, vel Sororum debitum, & creditum dietim conſcribant, & imminente electione Officialium, vel dotalium ſubſidiorum diſtributione, vel aliâ quâcumque recurrente functione debitoribus præjudiciali, prævià diligenti Libri rimatione, diſtinctam notulam conficiant, in qua debitores Societatis, ab honoribus, & eleemoſynis aſſequendis excluſos, expreſsâ ipſius debiti quantitate recenſeant, ut in Conventu Fratrum immediatè præcedente proximam Congregationem, eligendis Officialibus, vel aliis ſimilibus peragendis certò conſtitutam, debitorum eorumdem Catalogum præ manibus habeant, & propalam legant; Ità verò promulgatum in publico quodam loco Confraternitatis affigant, affixumque retineant uſque ad ipſam diem electionis, quam iterata ejuſdem promulgatio præſentibus Confratribus præcedat, ne quempiam lateat, aut latere poſſit, quo impedimento Officiis, & honoribus aſſequendis efficiatur inhabilis, & quo remedio reſtituatur idoneus. Quicumque verò in ultimo biennio ordinarias eleemoſynas, vulgo *taxas* nuncupatas, & aliàs omnes extraordinarias, pœnaſque accuratè perſolverit, niſi in Catalogo debitorum, publicè intra Societatem, ut ſupra, affigendo, inter inhabiles ad Officia conſequenda ratione antiquioris debiti conſcriptus reperiatur, vel niſi interpellatus, ante ipſam electionem debitum ipſum perſolvere detrectaverit, ab Officio minimè arceri poſſit obtentu debiti per eum ignorati, vel obliti, & tamen ad ejuſdem ſolutionem eum cogi ſtatuimus, cum primum detectum fuit, ſi Officium capere, vel in adepto perſeverare voluerit, & tunc demum contemnentem ab Officio

ficio arceri, vel removeri permittimus. Idemque omninò Juris ſervari jubemus, quoad habilitatem pro Dotibus puellarum, aliiſque eleemoſynis, quæ Beneficiorum nomine plerumque explicantur, aſſequendis. Quæ niſi certis temporibus, ſed eventuali potius celebrandi Matrimonii, vel ingruentis ægritudinis opportunitate determinentur, vel diſtribuantur, injunctam particularis Catalogi conſcriptionem, promulgationem, & affixionem relaxamus, recentioremque, adjectis, vel deductis, ſi quæ interim addenda, vel ſubducenda ſupervenerint, attendi mandamus.

8. Ne ſimoniacæ labis ulla ſuſpicio ſacrarum Legum ſanctitatem inficiat, eleemoſynæ titulo flagitari, & reſpectivè offerri exiſtimamus, quæ pro receptione in Fratrem, quæ pro anniverſario Pii Loci ſubſidio, quæ pro decedentium ſubindè Fratrum ſuffragiis, quæ demum pro injuſtæ abſentiæ, vel alterius cujuſpiam delicti emendatione, communi Societatis ærario, ipſis plerumque earumdem Societatum Conſtitutionibus diſponentibus, à Confratribus perſolvi conſueverunt: Cum igitur dedeceat eleemoſynam, quæ pia quidem, ſed voluntaria quædam largitio eſt, ab invito prorſus, & quandoque ab impotente, per vim auferri, præcipimus, & mandamus ne per quoſcumque Societatum, aut Congregationum Officiales, quiſquam Confratrum, aut Sororum judicialiter cogatur ad illius debiti ſolutionem, quod ex cauſſis ſuperius expreſſis, vel ſimilibus, cum eadem Societate contraxit; ſed ſpiritualiter errantem ſpiritualiter tantum plecti, privatione videlicet ab Officiis, & Beneficiis, ut ajunt, & ab omni commodo Fraternitatis, donec integrè ſatisfecerit, juxtà ſingulorum Locorum Conſtitutiones jubemus. Immunes tamen ab hac Noſtra Sanctione declaramus illas Urbis Confraternitates, quæ ex Sereniſſimorum Principum Reſcripto ad inſtar Univerſitatis Artificum evectæ, quoſcumque certæ Artis Profeſſores, tàm in Fratrum numerum receptos, quàm non admiſſos, ad quamdam annuam præſtationem,in pauperum ejuſdem Artis levamen, & in ſubſidium Oratorii convertendam, licitè, etiam Juris implorato remedio, compellunt.

9. Sordidam avaritiæ notam non effugit abuſus ſenſim irrepens, quo ex hac vita ſublati utriuſque ſexus Chriſtifideles, ad ambitioſam hæredum inſtantiam, in Fratrum, aut Sororum numerum, ſolutâ quâdam eleemoſynâ, recipiuntur, in id potiſſimum intendentes, ut non in aperto Cæmeterio, ſed in Sepulchro Confraternitatis intrà Eccleſiam tumulentur, quamvis perverſa hujuſmodi voluntas honeſtiori quandoque velamine, ſed prorſus futili, lucrandi ſcilicet

Indulgentias Fratribus, ſeù Sororibus vivis, ac defunctis ex Apoſtolica diſpenſatione conceſſas, malitiosè obducatur. Ecquis enim neſciat eas iis tantùm in utroque ſeculo prodeſſe, qui adhuc viventes in ſacrum Cœtum cooptari curaverunt? Ut itaque fucatæ pietatis ſimulacrum à Domo Dei, pro Paſtoralis Officii Noſtri ſedulitate, penitus abigamus, omninò præcipimus, ac diſtrictè jubemus, ſub pœna ſolvendi tantundem ultra refuſionem accepti quoad Confraternitates, & Congregationes, & arbitrii Noſtri quoad earum Miniſtros, ne quiſpiam inter Fratres, & Sorores, poſtquam ex hoc ſeculo deceſſerit, unquam recipiatur, & ne hujuſmodi intempeſtivæ aggregationis intuitu, quidquam etiam minimum recipiatur, aut perſolvatur, non obſtantibus Conſtitutionibus, præterquam Apoſtolicâ auctoritate ſuſtultis: pœnaſque ſuperius inflictas inter denunciantem pro una dimidia, pro altera Piis Locis arbitrio Noſtro applicandas declaramus. Non prohibemus tamen, quin aliquis Loci ductus Religione, vel ſuâ, vel Patris, ſi impubes ille ſit, & malitia non ſuppleat ætatem, prece, in Confraternitatum Sepulturis de Confratrum conſenſu, & ſine præjudicio Quartæ Funeralis, aliorumve emolumentorum, quæ ad Parochum ſpectarent, reponi poſſit, non nihil ad titulum charitatis pro ſepultura collato.

10. Jubemus inſuper Officialem Noſtrum ad recenſendas Confraternitatum rationes ſpecialiter deputatum, ut boni, ac ſeduli ratiocinatoris partes aſſumens, ea omnia, quæ Decreto Noſtro de repoſcendis rationibus inter Additiones appoſito decrevimus, exequatur omninò.

11. Ceterum ij, quibus rerum gerendarum in ſacris quibuſcumque Congregationibus, præſertim Laicorum, cura committitur, providâ rei familiaris adminiſtratione laudabiles eligantur, ſi quis enim domui ſuæ (*k*) præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit? & tamen delatum ſibi munus, nonniſi de conſenſu Patris, eoque principaliter obligato, ſi filiusfamilias fuerit, & dato idoneo fidejuſſore, (*l*) rerumque omnium eorum cuſtodiæ creditarum diligenti Inventario conſcripto, propriaque manu ſubſignato ſuſcipiant, & ſingulis annis, tempore conſueto, exercitæ procurationis rationes Officiali Noſtro ad eas deputato fideliter reddant, præſidente aliquo ex Noſtræ Eccleſiæ Metropolitanæ Canonicis, quos confirmandis, vel corrigendis ejuſdem Officialis calculationibus generaliter præpoſuimus, ac præfecimus, ſervatis omnibus in Decreto Noſtro contentis, quod in Synodi Additionibus ſubnectimus, & patrio ſermone translatum in ſingulis Congregationibus perlegi jubemus

mus bis in anno, in duabus videlicet Congregationibus novorum Officialium creationem immediatè præcedentibus.

12. Officium Camerariorum ultrà annum, aliudve tempus in Conſtitutionibus præſcriptum, niſi urgente neceſſitate, per Vicarium Noſtrum Generalem in ſcriptis approbandâ, protrahi nolumus, & his non obſtantibus expirare ſtatim jubemus, ſi fortè, diſpunctis rationibus, debitum exindè cum Societate contractum præſenti pecunia non diluerint, quod tamen intra Menſem omninò perſolvant. Moroſi, directâ etiam contra fidejuſſores actione, omni Juris remedio ad omnimodam ſatisfactionem compellantur. Succeſſores autem in Officio ulterioris dilationis reos, & relevandæ Confraternitati obnoxios declaramus, & arbitrariis pœnis ſubiicimus, niſi debitam ex geſta ſacræ Rei adminiſtratione pecuniam integraliter exegiſſe, aut idipſum omni diligentiâ curaſſe, aut debitores ex Noſtro ſpeciali Reſcripto ulterius toleraſſe, in rationis redditione docuerint.

13. Idem prorſus de pretioſis Mobilibus, & de Libris, Scripturiſque ſtatuimus, ut peculiaribus in gazophylaciis, & Archiviis, vel ſaltem armariis, vel ærario occludantur, exceptis ſacris Supellectilibus uſui quotidiano deſtinatis, necnon vigente currenti Libro accepti, & expenſi, quem unà cum Apochis, aliiſque Scripturis in ſingulos dies neceſſariis, cuſtodiri penès ipſum Camerarium, vel Proviſorem, durante Officio toleramus, niſi Loci opportunitas, & conſuetudo, ſecus, & quidem laudabilius obſervaverit.

14. Ultrà rationarios Codices, Librum etiam memorialem retineri præcipimus à Camerario, vel Proviſore, ſeù ab alio deputato conſcribendum, in quo quid in ſingulis Congregationibus actum fuerit, præcipuè verò ſatisfactiones onerum, (*m*) receptiones Fratrum, electiones Officialium, locationes Bonorum, comitiorum Acta, ſuffragiorum exitus, & his ſimilia diligenter adnotentur.

15. Quoniam ſpiritualis plerumque ſacrorum Locorum profectus ex mala rerum temporalium adminiſtratione deſtruitur, propterea, ordine ceteroquin inverſo, œconomico prius regimini, veluti ſervandæ charitatis, & ſacrarum Functionum ritè explendarum fundamento, conſuluimus, quo perpetim conſtituto, ſacratiorum Legum faſtigium ſecuriores imponimus. Parochialium igitur Eccleſiarum obſequiis, & ſalubriori creditarum Nobis ovium pabulo proſpicientes præcipimus, ne in Confraternitatum Oratoriis extra Civitatem conſtructis, inſcio, ſeù diſſentiente Loci Parocho, ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium antequam in ipſa Parochiali Eccleſia celebretur, neve

ad

ad rem Divinam faciendam (*n*) exteri Sacerdotes, abſque facultate Noſtra, vel Vicarii Noſtri Generalis, quemadmodum neque ij, qui facultatem eam habuerint, ſed illam Parochus adhuc non recognoverit, admittantur, ſub pœna localis interdicti, & aliis arbitrariis contra Gubernatores, Proviſores, alioſve legis hujſce perfractores ſeveriter infligendis.

16. Iiſdem planè pœnis innodamus quotquot ex Laicis (*o*) Sacerdotale munus aſſumere, & Dei Verbum annunciare, abſque Noſtra in ſcriptis conceſſione, præſumpſerint, ipſumque ſacrum Locum legis violatione fędatum interdicto ſupponimus. Pias tamen, & ſimplices adhortatiunculas à recto Sacrarum Literarum ſenſu, & à Sanctorum Patrum interpretatione non diſſidentes, atque à probatis, & honeſtis Viris babendas non reprobamus, modò in Confraternitatibus nunquam eodem tempore, quo in Eccleſia Parochiali ſacræ Functiones peraguntur, concio per quemquam etiam Sacerdotem Secularem, ſeù cujuſvis Ordinis Regularem habeatur.

17. Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum Confraternitatum Oratoriis palam adorandum, nonniſi Noſtro accedente conſenſu, Populis exhibeatur, eoque (*p*) impetrato Confratres, nec avarè nimis, nec effusè utantur, ut moderatior apparatus decoram undequaque Sacræ pompæ dignitatem exhibeat, & neque ſordidus infra apertam præſentis Numinis Majeſtatem vileſcat, neque ſumptuoſior ad curioſitatem magis, quam ad pietatem adorantes alliciat, intolerandique ſumptus ambitionem, & faſtum potius, quàm Divinæ actionis, & gloriæ æmulationem præſeferat. Finitimas autem Societates, extra Civitatem præſertim, ad Sacras hujuſmodi pompas, collegialiter acceſſuras, proùt hactenus conſuevit, miſſis nuntiis advocari penitus interdicimus, ſpontè ex devotione, aut ad lucrandas Indulgentias accedentes non reiicimus, dummodò mutuæ accedentium, & recipientium Officialium conſalutationes, & muſici concentus, quibus orantium quies interrumpitur, ab Eccleſia removeantur.

18. Sacras quaſcumque longinquas ultra dietam peregrinationes, abſque ſpeciali Noſtra facultate in ſcriptis obtinenda, minimè ſuſcipiant, eâque impetratâ minimè utantur, niſi cum expreſſa, vel tacita, ſemper tamen neceſſaria conditione redeundi ad proprium Oratorium, & Civitatem ingrediendi ante horam vigeſimam tertiam ſine luminaribus, exceptis duabus, vel quatuor facibus circa ſacram Chriſti Crucifixi Imaginem ardentibus, & ſine aliqua obviantium pompa, ſub pœna interdicti Oratorii, & ſub aliis arbitrariis, etiam contra Correctorem, & Officiales decernendis.

19

Digitized by Google

19. Ad aſſocianda Cadavera defunctorum, (*q*) cum vocatæ fuerint Societates, accedant, in ipſa autem aſſociatione, ut hactenus obſervatum eſt in Civitate, procedant: Unica tamen non plures in eodem funere, illa videlicet, quæ, vel à defuncto electa, vel ab hæredibus (*r*) vocata, vel, his ceſſantibus, à Parocho invitata fuerit. Rurales verò Societates, quæ ab Eccleſia Parochiali admodum diſtant, ſi Confratres in Societate veſtiantur, non autem in Eccleſia Parochiali, Crucis Vexillum, (*ſ*) occaſione hujuſmodi non deferant, niſi in eundo ad Eccleſiam Parochialem, & in redeundo ab illa, funeralibus jam expletis, & tunc duobus ſaltem luminaribus, illoque à Fratribus piè, ac devotè aſſociato, quod præcipuè commendamus.

20. Societates Sanctiſſimi Sacramenti apud ſingulas Parochiales Eccleſias inſtitui vehementer optamus, ab iiſque, nedum cum infirmis Euchariſtia defertur, intortitiis eam aſſociari volumus, ſed etiam in Eccleſia (*t*) duobus luminibus propriis expenſis honorari Panem Angelorum à Viatoribus manducandum hortamur. Ubicumque autem ex Populorum inopia, aut raritate deſiderantur, quatuor ſaltem lineas veſtes albi coloris à Parocho retineri, eiſque totidem homines indui, qui luminibus deferendis, & Sacerdoti Viaticum geſtanti deſerviant, diſtrictè mandamus.

21. Comeſſationes, jentacula, refectioneſque quocumque prætextu apponi intra Oratorium prohibemus; (*u*) extra tamen, juxtà Locorum conſuetudines, ſervatâ religioſâ moderatione toleramus, mulieribus tamen (*x*) ſemper, ac perpetuò excluſis. Excipimus verò pia quædam, ac modica panis, & aquæ jentacula, quæ feriâ quintâ carnis privii, & Feriâ Quintâ, ac Sabbatho Majoris Hebdomadæ in Eccleſijs, vel Oratoriis, ad gulæ mortificationem, & caſtigationem carnis alicubi frequentantur, modò enim feminæ abſint, religioſam hanc, & prorſus laudabilem conſuetudinem approbamus, & Fidelibus ſervandam ex corde proponimus.

22. Ad omnia damna eliminanda, quæ ſenſim in Confraternitatibus ſuboriuntur in expenſis pro refectionibus, & comeſſationibus faciendis, diſtrictè, ſub gravibus mulctis, & præcipuè interdicto, proût opus fuerit, præcipimus taxas pro jentaculis impoſitas, & collectas penès Camerarium, & quidem diverſum à Camerario Generali Societatis, deputandum, ſeù eligendum à Confratribus, juxtà praxim cujuſcumque Societatis, deponendas, & cuſtodiendas eſſe, & minimè cum aliis eleemoſynis, & redditibus confundi, ne hujuſmodi eleemoſynæ, & redditus Societatis cum jactura, & luxu in ſuperflua, & indebita comeſtibilia diſtrahantur, & diſſipentur; hinc moni-

monitos eſſe volumus Camerarios particulares taxarum pro refectionibus collectarum, ut non impendant, niſi id, quod ad hunc præciſè finem à Confratribus, & aliis ſolvitur, nec aliter, nec alio modo.

23. Demum, ne quis in alienam meſſem temerarias manus iniiciat, utque charitatis ordo, ac decoris ratio ſervetur, ſingulis Laicalium Sodalitatum (*y*) Confratribus, quantumvis in Officio etiam præcipuo conſtitutis, interdicimus, quin ad ſacras ullas Functiones in eorum Oratoriis explendas, vel ad Divina Officia, Solemnitatum occaſione, aut funerum decantanda, Sacerdotes quoſpiam, ſeù Clericos advocare præſumant: Jubemus etenim, quemadmodum & decet, hujuſmodi electionem prudenti, ac moderato Correctoris arbitrio relinqui, qui illos de Plebatu, poſthabitis remotioribus, & Diœceſanos, rejectis exteris, juxtà caſuum circumſtantias, præferre omninò teneatur.

(a) *S. Rit. Congreg.* 7. *Octob.* 1617., *Synod. Provinc.* 1573. *Rubr.* 51. *cap.* 1., *&* *Diœceſ.* 1645. *tit.* 2. *cap.* 19. §. 2., (b) *Synod. Diœc.* 1681. *tit.* 18. §. 3., (c) *Synod. Diœc.* 1691. *tit.* 4. *c.* 4. §. 5.. (d) *Synod. præd. ubi proximè ſupra*, (e) *d. Synod.* 1691. *ubi ſupra*, (f) *d. Synod.* 1691. *tit.* 4. *cap.* 4. §. 6., (g) *Synod.* 1645. *tit.* 2, *cap.* 19. §. 4., (h) *Synod. Diœc.* 1681. *tit.* 18. §. 2., (i) *Synod.* 1691. *tit.* 4. *cap.* 4. *n.* 2., (k) *Paul. Epiſt. ad Timoth. cap.* 3. *ver.* 5.. (l) *Synod. Diœc.* 1619. *tit.* 9. *cap. unic.* §. 2., *&* 1645. *tit.* 2. *cap.* 19, §. 5., *&* 1691. *tit.* 4. *cap.* 4. §. 1., (m) *Synod.* 1619. *tit.* 10. *cap. unic.*, *&* 1637. *tit.* 12., *&* 1645. *tit.* 2. *cap.* 19. §. 3., (n) *Synod.* 1645. *tit.* 2. *cap.* 19. §. 4., *&* 1691. *tit.* 1. *num.* 1, (o) *Synod. Diœc.* 1610. *hoc tit.*, *&* 1619. *tit.* 9. *cap. unic.* §. 3., *&* 1691. *tit.* 4. *cap.* 4. *num.* 3., (p) *Synod.* 1645. *tit.* 2. *cap.* 19. §. 9., *&* 1691. *tit.* 4. *cap.* 4. *num.* 4., (q) *Synod.* 1691. *tit.* 4. *cap.* 4. §. 4.. (r) *Synod.* 1645. *tit.* 2. *cap.* 19. §. 10., *&* 1699. *tit.* 18. *cap.* 7., (ſ) *Synod.* 1691. *tit.* 4. *cap.* 4. §. 4., (t) *Synod.* 1681. *tit.* 18. §. 7., *&* 1691. *ubi ſupra* §. 6., (u) *Synod.* 1645. *cap.* 19. *tit.* 2. §. 3., (x) *Synod.* 1691. *tit.* 4. *n.* 9., (y) *Synod.* 1681. *tit.* 18. §. 4.

CAPUT VI.

DE REBUS ECCLESIÆ TUENDIS, AC REPARANDIS.

1. MInistrorum Eccleſiæ numerus imminuitur, ipſiuſque Domus Dei decus, & cultus, ac reverentia deperditur, ſi quando ad inopiam redacta, Clericorum alimoniis impar, ſacris orna-

ornamentis deſtituta, ſqualore tabeſcens, piiſque benè de ſe merentium voluntatibus infidelis eſſe cogatur. Tanti intereſt eorum Bona tueri, ac pro viribus amplificare. Quamobrem omnes Parochi bis in anno, (*a*) videlicet primâ Dominicâ Adventus, ac Dominicâ in Paſſione, patrio ſermone, inter Miſſarum ſolemnia, vel ex ſuggeſtu per Concionatores, ſub pœna Nobis arbitraria Decretum Concilii Tridentini *Seſſ.* 22. *cap.* 11. *de Reformat.*, quod incipit = *Si quem Clericorum; vel Laicorum* = ac Decretum ejuſdem Concilii *Seſſ.* 25. *cap.* 12., cujus initium eſt = *Non ſunt ferendi*; Fidelibus perlegant, & declarent, ut planè omnes intelligant Eccleſiaſticarum rerum uſurpatores Excommunicatione ſoli Summo Pontifici reſervatâ, nec ab eodem, niſi præviâ integrali reſtitutione ſolvendâ, ſeſe ipſo facto innodari. Subtrahentes autem Decimas, vel earum ſolutionem impedientes, Juris ordine ſervato, excommunicandos eſſe, nec abſolvendos, donec plenè ſatisfecerint, ut metu ſaltem pœnæ coërceantur, qui ſceleris turpitudinem non abhorrent.

2. Ambitioſæ eorum cupiditati occurrentes, qui Mobilia pretioſa, & immobilia Deo dicata, ex quibus Eccleſiæ, Monaſteria, ac Pia Loca ſuſtentantur, illuſtriora redduntur, eorumque Miniſtri ſibi alimoniam vendicant, profanis uſibus applicare, aut, maximo cum illorum, ac Divini cultus detrimento, exquiſitis mediis invadere, & uſurpare præſumunt, extravagantem Pauli PP. II. Conſtitutionem omnimodè, ac inviolabiliter obſervandam præcipimus, (*b*) & quæcumque à Sacris Canonibus contra occupantes, vel diſtrahentes, extra caſus à Jure permiſſos, Chriſti Domini, pauperumque Patrimonia ſanciuntur, ea omnia innovamus, reſtituimus, & inconcuſsè per Nos, & Curiam Noſtram ſervanda, ac conſtantiſſimè exequenda profitemur.

3. Si quæ Laicis conceſſa Eccleſiarum Bona aliquo modo caduca facta ſint, (*c*) caveant quicumque Beneficia cujuſvis generis Eccleſiaſtica obtinent, ne pœnam incurſæ caducitatis, poſt eamdem ſemel acceptatam, remittant, niſi ſervatis iis, quæ in hoc genere Jura præſcribunt: Qui ſecus fecerint pœnas dabunt arbitrarias.

4. Servatam hactenus Curiæ Noſtræ praxim, quâ duorum Menſium terminus, de jure ad moram purgandam emphyteutæ datus, currebat ignoranti, corrigendam duximus; Quamobrem in poſterum nequaquam currere, niſi à die intimationis acceptatæ caducitatis declaramus.

5. Ceterum immobilia Bona Eccleſiarum ultra triennium locari, citra Sedis Apoſtolicæ conceſſionem, ſub pœnis à Jure inflictis prohi-

beniis, & præventivas penſionum exactiones, ſeù ſolutiones, quoad Succeſſorum præjudicium attinet, irritamus. (*d*)

6. Omnibus, ac ſingulis Chriſtifidelibus, qui de Inſtrumentis alienationis Bonorum, ad Monaſteria, Eccleſias, Beneficia, Hoſpitalia, Confraternitates, ac Pia Loca ſpectantibus quidem, ſed non apud ea extantibus ſint inſtructi; ac Notariis, Tabellionibus, (*e*) & aliis quibuſcumque de iiſdem, ac aliis Inſtrumentis, & Scripturis, ac documentis, & circa ea neceſſariis rogatis, in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrendæ præcipimus, ut ea ipſis Monaſteriis, Beneficiariis, & Piis Locis denuncient, notificent, & exhibeant intra ſex menſes à die publicationis hujus Decreti, ſi ſciverint prædicta Loca illis indigere, nec prudenter, probabiliterque arbitrentur hujuſmodi Inſtrumenta apud ea aſſervari, ſeù juſtam cauſſam non parendi allegaverint intra prædictum terminum; alioquin contumaces, poſt elapſum tempus prædictum, ſtatim anathematis vinculo innodentur, à quo nolumus à quoquam abſolvi poſſe, donec plenè, perfectèque pro viribus Noſtro præcepto paruerint; qui verò aliter abſolvere prædictos tentaverit, ad arbitrium Ordinarii à Divinis ſuſpendatur.

7. Et ut in poſterum hujuſmodi damna deflectamus, in ſingulis Eccleſiis, Oratoriis, Confraternitatibus, Hoſpitalibus, Congregationibus, aliiſque Piis in Locis Archivium erigi mandamus, certa manſione, vel ſaltem armario benè obſeratis ad hunc uſum unicè deſtinatis, & publica quævis Inſtrumenta, vel eorum exempla, rerum mobilium, atque immobilium Repertoria, Libros Parochiales, apochas, rationarios, ſive memoriales Codices, Decimarum, onerumque præſertim Piorum Elenchum, & alia omnia Eccleſiæ monimenta, ibidem ſub fida cuſtodia recondi, & ad ſucceſſores tranſmitti, ſub pœna Nobis arbitraria, enixè jubemus.

8. Cum itaque, ex eorum, qui præſunt, negligentia, compertum ſit multa ex Eccleſiaſticis Bonis, (*f*) tàm mobilibus, quàm immobilibus periiſſe, omnes Eccleſiarum, Monaſteriorum, & quorumcumque Piorum Locorum Rectores, Gubernatores, Adminiſtratoreſque, Repertorium, ſeù, ut vulgo dicitur, *Inventarium* omnium, & ſingulorum Bonorum mobilium, & immobilium intra annum conficiant, adhibitis duobus ſenioribus, & Syndico Loci, ubi Bona ſunt ſita, ad normam Concilii Noſtri Provincialis, (*g*) quod innovamus, & in eo diligenter, fideliterque deſcribantur fundi, agri, domus, jura, actiones, redditus, Vaſa ſacra, veſtes, ſupellectilia, & id genus alia, ad eorum Eccleſias, vel Pia Loca quomodolibet

ſpe-

ſpectantia, cujus exemplar fide dignum intrà idem tempus, vel in Archivio Noſtræ Curiæ aſſervandum tradant, vel apud ſe in Archivio propriæ Eccleſiæ aſſervent, in Viſitatione oſtendendum: Qui negligentes fuerint, fraudemve in eo conficiendo admiſerint, ſex aureos ſolvant: Ad quod Inventarium faciendum teneantur ſub iiſdem pœnis omnes Confraternitates Laicorum regimini Noſtro temporali ſubjectæ, quas inſuper conficere volumus notam obligationum, ac Legatorum, quæ in ſingulis annis explere tenentur.

9. Idem in poſterum ab omnibus ſervari præcipimus, qui Eccleſias, Capellas, Oratoria, aut Beneficia quæcumque Eccleſiaſtica *(b)* obtinuerint, tàm authoritate Ordinariâ, quàm Apoſtolicâ; quod ſi hoc præceptum intra duos Menſes non adimpleverint, in eamdem pœnam ſex aureorum incidant.

10. Eccleſiis, aliiſque Eccleſiaſticis Beneficiis vacantibus per reſignationem, obitum, vel deceſſum, Bona eorum mobilia, vel ſe moventia, & ſupellectilia, ſine Ordinarii facultate in ſcriptis accepta, à nullo amoveantur, alioquin amoventes ipſorum pretium, vel Bona ipſa amittant. *(i)*

11. Sacerdotibus omnibus Beneficium obtinentibus, ſub pœna decem aureorum, & aliis arbitrariis coërcitionibus, expreſsè interdicimus, ne, ſub quovis prætextu, *(k)* propriarum Eccleſiarum ſacram Supellectilem, ſine Noſtra facultate, alienent, ſed eam juxtà Inventarium ſaltem conſervent, novamque deſcribant; Quod ſi aliquando contigerit, ut vetuſtis rebus in aliarum renovatione uti vellint, hoc illis permittetur, ſi licentiam petant, & id, quod inutile eſt, comburatur potiùs, quàm alienetur. Hortamur autem cunctas Eccleſiaſticas perſonas, ut quando privato uſui, non Eccleſiis, deſtinatam Supellectilem ſacram habeant, in ejus alienatione cautè omninò ſe gerant, huic Edicto, quoad fieri poterit, obtemperantes.

12. Sacra Supellex, cujuſcumque ſpeciei tandem fuerit, uti etiam Jeſu Chriſti, B. Mariæ ſemper Virginis, Sanctorum Imagines, & Reliquiæ, nullo pacto, tempore, pretio, conditioneque Hebræis vendantur, oppignorentur, commodentur, permutentur, vel alio quovis titulo alienentur, tradanturve: neve Hebræi pari modo recipiant, ſub pœnis, juxtà qualitatem perſonarum reſpectivè, Excommunicationis, ſi Laici Chriſtiani, ſuſpenſionis, ſi Eccleſiaſtici, præterea rerum amiſſionis, & in duplum condemnationis *(l)* pro quolibet actu tranſgreſſionis.

13. Ruſticorum in domibus, eiſdemque liberè cuſtodienda Supel-

lex ſacra minimè à Sacerdotibus relinquatur, ne potiſſimum, ultra cetera ſcandalorum pericula, vel indecenter ſervetur, vel (quod omninò, Prædeceſſorum Noſtrorum veſtigiis inhærentes, ubique in Noſtra Diœceſi, ſub pecuniariis pœnis arbitrio Noſtro declarandis, interdicimus) ad profanum uſum quomodolibet transferatur. (*m*)

14. Commodari cuiquam Res ſacras prohibemus, & pro commodatis (*n*) amiſſis commodatarium etiam de leviſſima culpa, & caſu fortuito, Concilii Noſtri Provincialis Decretis inhærentes, teneri mandamus. Rectores autem commodantes, aut pignorantes, ultra pœnas à Jure, & à Pontificijs Conſtitutionibus inflictas, ſtatim ad eas redimendas cogendos decernimus, vel per ſubtractionem fructuum, vel per Excommunicationem; & commodatarios, vel creditores, qui eas pignoris loco ſine Noſtra facultate acceperunt, ad reſtitutionem nullà prævià erogatæ pecuniæ refuſione compellendos, licèt aliter ſatisfacti non fuerint, vel ſatisfieri deſperent. Si verò pro ludicris faciendis ſacra unquam Supellex fuerit à quoquam commodata, tàm commodantes, quàm commodatis utentes, in pœnam Excommunicationis, & quinque ſcutorum Piis Locis applicandorum condemnamus.

15. Quercus, Ulmos, Cupreſſus, aliaſque ſimiles Arbores (*o*) de ſui natura non cæduas, ſeù etiam cæduas, ſed immaturas inciſioni, nullus omninò Beneficii Rector cædere, aut evellere per ſe, vel per alium, ſine Noſtra facultate, præſumat. In mortis autem diſcrimine conſtitutus, vel morti proximus, à cæduis etiam, & maturis abſtineat, ſub pœnis arbitrariis, aliiſque contentis in Edicto claræ memoriæ Petri Niccolini Prædeceſſoris Noſtri, quod in omnibus, & per omnia innovantes, ut perpetuis futuris temporibus inviolabiliter obſervetur, hìc inſerendum duximus.

NOI Piero Niccolini per la grazia di Dio, e della Santa Sede Apoſtolica Arciveſcovo Fiorentino, per levare ogni cauſa di querele a' ſucceſſori ne' Benefizj Eccleſiaſtici, e a' predeceſſori torre ogni occaſione di diſertare, e ſpogliare i Beni delle lor Chieſe, rinnovando il Decreto Sinodale del 1619. determiniamo, ordiniamo, e comandiamo, che niuno Benefiziato poſſa tagliare, o ſvellere per man ſua, o d'altri di ſuo ordine dal terreno della ſua Chieſa legname fruttifero, o che poſſa creſcere a frutto, o non ſolito a tagliarſi, ſenza eſpreſſa licenza da ottenerſi per ciaſcheduna volta in iſcritto da Noi, o dal Vicario Noſtro, eccettuando però i boſchi, o prode di Querciuole, Caſtagni, Olmi, o Albereti, e ſimili, che ſien

ſien tenuti, o a capitozze, o a polloneti, per tagli di legne, o per lavori, non a far marroni, o ghiande; i quali boſchi, prode, o tagli de' ſoprannominati, o ſimili, debbano però eſſer tagliati a' debiti tempi, e ſtagioni, ſecondo l'uſo de' Paeſi; dimodochè ſieno in perfezione, verbi gratia, di nove in dieci anni, e ne' Caſtagneti, o Albereti da far lavori di doghe, o tavole di venti, trenta, quaranta, e più anni, conforme al ſolito, purchè non ſegua anticipatamente di quello, che s'uſa per gli altri buoni uſufruttuarj, fittajuoli, o prudenti Padri di famiglia. E così li tre, o i cinque anni reſpettivamente.

Proibiamo di più a' Parenti, o futuri Eredi, o in qualſivoglia modo agenti Laici, o Eccleſiaſtici di qualunque Benefiziato nel tempo, che egli abbia male pericoloſo di morte, di non tagliare qualſivoglia ſorta di legname nel modo, e forma di ſopra proibito tagliarſi di ſu i Beni delle Chieſe, ſia venuto, o non venuto il tempo di tagliare, ſenza eſpreſſa licenza da ottenerſi da Noi, o dal Noſtro Vicario in iſcritto. A' traſgreſſori, cioè tanto agli ſteſſi Benefiziati, che loro Agenti imponghiamo le pene, prima della perdita di tutto quello, che taglieranno, o faranno tagliare; in oltre di ſcudi due per pianta fruttifera, o non ſolita da tagliarſi, e tagliata ſenza licenza in iſcritto; e ne' boſchi, e tagli fatti avanti al tempo, per ogni volta di ſcudi dieci, e negli ſcopeti, o ſtipa di ſcudi tre per volta. A' Parenti, Eredi, o in qualſivoglia modo Agenti per detti Benefiziati, che nelle infermità gravi, nelle quali poſſano dubitare della morte del Benefiziato, traſgrediſſero in alcuno de' modi ſopradd., oltre le ſopraddette pene, aggiunghiamo contro di loro la Scomunica, da incorrerſi ipſo facto. E le pene pecuniarie, e valuta delle coſe perdute da' traſgreſſori, ordiniamo, che ſi applichino, e ſi dividino la quarta parte all' accuſatore paleſe, o ſegreto, la quarta agli eſecutori, ed il reſtante, cioè la metà a' Luoghi Pii. Dichiarando però, che quel legname, il quale contro al preſente Decreto aveſſero tagliato, e per la traſgreſſione perduto, i Parenti, Eredi, o Agenti del Benefiziato malato, e che di breve moriſſe di tal malattia, ſi acquiſti, e vada in utile del Succeſſore, che abbia azione di domandarlo ovunque ſi ſia; e tutto in ogni miglior modo.

16. Decedente Plebano, illius Plebaniæ Prior, & ſi plures adfuerint, eorum præcipuus, vel eo infirmitate, ſenectute, juſtâ abſentiâ, aliave legitimâ cauſsâ impedito, vicinior Plebaniæ Rector: Priore autem, vel alio ejuſdem Plebaniæ Rectore decedente, Ple-

Plebanus ipſe, eoque propter legitimum impedimentum non valente, vicinior ex Plebania Rector, duo ſeparata Inventaria ſtatim, perſonaliter defuncti domum coram teſtibus, illius Eccleſiæ Parochianis, accedens, conficere teneatur, quorum alterum res ad Eccleſiam ipſam pertinentes, alterum mobilia domus, vel alia quæcumque ad ipſum defunctum, non reſpectu Eccleſiæ, ſed ſui ſpectantia, veluti ſupellectilem cujuſcumque generis, Libros, Scripturas, aurum, argentum ſignatum, fabrefactum, & è contra annonam cujuslibet ſpeciei, & ſimilia contineat, eaque Inventaria confecta Archiepiſcopalis Curiæ Cancellario per nuncium fide dignum, ſigillo ſecurè, ac undique ſignata illicò mittat, neque interim, vel ab hæredibus, vel ab aliis, quiqui ſint, quocumque prætextu, aliquid, vel ex Eccleſia, vel domo, vel aliundè amoveri, auferrique permittat, uſque dum à Nobis, vel Noſtro Generali Vicario jubeatur quid ſit agendum; ſi verò aliquo modo hujus Decreti, vel à ſanguine conjunctis, vel ab hæredibus defuncti, vel ab alio quovis libera ei exequutio impediatur, Archiepiſcopalis Curiæ Cancellario id ſignificet; interim tamen, ne per minimum tempus retardetur, poſſit Curiæ Secularis brachio uti ad eorum audaciam ſecurius reprimendam. (*p*)

17. Ultra Inventarium duplex, ut ſupra, conficiendum, Eccleſiæ etiam Parochialis, & annexorum, domuſque Presbyteralis ſtructuram, ſacrorum Mobilium decentiam, & copiam opportunam, domorum Colonicarum, ſeù locari ſolitarum, & Prædiorum indigentiam, adhibitis quoque Peritis, ſi eis opus fuerit, quam diligentiſſimè inveſtiget, & ſi quid ad decorem, vel ad neceſſitatem deeſſe cognoverit, expreſſa pretii impendendi veriſimili quantitate, Nobis denunciet, ut relictum defuncti Patrimonium, niſi hæredes numeratâ pecuniâ redemerint, Eccleſiarum indemnitati, tamquam eiſdem ſpeciali hypothecâ obnoxium, deſerviat.

18. Directè verò, vel indirectè per ſe, vel per alios impedientes, vel res ullas, quamvis minimas, quovis prætextu, etiam quod ſint res propriæ, auferentes, juxtà B. Pii V. Conſtitutionem, omnia ablata, vel occupata amittant, eidemque Eccleſiæ applicentur, omneque jus petendi, aut auferendi amplius quidquam ex Bonis prædictis amiſiſſe intelligantur, (*q*) aliiſque pœnis ex Sacrorum Canonum, Conciliorum, Pontificumque Decretis, contra res Eccleſiæ uſurpantes fulminatis, ſubiiciantur.

19. Et quoniam adhuc vivente Rectore, impiâ, & crudeli hæredum induſtriâ, res eaſdem, quas deeſſe, aſportari contingit, eaſdem

Digitized by Google

per eum, qui Parochi vicem erga ægrum ſuſtinet, admoneri, & ſucceſſivè Literis Monitorialibus à Vicario Noſtro Generali, per eum, qui Inventario conficiendo præfuit, & Oeconomi proviſionalis vicem gerit, impetratis, tàm Excommunicationis latæ ſententiæ contra Bonorum Eccleſiæ ſubtractores, vel alios delicti conſcios non denuntiantes, quàm Excommunicationis ferendæ contra reos expilatæ hæreditatis defuncti, vel contra non revelantes criminis authorem ſibi notum, eaſdem Monitoriales Literas in Eccleſia vacante, & in vicinioribus affigi, & publicari, eodem Plebano, vel Priore, aut Rectore procurante, mandamus.

20. Quod ſi Capellani eiuſdem Eccleſiæ, vel alterius cujuſpiam Clerici, aut Sacerdotis, etiam Parochi, vel cujuſlibet Laici ad hoc ſcelus perpetrandum miniſterio hæredes utantur, hujuſmodi pœnis ſupra conſtitutis obnoxios, & ulterius, ultra Excommunicationem, Clericos ad Beneficia inhabilitari, ac ab Ordinibus ſuſcipiendis arceri volumus, atque mandamus, & tamen ad refectionem damnorum omninò teneantur.

21. Illi verò Plebani, Priores, Rectoreſve, qui juxtà ordinem ſupra inſtitutum, Inventarium conficere, & relicta Eccleſiæ Bona an aliquo indigeant perſcrutari debent, ſi non legitimè impediti recuſaverint, vel fraudem in excuſationis allegatione committere præſumpſerint, ſciant hoc eſſe præceptum de re gravi enixè à Nobis impoſitum; quando verò conſtet de inobedientia, ad pœnas etiam pecuniarias, arbitrio Noſtro declarandas, Nos progreſſuros, quæ Accuſatori pro tertia parte tradentur. *(r)*

22. Fructus, ſive naturales ſint, ſive induſtriales, qui Beneficiati mortis tempore *(ſ)* à ſolo fuerint ſeparati, ad illius hæredes ſpectare, pendentes verò ſucceſſorem in Beneficio acquirere ſtatuimus, quod locum habere volumus, etiamſi prædicti fructus fuerint locati, neque diem ſolutionis affictus eſſe attendendam; licèt enim non venerit, tamen ſi fructus, quorum cauſa affictus ſolvitur, à ſolo ſint ſeparati, eos defuncti hæres conſequatur. Sin ante mortem prædeceſſoris ipſa dies venerit, fructus verò adhuc pendentes ſint, eos ſucceſſor in Beneficio adipiſcatur.

23. Fructus verò civiles, illi ſcilicet, qui ex re naturaliter infructuoſa quaſi dietim percipiuntur, venerit necne ſolutionis dies, pro rata temporis inter hæredem prædeceſſoris, & ſucceſſorem in Beneficio dividantur, excepto tamen emphyteuſis Canone, qui in dominii recognitionem ſolvitur, & fructus non æquat (nam ſi æquat, procedatur, ut in affictu) qui Canon pro rata non eſt dividendus;

at ſi

at ſi dies ſolutionis ante prædeceſſoris mortem advenerit, integrum illius hæres habeat, ni venerit, in toto ſucceſſor dominus ſit.

24. Semina cujuſcumque ſpeciei, ubi, juxtà regionum morem, Dominus eorum dimidiam partem conferre tenetur, tunc in Eccleſiæ Prædiis debita quantitate, & qualitate ſemper relinquenda, & conſervanda eſſe ſtatuimus, & ideo licèt defunctus Beneficiatus ex datis ſeminibus, morte præventus, percipere fructus non valuerit, illius tamen hæredem eorum gratia nihil à ſucceſſore repetere poſſe firmamus, ſicut etiam expenſas in ſtercoratione proprio licèt ære confectas.

25. Paleæ quæcumque, ex Regionum conſuetudine, duplicem habent regulam: Ubi enim mos eſt, ut in Prædiorum uſum relinquantur, licèt mortui hæres cum frumento, & ſegetibus à ſolo ſeparaverit, & collegerit, relinqui tamen volumus ſucceſſori, qui ad eas conſequendas nihil impendat; at ubi liberè venduntur, & inter alios fructus connumerantur, tunc defuncti hæredi, ſi ſeparatæ à ſolo ante illius mortem fuerint, acquiri jubemus: qui tamen hæres, ſecundum æſtimationem per duos in hac re Peritos faciendam, eas ſucceſſori vendere teneatur, ſi tanti emere velit.

26. Cœmenta omnia, ut calx, arena, ſaxa, laterculi, tegulæ, trabes, tigilla, tabulæ, ferramenta, & ſimilia ipſius Eccleſiæ, vel Parochialis, vel Prædiorum Eccleſiæ domorum, vel ſparſim in ipſorum agrorum fabricis, vel plantationibus quoquo modo deſtinata, ſucceſſori remanere præcipimus, & prædeceſſoris defuncti hæredi legitimè probandi onus incumbat ea ad id deſtinata non fuiſſe.

27. Omne pecus cujuſcumque ſpeciei, quod in Eccleſiarum Prædiis ſit, quamquam in ſucceſſoris dominium non perveniat, attamen, ſive hęres prædeceſſoris, ſive quiſpiam alius ipſius pecoris quoquo titulo dominus ſit, per ſex menſes antequam à dictis Prædiis illud removeat, ſucceſſori in Beneficio notificare teneatur, ſalvis tamen interim hæredis ejuſdem favore conditionibus, & emolumentis, quibus juxtà naturam pecoris, & morem regionis, alii domini Soccitarum perfruuntur; ad ſervandam verò æqualitatem teneatur Succeſſor in Beneficio diſdictam beſtiaminum per ſex menſes antea facere, ſi alia de proprio, vel aliunde comparata ſubrogare velit.

28. Hæres inſuper defuncti Beneficiati, qui Beneficii fructus percepit loco alimentorum uſque ad novam meſſem, teneatur ſucceſſori, vel Eccleſiæ cuilibet vacanti tradere tantum frumenti, vinique, quod ſit ad rationem duorum ſextariorum, & cadi unius in unoquoque Menſe. Similiter, præter alimenta, prædeceſſoris hæres relinquere teneatur pro Sanctiſſimi Sacramenti lampade oleum ad annuam unius cadi rationem.

29. Adhuc

29. Adhuc defuncti Beneficiati hæres ſacræ Supellectilis, cujuſcumque generis, & ubicumque ea ſit, nullam habeat petendæ actionem, ſed illibata ſucceſſori, & in Inventario deſcripta tradatur, rejectâ penitus conſuetâ exceptione, quod defunctus non Eccleſiæ, ſed ſibimet eam ad privatum uſum, non ex Beneficii fructibus, ſed propriâ pecuniâ comparaverit: Niſi enim vivens Parochus intra annum factæ acquiſitionis coram Nobis, vel Noſtro Vicario Generali, exceptionem hujuſmodi rigoroſè probaverit, & declarationem exemptionis in ſcriptis impetraverit, eo è vivis ſublato, ſacra Mobilia quomodocumque quæſita Eccleſiæ acquiri decernimus.

30. In quacumque Parochialis Eccleſiæ domo ad minus relinquenda eſſe decernimus infra vulgari ſermone, ad ambiguitates tollendas, enumerata.

Due Letti, con Panchette, e Tavole d' albero, ſopra l' uno, e l' altro de' quali ſieno i Sacconi: uno con due Materaſſe, e Piumaccio di lana, Panno, e Coltrone: l' altro con una Materaſſa di lana, e una di capecchio, con Panno pure, o Coperta, tutta roba buona. Tutti gli Arneſi d' albero neceſſarj per una Caſa; una Secchia di rame da pozzo, la Catena da fuoco, un pajo di Sgabelli, un pajo di Seggiole baſſe, tutti i Vaſi da Vino, e da Olio di qualſivoglia ſorte, i quali vi ſi trovaſſero.

31. Et hæc omnia hæreditas Rectoris defuncti, vel ipſemet Eccleſiam quomodolibet dimittens, conſignare ſucceſſori teneatur, etiamſi defunctus ipſe, vel reſignans tantundem non receperit ab anteceſſore. Reſervamus tamen Nobis, vel Vicario Noſtro Generali facultatem, juxtà Beneficiorum tenuitatem, caſuumque varietatem, aliquid immutandi, & rigoris remittendi.

32. Hujus autem Conſtitutionis obſervantiæ curam Noſtræ Archiepiſcopalis Menſæ generali Oeconomo pro tempore exiſtenti committimus, qui ſicut ſummâ integritate ſub Noſtræ indignationis pœna, ſic maximâ vigilantiâ re, quando opus ſit, Nobiſcum, vel cum Noſtro Vicario Generali participatâ, à Nobis, vel ab eo in tanta caſuum varietate, ex data in Conſtitutione forma, juſſa legitimè exequatur.

33. Cui generali Oeconomo pariter mandamus, ut in exactionibus favore vacantium, vel ſibi commendatarum Eccleſiarum, & Beneficiorum contra quoſcumque debitores faciendis, omnibus judicii ſolemnitatibus remotis, manu, ut dicitur, Regia, brachioque Fiſcali, ſicut in iis, quæ ad Noſtram Menſam pertinent, procedat. Si verò ei videbitur, extrajudicialiter debitoribus æris alieni quali-

tatem, & quantitatem per nuncios à ſe electos ſignificet, & ſi opportunum judicabit, juxtà qualitatem perſonarum, ex improviſo ad realem, & perſonalem exequutionem deveniat; quâ confectâ, decemque diebus elapſis, abſque alia judiciali, vel extrajudiciali notificatione, tàm pro liquidis, quàm pro illiquidis creditis, res oppignoratas publicæ ſubhaſtationi vendendas ſupponat. In arduis verò negotiis, antequam tamen ſubhaſtatio ſecuta ſit, pro utraque parte, vel ad Nos, vel ad Noſtrum Generalem Vicarium pateat ſemper juridica reclamatio, & recurſus, ſed ſecuta ſubhaſtatione omnis ſpes reclamandi tollatur.

(a) *Synod. Prov.* 1573. *Rubr.* 44. *cap.* 5., *&* *Diœceſ.* 1619. *tit.* 6. *cap.* 3. §. 1., *&* 1691. *tit.* 4. *cap.* 3. *num.* 1., (b) *Synod.* 1619. *ubi ſupra* §. 4., *&* 1645. *hoc tit. cap.* 16. §. 3., *&* 1691. *ubi ſupra* §. 3., (c) *Synod.* 1619. *tit.* 6. *cap.* 4. §. 3., (d) *Concil. Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 11. *de Reformat.*, *Synod.* 1573. *Rubr.* 44. *cap.* 3., *&* 1619. *tit.* 6. *cap.* 4. §. 1., (e) *Synod.* 1619. *tit.* 6. *cap.* 4. §. 7., *&* 1691. *tit.* 4. *cap.* 3. §. 5. *&* 6., (f) *Synod.* 1619. *tit.* 6. *cap.* 4. §. 1. 2., (g) *Synod. Prov.* 1517. *de Immunit. Eccl. cap.* 4., (h) *dicta Synod.* 1517., *&* 1619. *ubi ſupra*, (i) *Synod. præd.* 1619. *ubi ſupra* §. 3., (k) *Synod. Diœc.* 1645. *tit.* 1. *cap.* 16. §. 3., (l) *Synod. Diœc.* 1623. *cap.* 2., *&* 1645. *tit.* 1. *cap.* 16. §. 2., (m) *Synod.* 1645. *ubi ſupra* §. 4., (n) *Synod.* 1517. *de commod. & pignor. cap.* 1. *&* 2., (o) *Synod.* 1619. *tit.* 6. *cap.* 4. §. 4., *&* 1645. *tit.* 1. *cap.* 16. §. 4., *&* 1691. *tit.* 4. *cap.* 3. *num.* 3., (p) *Synod.* 1645. *ubi ſupra* §. 5., (q) *Synod.* 1645. *tit.* 1. *cap.* 16. §. 5., (r) *dicta Synod.* 1645. *ubi ſupra* §. 5. *in fine*, (ſ) *dicta Synod.* §. 7. *ad finem*.

CAPUT VII.

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORUM.

1. NEmo in Eccleſia amplius nocet, Magnus inquit Gregorius, quàm qui perverſè agens nomen, vel Ordinem ſanctitatis, vel Sacerdotis habet. (*a*) Hinc eſt, quod à Summis Pontificibus, & à Sacris Conciliis ſaluberrima de vita, & honeſtate Clericorum ſancita fuere, ne infirma Laicorum corda eorum pravitatis exemplo licentiùs prolaberentur in culpam. Idcircò, cum Noſtræ Paſtoralis ſollicitudinis ſit infirmos conſolidare, ægrotos ſanare, confractos alligare, abiectos reducere, quodque perierat quærere, quos prius curabimus, niſi eos, quos Divino cultui manci-

cipa-

cipatos, ad aliorum correctionem unâ Nobiſcum Dominus poſuit?

2. Et quoniam qui in Clerum cooptantur in omnibus ſemetipſos præbere debent exemplum bonorum operum, impensè operam dabunt, ut rebus, locis, temporibus, ac perſonis, dicta, facta, vultus, & totius corporis habitus, ut omnis decoris ratio ſervetur, accommodent. Sed cum non ſine maximo animi Noſtri mœrore plurimos ex hac Noſtra Eccleſiaſtica Hierarchia, licèt Sacris Canonibus, Provincialibus, & Synodalibus Conſtitutionibus admonitos, variiſque pœnis deterritos, dignitatis ſuæ decorem parvipendere videamus, eos ab errore vindicandos eſſe arbitramur, ſi quantum ſcandali, quantum dedecoris hujuſmodi vitæ ratione Eccleſiæ afferant, diligenter animadvertant. Quapropter eos in Domino monemus, & obſecramus, ut tandem, non amplius prævaricantes, ad cor redeant, & ea, quæ vocationis ſuæ ſunt, ſedulo curent, quæque facienda, quæque vitanda, dum ea iterum recenſenda (licèt ex Edicto Noſtro jam promulgato, & in Synodi calce appoſito, ſatis ſuperque innoteſcant) mandamus, faciles audiant, ſibique optimè conſulant.

3. Jeſu Chriſti Coronam, non ſpinis, ſed honoris, & honeſtatis floribus contextam, Regalis Sacerdotii inſigne, geſtare debent in capite, qui in ſortem Domini vocati ſunt. Quare (*b*) Clericis omnibus, tàm majoribus, quàm minoribus Ordinibus, primâque Tonſurâ initiatis, cujuſcumque ſtatus, dignitatis, aut conditionis, inhibemus eam negligere, comam alere, eamque ita relaxare, ut frontem, & aurium extremitatem, & à temporibus, & occipite defluens collare contegat, ipſamque calamiſtrare, cyprioque, vel alio quovis pulvere, quamvis ſit aſcititium capillamentum, perfundere; Et quidem Sacris Ordinibus inſignitis, ſub pœna in ſingulis tranſgreſſionibus quinque aureorum, ceteris verò trium, primâque Tonſurâ decoratis unius: quorum dimidium operibus, Locisque Piis ſit applicandum, & alterum delatori, executoribus, aliiſque pro more Noſtræ Curiæ diſtribuendum. Corona verò in medio capite appareat, Ordini, ſtatuique congruat, gradatimque ſit major.

4. Cum Clericus, ut habetur in IV. Concilio Carthaginenſi, *profeſſionem ſuam, (c) & in habitu, & in inceſſu probet: & nec veſtibus, nec calceamentis decorem quærat*, vehementer angimur in hæc incidiſſe tempora, quibus veſtium ornatus, & uſus à Laicis Clericos vix diſcernant. Ad compeſcendos ergo ab Eccleſiaſtica gravitate degeneres, penituſque, quantum Nobis permittitur, extirpandos abuſus hujuſmodi, Patrumque diſciplinam revocandam in filios Nobis ſubiectos vi quadam Cœleſti corripimur.

5. Nullus igitur Clericus Eccleſiaſtico Beneficio, vel Sacris Ordinibus decoratus, qui in hac Civitate domicilium, (*d*) vel aſſiduum habet incolatum, itemque primâ Tonſurâ, minoribuſve Ordinibus initiatus, qui Noſtræ Metropolitanæ, aliarumve Eccleſiarum Collegiatarum, vel harum ad inſtar, ſervituti ſit addictus, audeat diurnis horis breviorem veſtem in Civitate adhibere, ſed talarem cum talari pallio deferat. Tranſgreſſores autem quoſcumque, tàm Sacris Ordinibus, quàm Eccleſiaſtico Beneficio inſignitos, pœnis octo aureorum, diſtribuendorum ut ſupra, obnoxios volumus, & ſtatuimus, alios verò duorum aureorum pro qualibet vice, aliiſque pœnis arbitrij Noſtri.

6. Poſſint tamen togulâ, dummodò infra genua producatur, (*e*) uti prædicti Rus proximè conceſſuri, vel inde in Urbem revertentes, Cœloque pluvio, exceptis tamen iis, quorum Scholaſteria, ſeù ſcholæ eam omninò prohibent, vel contrariam habent conſuetudinem. Quæ brevior veſtis numquam deferri poſſit quacumque in re Sacra peragenda, ſub pœnis decem aureorum, aliiſque arbitrariis.

7. Et in eaſdem ſe ſciant eſſe incurſuros Sacerdotes omnes domicilium, vel aſſiduum incolatum habentes in Caſtris, Lociſque muris vallatis, vel quibuslibet aliis Inſignibus, præſertim ubi ſunt Collegiatæ, ſi inibi diebus Feſtis de præcepto, ſolemni ritu res Sacras, & Eccleſiaſticas functiones agentes, togulâ utantur, (*f*)

8. Sed Plebani, ruraleſque Parochi, ſi ſuis in Eccleſiis annuis diebus ſolemnioribus, Feſtiſque Patronorum, vel Titularium ſuarum Eccleſiarum, & Laicorum Confraternitatum, quæ ad eas ſpectant, talarem veſtem non induant, dummodo notoriâ egeſtate non laborent, [*g*] duorum aureorum pœnam pro qualibet vice ſubeant. Nihilque Nobis erit acceptius, & ad Populi inſtructionem, & voluntatem magis conſentaneum, quam ſi in Supplicationibus, quæ in Sacra Chriſti Corporis Solemnitate fieri ſolent à Plebanis, habitu talari interfuerint, vel ad Sacri Fontis Benedictionem convenerint.

9. In Civitate, Caſtris, Lociſque Noſtræ Diœceſis Inſignibus domicilium Sacerdotes habentes, rem Divinam facere breviore togâ non præſumant (*h*) in Eccleſiis, publiciſque Oratoriis eorumdem Locorum, ſub pœnis decem aureorum per ſingulas vices: Quibus pœnis etiam ſubjaceant Sacriſtæ, Capellani, Rectores, Cuſtodes, aliique ſacrariorum Præſides, ſi id permittant. Idcircò præſto habeant colobium, ideſt, tunicam ſine manicis, talare, vel ſuccinctorium ad talaris togæ ſupplementum, quibus ſe ſuperinduant Sacerdotes celebraturi.

10. Cle-

10. Clericales veſtes à laicalibus omninò, noviſſimiſque modis aberrent, venerationem tantum, & modeſtiam præſeferant, & ſuo cujuſcumque Ordini congruant; non fulgidæ, neque ſordidæ ſint, ſed inter utrumque medium quoddam teneant, qua in re ſervetur omninò Edictum Noſtrum emanatum die quintâ Februarii 1709., & inter Additiones appoſitum, & contumaces plectantur pœnis in eo contentis. (*i*)

11. Domo ſine Clericali veſte diurnis, nocturniſve horis, (*k*) in Civitate, vel extra, nullus Clericus audeat progredi, vel divagari; qui ſecus fecerit, præter pœnas à Sacris Canonibus, Concilio Tridentino, & Apoſtolicis Conſtitutionibus inflictas, pœnam carceris ad quindecim dies perſolvet. Nec horum quiſquam, ut in ultima Florentina Synodo ſtatutum eſt, ubicumque extra domum deferat, præſertim in locis publicis, quòve Populus ſolet confluere, ſudariolà collo circumducta, lineaſque nocturnas calanticas, nec unquam ſine collare ſe gerat, niſi velit per ſingulas tranſgreſſiones ſex aureorum pœnas luere; nec anulum deferat, niſi Doctoratus, Officii, vel Dignitatis decore præfulgeat, quem tamen rem Divinam facturus deponere debet, ut cenſuit Sacra Rituum Congregatio, & in Florentina Synodo anni 1645. hujuſmodi prohibitio declarata fuit.

12. Cumque ex noſtro Edicto ſub die vigeſimoprimo Octobris anni 1706. edito, & in Additionibus ad hanc Synodum reimpreſſo, nemo, ſub pœnis quindecim aureorum, aliiſque arbitrariis, Clericalem habitum aſſumere, & deferre poſſit ſine expreſſa Noſtra, vel Vicarii Noſtri Generalis licentia in ſcriptis obtenta, ut omninò hujuſmodi evellatur abuſus, ſciant omnes, qui ſtatutis pœnis non deterrentur, reiiciendos fore cum primâ Tonſurâ initiari petierint. Quod ſi tamen pervicaciter abſque licentia Clericalem veſtem geſtare præſumant, vel eam deferendi facultatem obtinuerint, iiſdem obligationibus, pœniſque ſint ſubiecti, quibus Clerici. Miramur equidem quamplures, qui nomen ſuum in Sacrorum militum Album deſcribendum dedere, profanis curis diſtineri, cum dicat Apoſtolus: (*l*) *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus, ut ei placeat, cui ſe probavit*. Quamobrem ne in Nobis Paſtoralis vigilantiæ deſideretur officium, quamvis execrabili audaciâ Sacrorum Conciliorum ſtatuta, inhibitiones, & pœnas, ac Summorum Pontificum monita, & Conſtitutiones Synodales eludant, ſub iiſdem pœnis aliàs comminatis, aliiſque arbitrariis rurſus prohibemus, (*m*) ne quis Sacerdos, vel Clericus Tutelas, vel Curas ſuſcipiat, nec Advocati, aut Procuratoris nomine coram Judice Seculari quaſcum-

que

que cauſſas Laicorum civiles, vel mixtas agat, etiam charitatis prætextu, exceptis iis à Sacris Canonibns permiſſis, & tunc de licentia, vel Noſtra, vel Vicarii Noſtri Generalis. In criminali verò Judicio apud Laicale Tribunal ſi quis eorum accuſatoris, vel teſtis perſonam gerat, non tantum damna, quæ attulit accuſato reſarcire, ſed etiam juxtà Sacrorum Canonum diſpoſitiones plecti debet; ſi verò ad hujvſmodi Tribunal teſtis producendus ſit, vel inquiſitionis cauſſa ad defenſionem poſtuletur, non prius accedat, quam Nobis, vel Vicario Noſtro Generali, quid teſtimonii dicendum, & quo ſuper articulo facienda ſit inquiſitio, exhibuerit, & facultatem à Nobis habuerit, ſub pœnis decem aureorum, aliiſque arbitrio Noſtro.

13. Nec Laicorum, præſertim mulierum, ſubſtantiarum gubernationes, adminiſtrationes, vel villici, procuratoris, œconomi, proxenetæ, exactoris,&c. officium tàm lucri, vel cujuslibet utilitatis,(*n*) vel commodi ratione, quàm ex charitate, & animo grato ullatenus Clerici ſuſcipiant, nec ſecularibus negotiis publicis, privatiſve ſeſe immiſceant; mercaturas, conductiones, emptiones, venditiones, rerum permutationes propter quæſtum, vel pro ſe, vel pro aliis, ſive in utilitatem Eccleſiæ, Piorumve Locorum, illis interdicimus: contrafacientes vigintiquinque aureorum mulctâ puniantur; quos contra etiam per inquiſitionem procedendum eſſe ſtatuimus.

14. Nec eis liceat legendi, ſcribendi, ratiocinandi, canendi, muſica inſtrumenta pulſandi, & quaslibet facultates, & ſcientias abdiſcendi ratione, feminas edocere, abſque Noſtra licentia in ſcriptis obtinenda, ſub pœnis decem aureorum, & arbitrii. (*o*)

15. Cumque mulieres contubernales domeſticum ſint periculum, delectabile detrimentum, & ſæpiſſimè mali natura boni colore depicta, prohibemus, ne quivis Clericus earum ullas apud ſe retinere valeat, niſi ſanguine proximas, vel familiaris ſervitutis cauſsâ, dummodo honeſtate, morumque probitate commendentur, & quadrageſimum ætatis annum exceſſerint. Tranſgreſſoribus viginti aureorum mulcta irrogetur. (*p*) Hortamur autem Clericos omnes in Domino, ne ſine gravi neceſſitate, vel urbanitatis ratione ad eas frequentent acceſſus.

16. Si quis Clericus infames, impudicas, vel ſuſpectas feminas domum ſuam ſubintroduxerit, vel cum illis habitet, licèt affinitate, vel conſanguinitate ſint illi conjunctæ, vel cum eis commercium, aut conſuetudinem habeat cum domi ſuæ, tùm alienæ, vel quibuſvis aliis perſonis flagitioſis, aut mali exempli familiariter utatur, vel

Digitized by Google

vel unâ cohabitet, vel convivat, per ſingulas tranſgreſſiones, & pro qualibet vice, præter carcerem, arbitrio Noſtro triginta aureorum pœnis ſubjaceat. (*q*)

17. Si Clericus domum ſuam, vel alienam ad ludendum, tàm ſuo, quàm alieno nomine accommodaverit, vel ipſe alearum, taxillorum, ceteriſque non artis, induſtriæve, ſed tantùm fortunæ ludis, à Legibus prohibitis, ubivis locorum vacaverit, ſi ſit in Sacris Ordinibus conſtitutus, vel Parochus ruralis, maximè in Feſtis ſuæ Eccleſiæ, vel Laicorum Confraternitatis diebus agendis, quindecim aureorum pœnis ſubiiciatur: ſi in Minoribus, vel prima Tonſura, decem aureorum. Ceteris verò ludis, ut pilâ palmariâ, vel miſſili batillo luſorio, pilâ raptim ad cordam, folli pugillatorio, folliculo, aliiſque id genus ludere, vel cum Clericis, vel cum Laicis in loco celebri, vel quò confluant ſpectatores; vel ubi fiunt colluſorum conventus, præſumens, ſi Sacris ſit initiatus, pro qualibet vice quinque aureorum pœnas perſolvat, ſi minoribus Ordinibus, vel Tonſurâ, arbitrii pœnis mulctabitur. (*r*)

18. Clerici non tantum quævis arma offenſiva, vel defenſiva deferre, ſed etiam domi retinere, licèt venationis cauſsâ, vel per loca ſuſpecta iter aggredientes, facultate à Nobis, vel à Vicario Noſtro Generali minimè obtentâ, omninò prohibentur. Tranſgreſſores, præter armorum amiſſionem, vigintiquinque aureorum pœnam expendant pro qualibet vice, quam etiam pœnam incurrant, ſi facultatis conditiones excedant. (*ſ*)

19. Si quilibet Clericus majoribus Ordinibus inſignitus, domi ſuæ, vel alienæ, virorum, & feminarum conventus egerit ad hilares dies terendos, choreas duxerit, amatorias cantilenas cecinerit, vel domum ſuam ad hujuſmodi oblectamenta aliis commodaverit, pro ſingulis vicibus vigintiquinque aureorum pœnam luat, & ipſo facto ſuſpenſionem à Divinis per octo dies Nobis reſervatam incurrat: Si verò his prædictis interſit, vel muſica quævis inſtrumenta pulſaverit ad celebriores choreas, ſaltationes, &c. hujuſmodi, quindecim aureorum pœnâ puniatur, aliiſque arbitrariis. Ceteri Clerici, ſi à choreis ſeſe non abſtinuerint, ſex aureorum dent pœnam. (*t*)

20. Tabernas, cauponas, popinas pulmentares, græcarios, omniaque helluonum receptacula devitare, exceptâ hoſpitii, itineris, vel emendi neceſſitate Clericos volumus. (*u*) Nec ſpectaculis, & comœdiis Hiſtrionum, vel quibuſcumque immodeſtis interſint, nec recitent, licèt ſint modeſtæ, vel ſacræ, niſi facultatem à Nobis, vel à Noſtro Vicario Generali receperint, (*x*) quam nullatenus obti-

nere

Digitized by Google

nere poſſint majoribus Ordinibus decorati. Circulatorum nugas; (*y*) nebulonum, ſuſurronum, & otioſorum congreſsus, præſertim publicos effugiant; (*z*) larvati non incedant; (*aa*) balnei, fluminiſque lavacro, niſi remotis in locis, non utantur; (*bb*) ſymphoniacorum nocturnis concentibus, vulgo *Serenate*, non adſint; neque cantitantes, neque pſallentes, vel quævis muſica inſtrumenta digitis, vel plectro attrectantes, vel tibiâ, fiſtulâ, lituo, & buccinâ ludentes, per Civitatem, & loca celebriora non divagentur, vel alios non comitentur, neque ſubſequantur; (*cc*) Neque edito publico ſigno ad arma deponenda, Lunâ minimè relucente, ſine lumine iter habeant, niſi Animarum curâ excuſentur. Tranſgreſſores pro prima vice, & pro ſingulis tranſgreſſionibus ſex aureorum pœnis afficiantur, pro aliis vicibus pœnis duplicatis, Nobis tamen arbitrariis reſervatis ad eos pro contumacia, ac recidivorum protervia, mulctandos.

21. Et quoniam ſæpiſſimè accidit nonnullos facili negotio à Legibus diſcedere, eoſque in Judicium vocatos fraude artificio tectâ, naturali, præſentique calliditate ab obiectis criminibus ſeſe expurgare, ſonteſque impunitatem aſſequi; Clericos omnes monitos volumus, & facimus, ſi arte freti ſimulandi, auſu temerario has Noſtras Ordinationes, & prohibitiones eludere conentur, & re ipſâ eludant, in eos tamen pœnis arbitrariis Nos eſſe animadverſuros ex ſola informata conſcientia.

(a) *Gregor. in Paſtoral.*, (b) *Synod. Provinc.* 1517. *de Vit. & Morib. Cleric. cap.* 1., *& Diœc.* 1645. *tit.* 4. *cap.* 24. §. 13. *&* 16., *&* 1656. *tit.* 3. *cap.* 1., *&* 1699. *tit.* 14. *cap.* 2., (c) *Concil. Carthag. IV. Canon.* 45., (d) *Synod.* 1517. *de Vit. & Morib. Cleric. cap.* 1., *&* 1573. *Rubr.* 37. *cap.* 2., *& Diœceſ.* 1619. *tit.* 8. §. 2., *&* 1656. *tit.* 3. *cap.* 1., *&* 1666. *tit.* 6. *cap.* 1. *&* 1699. *tit.* 14. *cap.* 3., (e) *Synod. Provinc.* 1573. *Rubr.* 37. *cap.* 2., *&* 1619. *tit.* 8. §. 2., *&* 1656. *tit.* 3. *cap.* 1., (f) *Synod.* 1517. *cap.* 1., *&* 1573. *Rubr.* 37. *cap.* 2., *& Diœc.* 1666. *tit.* 6. *cap.* 1., *&* 1699. *tit.* 14. *cap.* 3., (g) *Synod.* 1573. *Rubr.* 37. *cap.* 2., (h) *Edict. Petri Niccolini* 18 *Februar.* 1637., *& Synod.* 1645. *tit.* 4. *cap.* 24. §. 17. *&* 18., (i) *Synod. Diœc.* 1619. *tit.* 8. *cap.* 1., *&* 1645. *tit.* 4. *cap.* 24. §. 19., *&* 1699. *tit.* 14. *cap.* 3., *Synod.* 1573. *Rubr.* 37. *cap.* 2., *&* 1619. *tit.* 8. *cap.* 1. §. 2., *&* 1645. *tit.* 4. *cap.* 24. §. 23., *Synod.* 1517. *Rubr.* 1. *cap.* 3., *&* 1645. *d. cap.* 24. §. 20. (k) *Concil. Trident. ſeſſ.* 14. *de Reform. cap.* 6., *Bulla Xyſti V.* 1586., *Synod.* 1517. *cap.* 4., *&* 1619. *tit.* 8. *cap.* 1. §. 3., *&* 1645.

& 1645. *d. cap.* 24. §. 21., *&* 1699. *tit.* 14. *cap.* 3., (l) *Paul.* 2. *ad Timoth.* 2., (m) *Synod. Diœc.* 1656. *tit.* 6. *cap.* 1., *&* 1681. *tit.* 10. §. 2., (n) *Synod.* 1517. *Rubr.* 1. *cap.* 13. *&* 19., *&* 1573. *Rubr.* 37. *cap.* 8., *&* 1619. *tit.* 8. *cap.* 3. §. 2., *&* 1681. *tit.* 10. §. 2., *&* 1691. *tit.* 6. *cap.* 2. *n.* 4., *&* 1699. *tit.* 14. *cap.* 5., (o) *dicta Synod.* 1619. *tit.* 8. *cap.* 2. §. 1., *&* 1691. *tit.* 6. *cap.* 2. §. 1., (p) *Synod.* 1517. *Rubr.* 1. *cap.* 6. *&* 7., (q) *Synod.* 1573. *Rubr.* 37. *cap.* 3., *&* 1619. *tit.* 8. *cap.* 2. §. 1., (r) *Synod.* 1517. *Rubr. de Vit. & Morib. Cler. cap.* 18., *&* 1573. *Rubr.* 37. *cap.* 6., *& Diœc.* 1619. *cap.* 2. §. 5., (ſ) *dicta Synod.* 1517. *cap.* 17., *&* 1619. *dicto cap.* 2. §. 2., *&* 1645. *tit.* 4. *cap.* 24. §. 11., *&* 1656. *tit.* 3. *cap.* 2. *&* 3., (t) *dicta Synod.* 1517. *cap.* 18., *& Diœc.* 1619. *d. cap.* 4. §. 2., (u) *Synod.* 1573. *Rubr.* 37. *cap.* 6., *&* 1619. *tit.* 8. *cap.* 1. §. 5., *&* 1678. *tit.* 3. *cap.* 3., (x) *Synod.* 1619. *cap.* 3. §. 4., (y) *Synod.* 1619. *tit.* 8. *cap.* 2. §. 2., *&* 1678. *tit.* 3. *cap.* 3., (z) *Synod.* 1517. *Rubr.* 1. *cap.* 16., (aa) *Synod.* 1619. *d. tit.* 8. *cap.* 2. §. 7., (bb) *d. Synod.* 1517. *Rubr.* 1. *cap.* 18., *&* 1573. *Rubr.* 37. *cap.* 7., *&* 1619. *cap.* 2. §. 4., *&* 1678. *tit.* 3. *cap.* 3., (cc) *dicta Synod.* 1619. *tit.* 8. *cap.* 2. §. 3.

CAPUT VIII.

DE OFFICIO PAROCHI.

1. QUæcumque de vita, & honeſtate Clericorum præcepimus, eo præſertim tendunt, ut, cum Parochialium Eccleſiarum regimini, quod Clericalis profectò ſtatus apex, & perfectio eſt, aliquem præficere oportuerit, non mediocriter doctum inter penitus illiteratos, aut vix ſceleris purum inter criminoſos, neceſſariò aſſumere oporteat, ſed Dominici Gregis cuſtodem, ſcientiâ, ac pietate præſtantiſſimum, inter probos multos, & ſtudioſos ſeligere Nobis, vel iis, ad quos pertinuerit, liceat. Traditâ igitur Clericorum rectè inſtituendorum ratione, ad Parochos convertimur.

2. Paſtoralis autem muneris altitudo formidoloſa ſolicitudinem revocat, ad eas rationes proponendas, quibus Eccleſiarum Duces, ac Paſtores Animarum, omnem in crediti ſibi Gregis, Sanguine Chriſti acquiſiti, regimine operam ponant, & curam. Omnia quidem, quæ in hac Noſtra Synodo decreta ſunt, atque ſancita, ad rectam, & ſolertem Paſtoralis Officii adminiſtrationem pertinere videntur: ſed ſatis muneri Noſtro factum non cenſeremus, niſi quædam ſubiicerentur, quæ ad graviſſimum Animarum Rectorum miniſterium omninò ſpectant. S Pa-

3. Parochi ergo, ad ſublime hoc munus (*a*) vocati, Fidei ſcientiâ, ac morum ſanctitate ita ceteros antecellant, ut Chriſti Gregem tàm verbi doctrinâ, quàm operum exemplo paſcentes, non ut dominantes in Cleris, ſed forma facti Gregis (*b*) ex animo, fideles myſteriorum Dei diſpenſatores deputentur.

4. Et quoniam, licet ad Sacerdotale faſtigium evecti, pedes adhuc figimus in terra, undè, ceteroquin mundi, neceſſariò quodammodo ſordeſcimus, qui enim lotus eſt (*c*) non indiget niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus; propterea, ne occultæ Sacerdotum ex humana forſan conditione contractæ labes populo innoteſcant, (*d*) luſus omnes, jocos, nugas, ſcurrilia, epulas, compotationes, vanas confabulationes, & inutilem quamcumque cum Parochianis familiaritatem, quæ abditiſſimas ſenſim maculas aperit, Parochi devitent; præſertim verò, ſub pœna arbitrii Noſtri, à conviviis, epuliſque univerſis, quæ in Nuptiarum, vel Baptiſmorum ſolemnitatibus, intra Parochiam, ſeù Parochianis accubantibus ubicumque inſtruuntur, abſtineant.

5. Omnia etiam, quæ de vita, & honeſtate Clericorum in præcedenti Capite conſtituimus, ad ſe potiſſimum pertinere noverint, quorum ut neceſſitatem penitus intelligant, præmittere eos jubemus ante ſuſceptum Officium Sacrarum meditationum circulum, quem Spiritualium Exercitiorum vocabulo explicamus, ut in Edicto Noſtro jampridem edito, & in Additionibus ad hanc Synodum reimpreſſo, latiùs continetur; ità enim talem ſpiritum excitabunt, qui, ſuperfluens, in ſubiectos etiam ſibi Populos refluat.

6. Prætereà, quæ enixè decrevimus de Divini Verbi Prædicatione, de Chriſtianæ Fidei rudimentis tradendis, de Feſtorum, ac Jejuniorum indicatione, de Laicorum Confraternitatibus, de Rebus Eccleſiæ, præſertim verò de Sacramentorum adminiſtratione, præcipuò ipſorum munere, omninò calleant, atque exactiſſimè exequantur.

7. Habeant proindè ſinguli Parochi Noſtras haſce Synodales Conſtitutiones, (*e*) eaſque ita frequenter legant, ut ad minimum ſemel in anno univerſas perlegiſſe curent.

8. Prætereà ſummam aliquam Caſuum Conſcientiæ, vel Canonum, Concilium Tridentinum, Cathechiſmum, & Rituale Romanum, (ad cujus normam omnino ſua miniſteria peragant, ſub pœnis arbitrio Noſtro infligendis,) ſaltem apud ſe retineant, & aſſiduò ſtudio revolvant, ut ita ad propria munera ritè obeunda pleniſſimè inſtruantur; & hos quidem Libros in Viſitatione Nobis, ſeù Viſi-

tato-

tatoribus Noſtris exhibere teneantur, graves pœnas arbitrio Noſtro daturi, ſi illis carere quandoque deprehenſi fuerint. (*f*)

9. Eos inſuper enixè in Domino hortamur, ut, ultra pios Divinarum meditationum Libros, alioſque ſupra enumeratos, aliquem habendis concionibus accommodatum; item aliquem, quo in officiis erga Infirmos ab ipſis ſedulò exhibendis erudiantur, ac demum Sacrarum Literarum Libros ſibi comparent, quos à Sacris Canonibus frequenter (*g*) legere admonentur, ut docendi officium, quod ſuſceperunt, fructuoſiùs, ac faciliùs exequantur.

10. Exequentes inſuper ea omnia, quæ in ſequenti Capite de Reſidentia ſtatuemus, ſibi, & univerſo Gregi attendant, in quo Spiritus Sanctus (*h*) poſuit eos regere Plebem Dei. Hinc vigilantes ſemper Gregibus ſuis, diligentiſſimè inquirant, an in eorum Parochiis perditi homines degant, publici nempè blaſphemi, concubinarii, ſortilegi, morum corruptores, uſuras exercentes, res Eccleſiaſticas occupantes, ſive alterius gravis, ac ſcandaloſi criminis publicè rei; Quos quidem paternè primum, ac ſuaviter cum omni patientia ad bonam frugem reducere ſtudebunt; mox acriùs, ac ſeveriùs pro temporis opportunitate admonebunt, (*i*) ut, ità non ſubterfugientes annunciare conſilium Dei, (*k*) veraciter cum Apoſtolo mundas manus ſuas ab illorum ſanguine valeant profiteri. Si verò his adhibitis ſtudiis, ſe nihil proficere cognoverint, Nobis, vel Vicario Noſtro Generali, contumaces denunciabunt; quemadmodum & abuſus omnes, ſi qui fortè, vel hominum vitio, vel temporum injuriâ irrepſerint: & in virtute ſanctæ Obedientiæ, (*l*) Plebanis omnibus, eorumque Vicariis præcipimus, ut Menſibus ſingulis diligenter exquirant, an Parochi in propriis Eccleſiis reſideant, ſuique muneris partes exactè adimpleant; Nobis, ſub pœnis arbitrariis, ſtatim notitiam daturi, ut de opportuno remedio providere valeamus.

11. Invigilent inſuper Plebani præfati, & inquirant, an Parochi Chriſtianam Doctrinam (*m*) Populos edoceant, an publicos peccatores permittant, & in omnibus probis moribus bonum de ſe ſpecimen præbeant. Bona ulterius Eccleſiarum perluſtrent, ut quæ neceſſaria ſint apponantur, quæ reſarcienda reparentur. Quod ſi, ex Plebanorum incuria, talis ad Nos notitia non pervenerit, vel Plebani ipſi in his deliquerint, Populos ipſos in Domino monemus, ut ſolâ duce conſcientiâ, ſalute Animarum inſpectâ, quod denunciandum ſit Nobis deferant, præmium à Deo recepturi.

12. Viduarum, ac virginum egeſtate laborantium, (*n*) aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam Parochi pro viribus

gerant: Orphanos pariter, ac pupillos tueantur, præſertim ſi eorum educatio in iis, quæ ad Chriſtianam inſtitutionem pertinent, ab illorum Tutoribus negligatur. Infirmis præcipuè, ac in extremo vitæ diſcrimine conſtitutis, quam diutiſſimè aſſiſtant, (*o*) & inviſibili cum hoſte de beata, ac miſera æternitate poſtremùm certantes, licèt omnibus Eccleſiæ Sacramentis communitos, ne deſerant, ſed eis, quoaduſque vitæ ſpiritus ineſt, nova Fidei, Spei, Charitatis, patientiæ, aliarumque Virtutum identidem arma ſuppeditent, & omnia debitæ pietatis officia aſſiduè conferant, Deo, & Nobis rationem reddituri.

13. Pias Catholicæ Eccleſiæ conſuetudines, quibus Deo præſtantior exhibetur cultus, Unitas conſervatur Eccleſiæ, Fidelis ab Infideli ſecernitur, ac ſæpè ad rerum Divinarum contemplationem Chriſtiana Plebs excitatur, firmiſſimè tueantur. Sacros in primis ritus (*p*) benedicendi quotannis ſtatis temporibus Candelas, & Palmas, eaſque in Eccleſia ſubiectis Populis diſtribuendi cautè retineant; ad illorum tamen domos deferre, aut mittere minimè teneantur. Sub initium pariter Quadrageſimalis Jejunii Cineres benedicant, illiſque devotè capita Fidelium aſpergant. Sanctum quoque ab antiquis Patribus inſtitutum morem aquam benedicendi illibatè cuſtodiant. Undè ex Ritualis Romani præſcripto ſingulis diebus Dominicis Parochi omnes, Miſſam Parochialem, ſeù Conventualem celebraturi, ſolemnibus precationibus Aquæ benedictionem cum Salis præſanctificati infuſione præmittant, (*q*) ut illâ conſperſi Fideles adverſus Diaboli inſidias armentur, atque à phantaſmatum verſutiis defendantur; ſi enim cinis vitulæ (*r*) ſanguine aſperſus coinquinatos in expiationem emundabat, multò magis aqua divinis precibus ſacrata, ac ſale conſperſa, [quo per Eliſeum Prophetam (*ſ*) ejuſdem aquæ, terræque ſterilitas ſanata fuit] Populum ſanctificabit, atque purgabit: Similiter ex aqua, vel in Vigilia Epiphaniæ, vel in Benedictione Fontis Baptiſmalis ſanctificata, & priuſquam illi Sacra Olea miſceantur, ſepoſita, ſuorum Parœcianorum domos benedicant.

14. Ad hæc laudabiles, & religioſas conſuetudines publicè recitandi Roſarium Beatiſſimæ Virginis, Dominicam Coronam, preces pro bona morte, ceteraſque id genus, quas alias alijs in noſtræ Diœceſis Parochialibus Eccleſiis vigere comperimus, conſtantiſſimè teneant, atque promoveant. Necnon (*t*) receptum latè morem invitandi quotidiè Populum ad ejuſdem Deiparæ Salutationem, & Dominicæ Incarnationis memoriam, ſigno Campanæ majoris triplici ictu, tàm ſummo mane, quàm meridie, & occidente Sole, & ſingulis

ſextis

ſextis feriis horâ vigeſimâ primâ eodem ſigno, ſed ictu longiore, ad recolendam expirationem D. N. J. Chriſti, religioſiſſimè obſervent, ut Populus Indulgentias lucretur, quæ in iis Myſteriis conſtituto tempore venerandis conſtitutæ ſunt: Quotidiè indicetur ab omnibus Parochis oratio pro Agonizantibus vigeſimâ tertiâ diei, & pro Defunctis primâ noctis horâ dato cum Maiori Campana ſigno. Pridie, & ipſo die Feſtorum, & Orationis publicæ ſigna dentur cum Campanis, & nocte Jejunio Quadrageſimali conterminâ (*u*) per mediam horam ante mediam noctem Campana inchoandi Jejunii index uſque ad ipſum mediæ noctis punctum jugiter pulſetur, ut ſupra de Jejunio agentes præcepimus. Nimbis, procellisve imminentibus Campanæ ſonent, ut fiant preces, & à Populo, & in Eccleſiis ſaltem à Clero. In Proceſſionibus Campanæ pulſentur, dum exit, & revertitur Clerus, ſeù Societates, item in iis Eccleſiis, per quas tranſitur; omninò caveant ne Sabbato Sancto, juxtà conſuetudinem, particularibus privilegiis ſecluſis, Campanas in turribus ſuarum Eccleſiarum prius pulſari permittant, quàm illæ Cathedralis Eccleſiæ, & in Plebanatibus, Matricis jam inſonuerint, ſub pœnis à Leone X. Pontif. Maxim. indictis. (*x*) Præterea matutina Tenebrarum in Majori Hebdomada, aliaque ejus temporis Officia, cæremonias, & preces ab Eccleſia inſtitutas, quibus redemptionis noſtræ complementum anniverſariâ celebratione recolitur, ſanctiſſimè peragant. Parochi omnes omnibus diebus Feſtis Veſperarum Officium in ſuis quique Eccleſijs ſtatâ horâ decantent, unà cum Sacerdotibus, & Clericis earumdem Eccleſiarum ſervitio adſcriptis; ſi verò Clerus, vel aliqui alii non fuerint, qui illos juvando non ſint, pias alias preces ad promovendam Parochianorum religionem, & pietatem adhibeant.

15. Eccleſiarum, & Altarium cultu, Sacrarumque ſupellectilium nitorem, atque honeſtatem à ſe præcipuè requirendam meminerint. (*y*)

16. Ædes quoque Parochiales, & Colonicas, ſeù alias quomodolibet ad Eccleſiæ Patrimonium ſpectantes, conſervare, ac collabentes reparare pro viribus curent. Bona item, & jura ſuarum Eccleſiarum diligenter, ac ſtrenuè tueantur. (*z*)

17. Non ideò tamen Parochialium proventuum, eorumque præcipuè, quæ ex funerum jure ipſis obvenerunt, rigidi, ac moleſti ſint exactores, ne aliàs peculii potiùs ampliandi cupiditate, quàm ſtudio augendi patrimonia pauperum, Sacerdotalium jurium defenſores habeantur.

18. Recluſis Eccleſiæ foribus, cum Sacræ functiones expectantur, nullas

nullas Laicorum collocutiones in Sacriſtia, ſeù ante ipſam Eccleſiam, vel in Porticibus, aut Cæmeterio, Plateave permittant, multoque minus iiſdem ſeſe immiſceant.

19. Dum autem Divina celebrantur, pauperes per Eccleſiam mendicare, (*aa*) nullumve per eamdem ambulare, vociferari, colloqui, aperto capite feminas, operto mares, pileolis præſertim cujuſcumque coloris, ex lino, lana, goſſipiove contextis, commorari, aut quidquam indecens agere, vel arma (*bb*) vetita introferre nullatenus ſinant.

20. Eleemoſynarum quoſcumque quæſtores, quorum nomen, atque uſus ab antiquis Conciliis improbatus, (*cc*) noviſſimè Tridentini Sanctionibus (*dd*) penitus aboletur, quibuslibet privilegiis non obſtantibus, in ſuis Parochiis nullatenus admittant, niſi licentiam à Nobis, ſeù Vicario Noſtro ſubſcriptam oſtenderint, quà rariſſimè quidem, ac nonniſi prævio maturo examine, eleemoſynas quæſtuare, numquam verò id temporis Reliquias oſtendere, Prædicationis munus obire, Indulgentias publicare, ſive his ſimilia exercere, quibus queant Fideles decipere, permittentur.

21. Diſſidia, & contentiones inter ſuæ Parochiæ ſubditos exortas opportunis (*ee*) cohortationibus, ac monitis, in neutram partem æquo propenſiores, quam citiſſimè ſtudeant componere. Id autem ſtudioſiſſimè caveant, ne ullam Laicis præbentes offenſionem, ipſimet inter ſe rixentur, aut quoquo modo contendant. Ideo ſi quas aliquando ratione officii, aut jurium Parochialium controverſias habuerint, amicabiliter omninò componant, aut certè ad Nos, ſeù Vicarium Noſtrum deferant, quantum fieri poterit, abſque Judicii ſtrepitu dirimendas.

22. Quadrageſimæ inſtitutio antiquiſſima eſt, à temporibus Apoſtolorum ad nos uſque deducta, cujus violatores pleriſque generalibus Conciliis, & Provinciali Toletano octavo acerrimè redarguuntur, Religionique contrarii monſtrantur. Quapropter Parochis omnibus præcipimus, ut hujuſmodi Quadrageſimæ inſtitutionem, atque Conciliorum Sanctiones Plebem ſibi ſubjectam, vel ex Altari, vel inter Cathecheſim Chriſtianam, vel per Concionatores edoceant. Medicos etiam moneant, (*ff*) ut in facultatibus pro diſpenſatione à Jejunio concedendis, conſcientiæ ſuæ conſulant, ne, dùm alios juvare intendunt, ſibi nocere ſtudeant. Ceterum in iis omnibus, quæ pro eſurialibus feriis ſatagere debent, ea obſervent, quæ ſupra de Jejuniis ſancivimus.

23. Inſuper omnibus, & ſingulis curam Animarum gerentibus præcipimus, ut de more, præter Libros, in quibus Baptizatorum,

ubi

Digitized by Google

ubi Fons eſt Baptiſmalis, & mortuorum nomina, ac matrimonia ad formam in Rituali Romano præſcriptam deſcribuntur, alios duos etiam apud ſe retineant, quorum in uno nomina Confirmatorum, in altero verò adnotentur omnes, qui ſunt in Parochia, ſingulorum ſexus, & ætas, ac potiſſimum qui ſunt ad communicandum in Paſchate obligati, & an præcepto hujuſmodi ſatisfecerint omnes! Catalogum verò Animarum, quas ſingulis annis deſcribent, juxtà formulam inferiùs poſitam, ad Cancellarium Noſtrum deferent, ſub pœna ſcutorum ſex, per totam Octavam Pentecoſtes, quo tempore, hoc eſt per totum tempus Paſchale, alios quoque Libros inſpiciendos, & corrigendos tradent per ſe ipſos, niſi legitimè impediantur, Cancellario Archivii Noſtri, unà cum exemplis, juxtà ſtylum, in eodem Archivio ſervandis, (*gg*) & atteſtatione à ſe traditæ Doctrinæ Chriſtianæ, trium virorum fide dignorum, & propria ſubſcriptione munita. Quod ſi non fecerint, ſciant ſe incurſuros in pœnam decem ſcutorum Piis Locis applicandorum; (*hh*) & ne ſupradicti Libelli in grave damnum publicæ utilitatis amittantur, quotieſcumque Eccleſiarum vacatio, tàm per reſignationem, quàm per obitum, aut alia de cauſſa contigerit, Oeconomus, cui Eccleſiæ vacantis cura commiſſa fuerit, teneatur, ſub pœna ſcutorum decem, & arbitrii Noſtri, omnes dictos Libros ibidem repertos in Inventario deſcribere, & quamprimum Cancellario dicti Archivii Noſtri conſignare, per ipſum ſucceſſori reſtituendos, niſi perfecti fuerint; qui verò omninò fuerint completi, in eodem Archivio ad perpetuam rei memoriam, & publicam utilitatem aſſervari mandamus. Formulas autem, tàm extenſam in Libro originali ſtatus Animarum exarandam, quàm compendiariam quotannis in Archivio Noſtro relinquendam, in Additionibus damus. (*ii*)

24. Sordidam, & ſcandaloſam eorum ingluviem, qui, nonniſi mercede conventâ, & pecuniâ, ſeù aliâ quâcumque re acceptâ, neceſſarium muneris onus, & liberale pietatis officium, veluti viliſſimum facti avaritiæ mancipium, exolvunt, penitus improbantes, & putàm undequaque futuram Sacerdotum vitam, teterrimæ labis expertem omninò facere ſatagentes, jubemus, ut atteſtationes, ſeù fides, quotquot à ſubjectis ſibi Populis, vel ab aliquo quocumque intereſſe habente, legitimè peti contigerit, ſivè à Parochialibus baptizatorum, confirmatorum, defunctorum, matrimoniorum, e Sacriſtiæ Libris extrahendas; ſivè ex officio de paupertate litigantium; de vita, & moribus, deque ſacri Tyrocinii frequentatione pro puellis dotandis; de litterarum ſtudio, de morum honeſtate, de habitus, ac Tonſuræ obſervantia,

vantia, de Chriſtianæ Doctrinæ imbibitæ, traditæque teſtimonio, de præſtito Eccleſiæ famulatu, de Ordinum exercitio, de peractis denunciationibus, aliiſque pro Clericis Ordinandis in Edicto Noſtro de die 30. Aprilis 1710. diſtinctè præſtitutis, juſtè petentibus non denegandas, ſed ad juſtitiæ, & charitatis normam maturè conſcribendas, (*kk*) gratis omninò in poſterum, rejectà quâcumque fraude, Parochi reddant, ſub pœna duplicatæ refuſionis accepti favore ſolventis, ſi exactio interceſſerit, necnon (*ll*) duorum aureorum Piis Locis applicandorum, & arbitrii Noſtri, tàm contra gratuiti officii pretium extorquentes, quàm contrà debitam ratione miniſterii operam denegantes.

25. Quoniam uſu compertum eſt à Parochis Eccleſiarum Civitatis, quarum cura extenditur etiam in Suburbia, munera Parochialia difficulter præſtari Parochianis extrà Urbem degentibus, (*mm*) qui ut plurimum nullum Parochum agnoſcunt, nullibi inſtruuntur, & tempore noctis, & neceſſitatis ad alienum Sacerdotem confugere coguntur: cupientes opportunum adhibere remedium, edicimus, ut quamprimum commodè poterit, domus omnes poſitæ in Suburbiis, & Eccleſiæ Civitatis quoad Curam Parochialem ſubiectæ, ab ea eximantur, & vicinioribus Eccleſiis Suburbanis, juxtà deſignationem faciendam, ſupponantur, vel ſaltem erigantur novæ Capellæ extrà Civitatem, quæ ſint de pertinentiis Eccleſiarum Parochialium, intra quarum fines exiſtunt, & in iis ponantur Sacerdotes amovibiles approbati ab Ordinario, qui Sacramenta in nocte adminiſtrent Parochianis habitantibus extra Urbem. Interim ſciant Parochi prædicti intra mœnia Civitatis includendam non eſſe eorum ſolicitudinem, & vigilantiam, ſed extendi oportere ubicumque Grex commiſſus exiſtat, quem paſcere, cuſtodire, tueri, & in viam æternæ ſalutis deducere tenentur, atque illum pro nocturnis, & improviſis indigentiis, quatenus per ſe ipſos miniſtrare non poſſent, certo, & idoneo Sacerdoti commendare. Aliàs ſi negligentes fuerint, Omnipotenti Deo rationem reddent, & non levem arbitrii Noſtri pœnam incurrent.

26. Tanti momenti res eſt, ut repetendum hìc arbitremur, quod jam in Capite de Rebus Eccleſiæ ſtatuimus. In ſingulis Parochialibus Eccleſiis, ubi ad præſens non adeſt, Archivium erigatur, ſeù ſaltem conveniens Sacriſtiæ armariolum, ſera, & clavi munitum, ad hunc dumtaxat uſum ſeligatur, ibique Libri, Scripturæ, Inventaria, & publica Inſtrumenta, continentia redditus, bona, privilegia, onera, conceſſiones, aliaque Jura ad Eccleſiam quomodolibet ſpectantia, dili-

diligentiſſimè cuſtodiantur, & diſtinctè: Similiter authentica Reliquiarum documenta, onerum ſatisfactiones, Indulgentiarum Diplomata, & Viſitationum Decreta ibidem retineantur, cum Parochialibus Codicibus adhuc non completis. Sciant autem, qui Archivii erectionem, ut ſupra, ultra quatuor Menſes à præſentium Conſtitutionum publicatione, ſeù impreſſione computandos diſtulerint, duorum aureorum pœnâ piis uſibus applicandorum ſe omninò eſſe mulctandos.

27. In Miſſis autem, & Divinis Officiis celebrandis, funeribus, & Proceſſionibus obeundis, Sacramentis miniſtrandis, Bonis, & juribus Eccleſiæ tuendis, Congregationibus pro Caſuum Conſcientiæ diſcuſſione habendis, ceteriſque muneribus ſuis præſtandis, ne latum quidem unguem ab iis diſcedant, quæ, vel in ſingulis de iis Titulis, vel ſparſim in hac Synodo decrevimus.

28. Cum aliquem Parochum in iis locis, in quibus unus tantum reſidet, graviter ægrotare contigerit, qui vicinior eſt illum ſtatim inviſat, Sacramenta eidem opportunè miniſtret, ejuſque Parochiæ curam gerat, quouſque per Nos, vel Vicarium Noſtrum reſpectivè, aliter proviſum fuerit: Omnia demum pietatis officia erga ipſum impendat, ac morientis Animam religioſis precibus Deo commendet. Qui ſegniter curam ejus egerit, ultra arbitrarias pro modo culpæ graviſſimas pœnas, ad ſubſidiarium viduatæ poſtmodum Eccleſiæ gubernium nequaquam aſſumetur. Secutâ autem illius morte, ſtatim ille, ad quem ſpectat, accurrat, & Inventaria conficiat, ex præſcripto in Capite de Rebus Eccleſiæ; in primis verò de obitu Parochi certiores reddamur Nos, vel Vicarius Noſter, ut idoneum Oeconomum, qui onera vacantis Eccleſiæ ſuſtineat, quam primum conſtituamus, donec à Nobis, prævio concurſu, ſive examine, ad Concilii Tridentini præſcriptam rationem, ſucceſſor renuncietur.

29. Si demum iterum, atque iterum, [ut fecimus in Decreto Noſtro de die 5. Februarii 1709. in Capite de Vita, & Honeſtate Clericorum] præcipimus Parochis omnibus, ne quis, occaſione Solemnitatum, quæ in eorum Eccleſiis Feſto ritu celebrantur, in Parochiali domo animum, ſive ſuum, ſive aliorum ludendo reficere audeat, ſed ludum omnem omninò abſterreat; facilè noveritis omnes quantæ Nobis curæ ſit, ut teterrimam hanc Eccleſiaſticæ diſciplinæ, exemplariſque Animarum gubernationis peſtem penitus eliminemus, & quam ſeverè animadvertemus in delinquentes.

(a) *Synod. Diœc.* 1656. *tit.* 3. *cap.* 1., *&* 1663. *tit.* 5. *cap.* 1., *&* 1691. *tit.* 6. *cap.* 1., *&* *cap.* 3. §. 4., (b) *Petr. Ep.* 1. *cap.* 5. *ver.* 3.

Digitized by Google

ver. 3., (c) *Ioan. cap.* 13. *num.* 10., (d) *Synod. Diœceſ.* 1681. *tit.* 11. §. 4., (e) *Synod. Prov.* 1517. *Rubr.* 3. *de Conſtit. cap.* 1., *Synod. Diœc.* 1645. *in Edicto in calce Synodi*, (f) *Synod. Diœc.* 1610. *de Reſiden.* §. 3., & 1656. *tit.* 3. *cap.* 1., & 1681. *tit.* 10. §. 5., & 1691. *tit.* 6. *cap.* 3. §. 4., & 1699. *tit.* 5. *cap.* 2., (g) *c. ignorantia, cap. quæ ipſis, ſi juxtà* 38. *diſtinct.*, (h) *Actor. cap.* 20. *ver.* 28., (i) *Synod. Diœc.* 1619. *tit.* 7. *cap.* 2. §. 4. *circa medium*, & *tit.* 1. *cap.* 11. §. 1., (k) *Actor. cap.* 20. *ver.* 26., (l) *Synod.* 1619. *tit.* 7. *cap.* 2. §. 4., & 1691. *tit.* 5. *cap.* 2. §. 6. & 7., (m) *Synod.* 1610. *de Reſident.* §. *ult.*, & 1663. *tit.* 7. *cap.* 2., & 1691. *tit.* 5. *cap.* 2. §. 7., (n) *Concil. Trident. ſeſſ.* 23. *de Reform. cap.* 1., (o) *Synod.* 1619. *tit.* 2. *cap.* 6. §. 5., & 1637. *tit.* 3., & 1645. *tit.* 1. *cap.* 10. §. 4., & 1691. *tit.* 1. *cap.* 9. *num.* 4., (p) *Synod.* 1619. *tit.* 2. *cap.* 9. §. 1., & 1681. *tit.* 10. §. 5., & 1691. *tit.* 2. *cap.* 1. §. 1., (q) *cap. Aquam de Conſecrat. diſtinct.* 3., (r) *Levit. cap.* 1. 3. & 4., (ſ) 4. *Regum cap.* 2. *ver.* 20. & 21., (t) *Synod.* 1681. *tit.* 11. §. 8., & 1691. *tit.* 5. *cap* 2. *n.* 9., (u) *Synod. Diœc.* 1645. *tit.* 3. *cap.* 21. §. 2., (x) *Leo X. de anno* 1518. *ſub pœna* 100. *aureorum*, (y) *Synod. Diœc.* 1589. *tit. de Eccleſ. pag.* 3., & 1610. *de Reſident.* & *Cura Animar. par.* 4., (z) *Synod.* 1610. *ubi ſupra par.* 4., & 1619. *tit.* 7. *cap.* 2. §. 4., & 1663. *tit.* 7. *cap.* 2., & 1691. *tit.* 5. *cap.* 2. §. 6. & 7., (aa) *Synod.* 1619. *tit.* 6. *cap.* 1. §. 2. & 3., & 1691. *tit.* 4. *cap.* 1. §. 2. 3. & 4., (bb) *Synod.* 1681. *tit.* 14. §. 2., (cc) *Concil. Later. in cap. cum ex eo de Pœnit.* & *Remiſſ.*, (dd) *Trident. ſeſſ.* 5. *de Reform. cap.* 2., & *ſeſſ.* 21. *de Reform. cap.* 9., (ee) *cap. Studendum*, & *cap. Placuit* 90. *diſtinct.*, (ff) *Synod. Diœc.* 1691. *tit.* 2. *cap.* 9. *num.* 4., (gg) *Synod. Diœc.* 1663. *tit.* 2. *cap.* 3., & 1669. *tit.* 18. *cap.* 4., & 1674. *tit.* 4. *cap.* 2., (hh) *Synod.* 1619. *tit.* 1. *cap.* 2. §. 6., (ii) *Synod. Diœc.* 1674. *ubi ſupra*, (kk) *Synod.* 1645. *tit.* 1. *cap.* 6. §. 8., (ll) *Synod.* 1645. *ubi ſupra cap.* 12., (mm) *Synod.* 1663. *tit.* 6. *cap.* 5.

CAPUT IX.

DE RESIDENTIA.

1. QUamvis anxium undequaque regimen Animarum nullis certis curarum, ac ſolicitudinum finibus limitetur, & licèt reſidendi in propria Eccleſia neceſſitas, ex Sacrorum Canonum, ac Synodalium Conſtitutionum præſcripto, nonnullos etiam alios Eccleſiarum Miniſtros, ultra Cuſtodes Dominici Gregis, obſtringat; atta-

attamen officio Parochi reſidentiæ leges ideo ſubnectimus, quià præcipuum vigilantiæ Paſtoralis officium reſidentia eſt, & ad eam ſingulari quodam jure, ac Divino præcepto tenentur, qui paſcendis ovibus præſunt.

2. Bis, terque, & ultra Spiritus Sanctus per os Prophetarum, & Apoſtolorum locutus, perſonalem juſſit Parochorum reſidentiam. Cognoſce vultum pecoris tui, & gregem tuum diligenter conſidera; (*a*) iterum: Pecora tibi ſunt? attende illis. (*b*) Item: Attendite univerſo Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit Sanguine ſuo. (*c*) Et ipſe Dominus Jeſus Chriſtus, primus Animarum Paſtor, & bonus, ad exemplum dixit: Cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ. (*d*) Hinc Sacroſancta Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitimè congregata, & ab eodem edocta pronunciavit: Præcepto Divino (*e*) mandatum eſſe omnibus, quibus cura Animarum commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere.

3. Nos itaque, qui maximè in optatis habemus in tota noſtra Diœceſi promovere in re tam gravi curam, & diligentiam Paſtorum Animarum, quibus nulla unquam oblivio proprii muneris ſubrepat, duo à Tridentino edita Decreta ſuper perſonalem reſidentiam, unum ſub Paulo III. ſeſſ. 6. de Reformat. Cap. 2. alterum ſub Pio IV. ſeſſ. 23. de Reformat. Cap. 1., necnon Circulares Literas, juſſu Sanctiſſimi D. N. D. Clementis PP. XI. ſingulis Ordinariis de Reſidentiæ legibus inviolabiliter ſervandis noviſſimè conſcriptas, & in Additionibus impreſſas, jubemus ab omnibus, & ſingulis, quibus reſidentiæ perſonalis in propria Eccleſia onus incumbit, ſemel ad minus in anno legendas; inde enim, & reſidentiæ, & Parochialia munera, quo jure, & quanto ſint pondere; quos obligent, & quandiù, & quibus pœnis in tranſgreſſores animadvertendum ſit, facilè intelligent. Renovantes inſuper ea omnia, quæ in Provincialibus, & Diœceſanis Synodis à Prædeceſſoribus Noſtris hac de re ſtatuta ſunt, decernimus, ſtatuimus, atque mandamus, ut Præſentati ad aliquod Beneficium intra bimeſtre Inſtitutionem curent, ſub pœna nullitatis Præſentationis, ſalvo Jure Patronorum. (*f*)

4. Quicumque Animarum curam exercent, (*g*) Divinorum Præceptorum memores, [quod monet etiam proprium nomen; Parochus enim, ſive Incola, ſive Presbyter ſonet, (*h*) præſentiam ſemper importat] ab Eccleſia ſua non diſcedant, ibique Gregi ſuo invigilent, atque aſſiſtant eo ſtudio, ac pietate, (*i*) ut nihil, quod ad ſalutem ovium ſibi creditarum pertinet, ullo unquam tempore ab

illis deſiderari poſſit, aliàs ſeverè punientur. Hinc omninò mandamus, ut nullus Eccleſiam ſuam relinquat, ut alteri (*k*) inſerviat, ſed paſcat unuſquiſque, (*l*) qui in ipſis eſt, Gregem Dei.

5. Ne quis ex ruralibus Parochis intrà Urbis mœnia, vel alio in loco à Parochiali ſua per duo milliaria diſtante, Ludimagiſtri, vel aliud quodcumque munus aſſumat, atque exerceat, neque ultra continuos duos dies non feſtivos, ſi Eccleſiæ, quibus præſunt, intrà unam diętam diſtent ab Urbe, (*m*) & ultrà quatuor, ſi longioris itineris intervallo ſeparentur, audeat pernoctando diſcedere à ſua Eccleſia, niſi maxima, ac repentina impellat neceſſitas, ab ipſis Plebanis quoad Curatos inferiores, & quoad Plebanos à viciniori Plebano approbanda, & Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Archiepiſcopo pro tempore exiſtenti, ſive Vicario Generali in ſcriptis infrà Menſem ſignificanda; & tunc pro ſuo munere oves ſibi concreditas alteri idoneo, exemplarique Sacerdoti commendet, præcipuè ſi ægrotaverit quiſpiam de Parochia; (*n*) quod ſi non ex legitima cauſa, & abſque noſtra licentia fecerit, inobedientiæ ſuæ ſeveriores pœnas ſe laturum pro certo habeat. Qui verò intra duo milliaria propè Civitatem Parochialibus præſunt Eccleſiis, & miniſteria in Urbe retinent totum prorſus hominem occupantia, quibus, nocturnis dumtaxat horis exceptis, & vix publicis Eccleſiæ functionibus, forſan ab extrinſecas actiones contractius abſolutis, à continuis, ut debent, propriæ ſponſæ divelluntur obſequiis, noverint ſe nequaquam reſidentiæ legibus facere ſatis, quæ non in ſola Miſſæ Feſtis diebus celebratione, & in otioſa noctis commoratione apud Eccleſiam, ſed in jugi famulatu, & in aſſidua cultura commiſſæ Plebis impletur.

6. Ut Parochi, quiqui ſint, in domo habitent Eccleſiæ (*o*) diſtrictè præcipimus, etiamſi intra Parochiam, paternam, aut aliam domum obtineant; Quod ſi Eccleſia domum non habeat, unam ex propinquioribus conducant intra limites Parochiæ, ſi fructus ſuos facere velint: Rectorem te poſuerunt, (*p*) eſto in illis.

7. Abhorreant inſuper præ ceteris, ne Parochiales domos Laicis ullo modo locent; dixit (*q*) enim Dominus: Porta hæc clauſa erit, non aperietur, & vir non tranſibit per eam.

8. Cum idem omninò ſit inutiliter adeſſe, ac abeſſe; Parochus, qui reſidet quidem, ſed Paſtorale munus, ſed vigilem curam, ſed diligens Sacramentorum, & Divini Verbi miniſterium, per ſemetipſum intra vires non præſtat, & curâ omni in Vicarium, ſeu Capellanum rejectâ, quaſi ſuum non ſit, niſi ſudorem alienum, Chriſtique Sanguinem exugere, deſes ipſe, & curis implexus ab officio alienis degit,

non

Digitized by Google

non ſatisfacit præcepto reſidentiæ, nec in foro exteriori, nec in interiori, & utrobique punibilis eſt pro qualitate culpæ. Quamobrem noſtrum erit illum, veluti non reſidentem, acri animadverſione, & Juris remediis ad proprii muneris partes adimplendas compellere.

9. Quoniam verò ſæpè contingit, ut infirmitatis cauſsâ propriæ Parochi aliquandiù relinquere cogantur Eccleſiàs (r) ad faciliorem curationem, volumus, & mandamus, ut omnes illi, quibus ex cauſsâ ægrotationis à reſidentia diſcedendi, & ad effectum ſe curandi facultas per Nos in poſterum conceſſa fuerit, quamprimum certum teſtimonium à Medico pro veritate exaratum ſuper ipſorum adversà valetudine, ſi id commodè præſtare poſſint, Vicario Noſtro Generali mittere debeant. Quod ſi morbus diuturnior fieret, eamdem Medici fidem renovare non graventur, & poſtquam convaluerint, Parochi ſtatim Eccleſiæ ſuæ ſeſe reſtituant. Contumaces verò, & non parentes, Canonicis, & à Sacro Concilio Tridentino ſtatutis pœnis puniantur.

10. Et quandocumque, cauſsâ prius per Nos cognitâ, (ſ), & probatâ, abeſſe contigerit, Vicarium idoneum à Nobis approbatum, cum debita mercedis aſſignatione relinquant.

11. Utque omnis ceſſet non reſidentiæ prætextus, confirmamus, & innovamus, quæ pluries in Synodalibus Prædeceſſorum Noſtrorum (t) Conſtitutionibus decreta fuerunt, volentes, ut omnes, & ſinguli, quibus Animarum cura incumbit, tàm Seculares, quàm Regulares, quocumque illi nomine nuncupentur, ſi ex aliqua cauſsa contendant ſe licitè abeſſe poſſe ultra bimeſtre à Concilio Tridentino permiſſum, infra terminum trium Menſium coram Nobis ſeipſos præſentent, ad eam adducendam, & in Actis juſtificandam. Quod ſi comparere renuerint, vel reſidere contempſerint, ſuſpenſionem à Divinis extra propriam dumtaxat Eccleſiam, (u) ipſo facto incurrent, & ad reſidendum remediis Juris compellentur, nullis ſuffragantibus licentiis tàm Parochis, quàm aliis de Jure, vel conſuetudine ad reſidendum obligatis, aliter quàm per Decretum conceſſis, quas omnes revocamus.

(a) *Prover.* 27. *ver.* 23., (b) *Eccleſ.* 7. *ver.* 14., (c) *Actor.* 20. *ver.* 28., (d) *Joan.* 10. *ver.* 14., (e) *Seſſ.* 23. *de Reformat. cap.* 1., (f) *Synod. Diæc.* 1619. *tit.* 7. *cap.* 2. §. 2., *&* 1691. *tit.* 5. *cap.* 4. §. 2., (g) *Trident. ſeſſ.* 23. *de Reform. cap.* 1., (h) *Budæus in poſt adnot. ad l. ultim. de muner.*, *Calvin. in Lexico verbo Parochus*, (i) *Synod. Provinc.* 1573. *Rubr.* 26. *cap.* 1., *&* *Diæceſ.* 1691. *tit.* 5. *cap.* 2. §. 2., (k) *d. Synod. Diæceſ.* 1691. *tit.* 5. *cap.* 2.,

(l) *Petr.*

(l) *Petr.* 5. 2., (m) *Synod. Diœc.* 1569. *hoc tit.*, 1610. *hic* §. 3., 1619. *tit.* 7. *cap.* 2. §. 3., *&* 1663. *tit.* 7. *cap.* 1., *&* 1669. *tit.* 7. *cap.* 1., *&* 1674. *tit.* 4. *cap.* 1., *&* 1681. *tit.* 20. §. 1., *&* 1691. *tit.* 5. *cap.* 2. §. 1., (n) *Synod. Diœceſ.* 1663. *tit.* 7. *cap.* 1. *de Reſiden.*, (o) *Synod. Diœceſ.* 1645. *tit.* 3. *cap.* 23. §. 5., (p) *Eccleſ.* 31. *verſ.* 1., (q) *Ezechiel.* 44. *verſ.* 2., (r) *Synod. Diœceſ.* 1681. *tit.* 20. §. 2., (ſ) *Concil. Trident. ſeſſ.* 23. *cap.* 1., (t) *Synod. Diœceſ.* 1610. *tit. de Reſid.*, (u) *Synod.* 1645. *tit.* 3. *cap.* 43. §. 1., *&* 1663. *tit.* 3. *cap.* 3.

C A P U T X.

DE CONGREGATIONIBUS HABENDIS A PAROCHIS, ALIISQUE SACERDOTIBUS.

1. NUmquam ſatis inculcata perſonalis reſidentia Parochorum, non eorumdem otio, ſed labori, præcipuoque, ac planè neceſſariò muneri datur, ut commiſſæ ſibi Plebi ſcientiam ſalutis tradant, & Sacramenta miniſtrent. Ne igitur cæcus cæco (*a*) ducatum præſtet, & ambo in foveam cadant, Sacerdotes univerſos, & præſertim regendis Animabus quomodocumque præpoſitos, in Divinarum literarum ſenſibus aperiendis, in Sacrorum Rituum Ceremoniis obſervandis, & in Moralis Theologiæ Queſtionibus diſſolvendis oportet eſſe peritos. Quoniam verò nimium ſeveræ auctoritatis ratio videri poteſt (*b*) tollere quod non poſuimus, & metere quod non ſeminavimus; propterea, ut ad Animarum gubernium, & informari tyrones gratulemur, & idoneos poſt adeptum officium deſipere non doleamus, Prædeceſſorum Noſtrorum Sanctionibus (*c*) inhærentes, Sacras Academias, jampridem inſtitutas, & temporum vitio, utinam non deſidiâ Sacerdotum, aut ignorantiâ, vel contemptu collapſas, denuo reſtitui mandamus, legibuſque, ac pœnis communimus.

2. In ſingulis itaque Plebaniis literarium Conventum ſemel ſaltem in Menſe congregari præcipimus, cui, omni tergiverſatione remotâ, intereſſe omninò volumus Parochos omnes, & Sacerdotes Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtros non legitimè impeditos, eidemque Plebi ſubjectos, ſub pœna duorum aureorum in ſingulas vices; reliquos verò Sacerdotes, ſicut & Clericos enixè hortamur, ut interſint, & ardentiſſimè concupimus.

3. Locum, & diem in ſingulis Menſibus habendi Congregationem prædictam, eorumdem Sacerdotum commodo, arbitrioque remittimus, qui prævio examine, an occaſione cujuſpiam Feſtivitatis, con-

convenire eos ſimul oporteat, iteratis congregandorum itineribus parcere, & in una, eademque die Eccleſiarum obſequiis, ac ipſis literariis exercitationibus ſacere ſatis licitè poterunt, dummodò inter unam, & alteram Congregationem tantum temporis intercedat, & tantum in conſtituta ſuppetat, quod ad propoſitas Theologicas Quæſtiones maturè præparandas, & reſpectivè diſcutiendas reputetur idoneum. Æſtivos verò, hybernoſque Conventus anticipare, vel differre, viarum, & temporum incommoditatibus præcaventes, permittimus, dum tamen duodenarius Congregationum numerus intra annum inviolabiliter ſervetur.

4. Uniuſcujuſque ſeſſionis materiam præfigimus unum ex Tridentini Concilii Capitibus, in litera, & in ſenſu explicandum, aliquam Breviarii, vel Ritualis Romani, ſeù Miſſalis Rubricam, theoricè, & practicè exponendam; duos Conſcientiæ Caſus, theologicè decidendos, & enodandos: alterum ex duodecim pro ſingulis Menſibus quotannis auctoritate Noſtrâ proponendis depromptum, alterum à Plebano, ſeù quovis alio Congregationis Præſide in ſingulas Congregationes excitandum; & aliquam demum ex Synodalibus hiſce Conſtitutionibus, non cortice tenus, ſed medullitus quoad obſervantiam etiam, & quoad remedia introſpiciendam.

5. Per duas ſaltem horas in hac Sacra paleſtra exerceantur; dicturi tamen ſententias ſuas, non ultrò enatas, & temerè amplexas proferant, ſed Doctorum, aut Sacrorum Canonum auctoritate communiant, clamoreſque, & altercationes, ſervatâ modeſtiâ, & charitate, devitent.

6. Caſuum deciſiones, in quas plurimorum ſuffragia conſenſerint, Congregationis Secretarius in particularem Codicem, communibus Congregationum ſumptibus comparandum, referat, & amplexæ opinionis fundamenta, rejectæque confutationes accuratè conſcribat, & Librum ipſum tempore Paſchali, ſub pœna quatuor aureorum, ad Deputatum Generalem, qui erit Dom. Canonicus Pœnitentiarius pro tempore exiſtens Noſtræ Metropolitanæ, tranſmittat.

7. Probandis, vel corrigendis Congregationum reſolutionibus Examinatores Synodales, per Nos, vel per eumdem Deputatum Generalem ſingulis vicibus præfiniendos, conſtituimus; eoſque, quantum in Domino poſſumus, vehementer hortamur, ut injunctum ſibi munus patienter, ac diligenter exerceant: propoſitaſque Quæſtiones enodent, & perperam ſolutas emendent, ac propria ſubſcriptione confirment, acceptumque à Deputato Generali Codicem, in Congregatione Generali, quam cum omnibus Theologis Reviſoribus, ante ela-

elapſum tempus Paſchale, die, & horâ à Nobis deſignandâ quotannis habebimus, exhibeant, referantque de ſtatu, tàm quoad actus, quàm quoad excuſationes Congregationis, cujus Codicem ad revidendum quiſque recepit, & ſi quid corrigendum cenſuerint, remedia proponant.

8. Ruralium Eccleſiarum ad invicem diſtantia, Sacerdotumque, & Clericorum inibi degentium raritas, & diſgregatio, quotidianam, quæ eorum eruditioni plurimum conferret, Sacræ Academiæ frequentiam, ad unicam dumtaxat in ſingulis Menſibus ſeſſionem coarctare coëgerunt. In Oppidis verò, ubi Collegiatæ reperiuntur Eccleſiæ, & ubicumque frequens eſt Sacerdotum, & Clericorum numerus, bis in Menſe cogi literarios hujuſmodi Congreſſus jubemus, ſervatis ceteroquin omnibus, quæ ſuperiùs de menſtruis Congregationibus præfinivimus.

9. Quæ profectò, ut dilucidiùs pateant, & obſerventur exactiùs, particulari Inſtructione, in Synodi Appendice, ſeù Additionibus referendâ, & ſingulis Plebanis, ſeù Præpoſitis Matricium Eccleſiarum jam tranſmiſsâ, & in vim Synodalis Conſtitutionis omninò attendendâ, complectimur.

10. Ne verò ruralis Cleri, cui hactenus proſpeximus, profectibus, & inſtructioni conſulentes, contemnere videamur urbanum, pro quo ad Noſtri Paſtoralis oneris levamen, in Sanctimonialium regimine, & promovendorum examine, & in conſiliorum delectu, veluti curarum omnium Noſtrarum participe, frequentius evocando, ſolicitiores eſſe debemus, vehementer hortamur omnes, & ſingulos Civitatis Noſtræ Sacerdotes, & Clericos, præſertim verò Parochialibus regendis Eccleſiis admotos, & Monialium, aliorumque Fidelium Confeſſionibus excipiendis deputatos; ut ad aliquam ex pluribus Academiis, in quibus Theologiæ Moralis Quæſtiones, & Conſcientiæ Caſus pertractantur, ac diſſolvuntur, frequenter accedant, & rerum hujuſmodi peritiam ad Pœnitentiæ Sacramentum fructuosè miniſtrandum, vel expertes comparent, vel docti perficiant.

11. Nemo autem Secularis Sacerdos, quantumvis in Theologica facultate lauream Doctoralem ubicumque adeptus, Theologicas haſce Academias, ſeù Scholas, abſque permiſſione Noſtra, vel Vicarii Noſtri Generalis, ſub arbitrariis pœnis ſeverè omninò repetendis, inſtituat: neque enim cuicumque licere volumus periculoſas Conſcientiæ materias, veluti è cathedra, pertractare, ac docere, niſi prævio examine, vel niſi alias arbitrio Noſtro probetur idoneus, & habendæ Academiæ facultatem expreſſam obtineat.

(a) *Matth.*

(a) *Matth.* 15. *verſ.* 14., (b) *Luc.* 19. *ver.* 21. (c) *Synod.* 1619. *tit.* 8. *cap.* 4., *&* 1629. *hoc tit. pag.* 6., *&* 1637. *tit.* 4., *&* 1656. *tit.* 10. *cap.* 1. *&* 2., *&* 1691. *tit.* 6. *cap.* 3. *n.* 2.

CAPUT XI.

DE DIVINIS OFFICIIS.

1. SAcrificium laudis qui in Presbyterali officio, Clericalique miniſterio conſtituti ſunt, pro Cœleſtium gratiarum actione, totius Eccleſiæ, (*a*) atque Chriſtiani Populi proſperitate, Deo offerre tenentur, illudque omni mentis attentione, & devoto cordis affectu perſolvere, ne indè aſſumant in ſe peccatum, undè pro aliis potuerunt habere remedium. Quapropter qui Eccleſiaſtico jure, ſive ratione Sacrorum Ordinum, (*b*) ſeù Beneficiorum, quibus proviſi ſunt, ad Divini Officii recitationem tenentur, juxtà Breviarii Romani Rubricas, ac Regulas à B. Pio V., & ab Urbano VIII. præſcriptas, Kalendariumque ex mandato Noſtro quotannis edendum, nocturnas, ac diurnas horas, ſtatutis ab Eccleſia temporibus, quotidiè recitent; aliàs qui, legitimo ceſſante impedimento, Divinum Officium recitare omiſerit, vel ſecundum præfatas Rubricas, & Kalendarium non dixerit, ſi in Sacris Ordinibus abſque Beneficio conſtitutus ſit, à Nobis, ſeù Vicario Noſtro pro prima, & ſecunda vice acriter moneatur, & creſcente contumaciâ puniatur arbitrio: ſi vero Beneficium poſſideat, (*c*) fructus pro rata temporis, & omiſſionis Officii ſuos non faciat, ſed in pauperes diſtribuere, vel in Eccleſiæ fabricam erogare teneatur.

2. Kalendarium, (*d*) ex laudabili conſuetudine pro Noſtra Metropolitana quolibet anno typis imprimendum, ſeriem Officiorum in dies præſcribat, quam, ſub arbitrariis pœnis, aliquid addendo, vel detrahendo, nemini liceat variare. Tabulas autem horarias, à Dom. quond. Vincentio Viviano, celeberrimo Matheſeos profeſſore, & clariſſimo Patriæ Noſtræ lumine confectas, & in Enchiridio Dom. olim Hippolyti Tonelli eruditiſſimi Sacerdotis inſertas, denotantes tempus mediæ noctis, Auroræ, Solis ortus, & meridiei, quam maximè neceſſarias pro Jejuniorum obſervantia, Divini Officii recitatione, & Miſſæ celebratione continuè perſolvendis, in Additionibus apponimus.

3. In Choro vana colloquia non habeantur, non legantur literæ, nec aliæ quælibet Scripturæ, aut Libri, nec de loco ad locum vagetur. Qua de re à Capitulis, Canonicis, & Clero Collegiatarum

Eccleſiarum hujus Noſtræ Diœceſis Conſtitutiones ſuas in præmiſſis, ommibuſque aliis, quam religioſiſſimè obſervari enixè præcipimus. Sacerdotes è Choro egredientes ad Miſſam celebrandam, & in Sacriſtia commorantes, niſi à Sacriſta vocentur, pœnam punctaturæ ſubeant, onerata deſuper conſcientiâ Choriſtæ.

4. Ad pietatem autem, & devotionem excitandam hortamur, ut qui horis Canonicis, Officiis, aliiſque precibus in Choris recitandis tenentur, ſaluberrimas Sanctiſſimi Præſulis Caroli Borromei admonitiones præ oculis habeant, & ſæpiſſimè pervolvant, quas in Additionibus reperient.

5. In Divinis celebrandis Officiis cujuſcumque generis Muſicas, (e) laſcivum quid, vel impurum referentes, & quæ in longum protractæ ſtantem in Altari Sacerdotem ſacrafacientem ab expedita Miſſæproſecutione, poſt Epiſtolam, ante Præfationem, ac Dominicam Orationem, & poſt Communionem remorantur, prohibemus, Muſicæque Præfectos, vulgo *Maeſtri di Cappella*, contra Noſtram hanc Sanctionem facientes, quinque in ſingulas vices aureorum pœnâ, denuncianti pro una medietate, pro altera Piis Locis applicandâ, mulctamus.

6. Tollatur denique abuſus ille, utpote injuſtus, quo in defunctorum Officiis, Aſſociationibus, Exequiis, pares in eleemoſyna faciunt abſentes iis, qui interfuerunt, cum damno, vel defuncti, vel illorum, qui Officium, Aſſociationem, aut Exequias ſuis impenſis curarunt.

(a) *S. Cæſar. Arelat. homil.* 3., (b) *c. Dolentes de Celebrat. Miſſar., c. quia per ambitioſam de Reſcript. in 6., Synod. Diœc.* 1645. *tit.* 1. *cap.* 14., *&* 1691. *tit.* 2. *cap.* 2. §. 3., (c) *Pio V. Conſtit.* 135. *in quarta Append. num. xiij.*, (d) *Synod. Diæc.* 1691. *tit.* 2. *cap.* 2. §. 3., (e) *Synod. Diæc.* 1619. *tit.* 4. *cap.* 1.

CAPUT XII.

DE SACRIS PROCESSIONIBUS.

1. Divinorum Officiorum pars non mediocris eſt ſolemnis Litaniarum ſupplicatio, atque Proceſſionum uſus, ab Eccleſia Catholica, Divino Spiritu afflata, exempla, tùm veteris, tùm novi Teſtamenti ſecuta, Fidelibus ſemper commendatus, uſurpatuſque. Ut ergo hæ publicæ, laudatiſſimæque Proceſſiones, quæ magna in ſe, ac Divina Myſteria, & ſalutares Chriſtianæ pietatis fructus complectuntur, ritè celebrentur, volumus, ut omnes quotquot illas

illas peragere debent, quæ in Rituali Romano de Proceſſionibus, tàm in genere, quàm in ſpecie præſcripta ſunt, attentè legant, eaque inviolabiliter obſervent. (*a*) Ita enim fore ſperamus, ut quæ benè à Prædeceſſoribus Noſtris, ac ſapienter, de gravitate, modeſtia, ac reverentia; de ſeparatione Laicorum à Clericis; feminarum à viris; de habitu decenti; de modo, & ordine ſervando, deque abuſibus in eis vitandis decreta ſunt, etiamſi à Nobis non repetantur, obſerventur omninò; cum certum ſit apud Sacrorum Canonum Profeſſores, quod Rituale Romanum habet vim legis, & quod ejus Rubricæ obligant, aliæ ſub præcepto, aliæ ſub conſilio.

2. Parochi, ac reliqui quicumque Sacerdotes ſupplices procedentes, (*b*) approbatis ſolùm Litaniarum formulis, & precationibus utantur. Qua in re numquam errabunt, ſi ab aſſignatis precibus in eodem Rituali minimè declinaverint.

3. In ſolemnioribus Proceſſionibus Corporis Chriſti, & Sancti Joannis Baptiſtæ, Confratres Societatum non canant novos rhythmos, aut preces, præter hymnos Breviarii Romani, aut pſalmos Davidicos, vel Cantica ex Sacra Scriptura deprompta.

4. Proceſſionibus, quæ nocturno tempore fieri ſolent, feminas intereſſe penitus vetamus, earum enim occaſione (*c*) diminui magis, (niſi potiùs omninò tollatur,) quam augeri pietatem experientia docet.

5. Diurnis etiam Proceſſionibus, puellæ, & mulieres nullatenus admittantur, exceptis in Proceſſione S. Joannis conſuetis Piorum Locorum Puellis, & Confraternitatibus Ruralibus, quando ad Templa Florentinæ Urbis, & aliorum Locorum inviſenda venerint. (*d*)

6. Proceſſiones omnes, etiam Regularium, ultra vigeſimam quartam horam omninò non protrahantur.

7. Vetamus quoque, ne abſque Noſtra, vel Vicarii Generalis licentia, ullæ novæ Proceſſiones, ſive publicæ, ſivæ privatæ inſtituantur. Regulares intra Clauſtri ambitum, (*e*) aut circa Eccleſiarum ſuarum dumtaxat muros Proceſſiones ſuas ducant, niſi privilegio gaudeant Pontificio, aut conſuetudine legitimè præſcriptâ nitantur. Neque Parochi eas ducant per fines alterius Parochiæ, Loci Parocho irrequiſito. Laici, niſi Sacerdotem, Superpelliceo, Stolâ, & Clericali pileo ſaltem decoratum, ſecum habuerint, abſque facultate legitima proceſſionaliter non incedant, exceptis ſolemnibus, (*f*) & publicis Proceſſionibus ab Ordinario indictis, ad quas etiam Cleri Seculares, vel Regulares conveniunt. Si ad aliquam Civitatis, vel Diœceſis Noſtræ Eccleſiam Metropolitanæ Capitulum acceſſerit, il-

bus Eccleſiæ Clerici, vel Religioſi omnes ad Templi valvas obviantes illud excipiant. (*g*) Contravenientes, ſi Seculares Clerici fuerint, vigintiquinque aureorum pœnas dabunt, ſi Regulares, per Menſem eorum Eccleſia Interdicto ſubiacebit. (*h*)

8. Si Clerus alicuius Eccleſiæ proceſſionaliter ob Indulgentias, vel alia ex cauſsa ad Eccleſiam venerit, ex Sacrorum Romanæ Eccleſiæ Rituum præſcripto, accendantur in majori Altari Candelæ, atque pulſentur Campanæ.

9. Priores, & Rectores Civitatis, qui Miſſis, Veſperis, Proceſſionibus, vel aliis functionibus Sacris in Metropolitana Eccleſia intereſſe aliquibus certis diebus per annum tenentur, quando ſuam vicem alteri committunt, idoneis ſemper ad omnes Eccleſiaſticas functiones ritè obeundas, decentibuſque, tàm Clericalibus, quàm Sacris veſtibus indutis, Sacerdotibus tantum, & nullo modo Clericis inferioribus, licèt ad Sacros Ordines Subdiaconatus, vel Diaconatus promotis, hoc munus tradant; Et potiſſimum prohibemus, ne deinceps Clerici Sacerdotibus inferiores, ut ſupra, publicè, & ſolemniter in quacumque Proceſſione Sacras geſtent Sanctorum Reliquias; quod ſi id facere attentaverint, tàm ipſi Clerici, quàm ij, qui eos ad geſtandum miſerint, vel admiſerint, quicumque illi ſint, ſciant ſe à Nobis ſeverè fore plectendos. Volumus etiam, & præcipimus, ut dicti Priores, & Rectores, vel Sacerdotes, qui ab eis fuerint miſſi, proceſſionaliter cum aliis ſemper, & ſuo loco ab Eccleſia, à qua Proceſſio incipit, diſcedant, & ad eamdem eodem modo ſemper redeant; quod maximè omninò ſervent eâ modeſtiâ, & gravitate, quâ decet; cum Sacris veſtibus induti ſint ij, qui ad geſtandas Reliquias ſunt deſtinati, dictis Sacris veſtibus nullo modò alio in loco, quam in una ex Sacriſtiis dictæ Eccleſiæ induantur, vel exuantur. Proceſſioni verò diei Sanctiſſimi Corporis Chriſti perſonaliter, & per ſe ipſos omnes ſupradicti Priores, & Rectores accedant, niſi infirmitate, aut aliâ neceſſariâ ſimili, & manifeſtâ cauſsâ impediti fuerint. Priores tamen, & Rectores illarum Eccleſiarum, quæ ad Regulares pervenerunt, & dictæ etiam Proceſſioni intereſſe tenentur, poſſint mittere alium, ſed Sacerdotem, qui eos repræſentet. Choriſtæ autem ejuſdem Metropolitanæ diſtrictè præcipimus, ut ea, quæ (non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium etiam immemorabili) ſervari inviolabiliter decernimus in hac Conſtitutione, diligentiſſimè curet, quantum ad ipſum ſpectat, ut executioni mandentur, non admittendo ſcilicet Clericos non Sacerdotes, & contrafacientes in aliquo ex prædictis pro qualibet vice punctando,

Digitized by Google

do, conſuetæque pœnæ ſubiiciendo, & ſi fuerit negligens, vel indulgens admittendo frivolas excuſationes, ipſemet pœnâ unius ducati aurei, Locis Piis, & delatori æquis portionibus applicandi, vel aliâ arbitrariâ à Nobis, vel à Vicario Noſtro omninò punietur. Hanc autem Conſtitutionem ligare volumus ab hac ipſa publicationis die, non obſtante quod aliter de ceteris ſupra declaratum ſit.

10. Vexillum, quod vulgo dicitur *Stendardo*, quando in Proceſſionibus illud Plebis comparere debet erectum, vel quando ad Plebem eundum eſt, (*i*) numquam ab aliis ejuſdem Plebanatus Eccleſijs, vel Laicorum Confraternitatibus erigatur, exceptis iis, quibus ſpeciali privilegio in hujuſmodi actibus eſt permiſſum, ſub pœna pecuniaria arbitrio Noſtro declaranda. Feriâ Quintâ in Cœna Domini, & Feriâ Sextâ in Paraſceve, (*k*) ab Eccleſiis Proceſſiones non egrediantur, juxtà Sacræ Rituum Congregationis Decreta, à quibus omninò & Secularis, & Regularis Clerus afficitur.

11. Proceſſio in die Solemnitatis (*l*) Corporis Chriſti à ſolis Matricibus Eccleſiis fiat horâ competenti, & in præcedenti Dominico die, palam ex Altari, per Plebanum, aut alium Eccleſiæ Matricis Rectorem prænunciatâ; & ad eam Parochi omnes per ſe, vel ſi legitimè fuerint impediti, per alium Sacerdotem idoneum accedant, totique Sacræ functioni interſint, & inſerviant Eccleſiaſtico talari habitu, nudo capite, & ſumma cum reverentia; & Laicorum Societates cum Signis, & Saccis ſuis talaribus piè, ac devotè, ſub arbitrariis pœnis, convenire de more, & intereſſe teneantur. Plebanos tamen, & alios Matricium Eccleſiarum Rectores monemus, ut ante meridiem omninò Solemnitatem abſolvi curent, ſub pœna arbitraria. Nec ſeſe Plebani de horæ tarditate excuſent, ob neceſſitatem expectandi abſentes, ſed horâ intimatâ omninò diſcedant, & abſentes pœnis ſtatutis ſubjaceant. In Parochiis autem Matrici Eccleſiæ ſubiectis, ſolemnis hujuſmodi Proceſſio, vel infra Octavam, vel in die Octavæ fieri poſſit; ſi quis autem eam ultrà prædictam Octavam transferre præſumpſerit, ſalvis tamen Privilegiis Apoſtolicis, in pœnam decem aureorum, qui convertantur in uſus pios, ſe noverit incurſurum, Noſtrique etiam arbitrii. (*m*)

12. Accepimus etiam nonnullis in Locis, & præſertim in quibuſdam Regularium Eccleſiis, tàm immediatè ante Benedictionem Populo adoranti cum Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento impertiendam, quàm in actu ejuſdem Benedictionis, alias orationes, vel preces, aut verſiculos publicè decantari, citrà Ritus, & Cęremonias in Rituali Romano, & Cęremoniali Epiſcoporum providè præſcriptas;

&c.

& reſpectivè conſtitutas, quibus cavetur, ut particulares preces, ſi quæ ſuperaddi velint, ante Hymnum *Pange lingua, &c.* ſeù ejus verſiculum *Tantum ergo, &c.* præmittantur, & ut oratio *Deus, qui nobis ſub Sacramento, &c.* nullis prorſus intermediis precibus, immediatè præcedat ipſam Benedictionem, quam, ſignante Sacerdote, & conticente Clero, pronus etiam cum ſilentio Populus adorat. Rejectis igitur quibuslibet contrariis conſuetudinibus, quantumcumque ex pietate proficiſcentibus, ſervari diſtrictè mandamus, quæ in Rituali, & Ceremoniali prædictis communiter præſcribuntur, omnemque etiam minimam eorum alterationem prohibemus, ne ulli ritus recenter excogitati ſine Apoſtolicæ Sedis approbatione ſenſim invaleſcant.

13. Ut Supplicationum, & Proceſſionum, quæ in die Feſto S.Marci, (*n*) & in diebus Rogationum ex antiquo Eccleſiæ inſtituto peragi ſolent, in ſingulis extrà Civitatem Parochialibus Eccleſiis uſus ſervetur, licere in poſterum volumus unicuique Parocho illis diebus per circuitum ſuæ Parochiæ, aut ſtatis prius, aut ſtatuendis auctoritate Noſtrâ de novo locis, Proceſſiones iſtas, & Supplicationes celebrare, dummodò nullæ Benedictiones, & preces in eis adhibeantur niſi ex Rituali Romano; & tunc in propria Parochia decentiùs occupatos ab Eccleſiæ Matricis obſequiis penitus liberamus. Qui verò Priores, vel Rectores hujuſmodi Proceſſiones in propria rurali Parochia habere noluerint, ad Eccleſiam proprii Plebani, juxtà Locorum conſuetudines hactenus obſervatas, ſub pœna pecuniaria arbitrio Noſtro imponenda accedant, ut Plebanum adiuvent, & pietatis ſpecimen Populis exhibeant, & ut Matrices Eccleſiæ majori cum ſolemnitate, ac decore, præcipuam Univerſalis Eccleſiæ inſtitutionem adimpleant.

14. Divinorum Officiorum, Supplicationum, & Proceſſionum tempore (*o*) ludi, choreæ, vani conventus, vulgo *raddotti, o crocchi*, omninò prohibentur; in contrarium facientes mulctis plectentur.

15. Plebani, Priores, & Rectores Eccleſiarum Noſtræ Diæceſis, quando conveniunt ad Feſtivitates, Supplicationes, Officia, defunctorum Aſſociationes, & alias publicas functiones, accedant cum Cottis, Biretis, & Capuciis, ſub pœna duorum aureorum pro qualibet vice. (*p*) Valde enim indecens eſt, quod Sacerdos ſit ſicut Populus, non ſolùm in moribus, ſed etiam in ipſo externo habitu; nec mirum ſi contemnantur illi, qui deponunt ſigna honoris, habitum ſcilicet Clericalem, & quos Officia Divina peragere non pudet pileis ſuperinductis ex palea contextis. (a)

(a) *Synod. Diœc.* 1619. *tit.* 4. *cap.* 2. §. 4., (b) *dicta Synod* 1619. *tit.* 4. *cap.* 2. §. 4., (c) *Synod.* 1619. *tit.* 4. *cap.* 2. §. 1., *&* 1691. *tit.* 2. *cap.* 4. §. 1., (d) *Synod. Diœc.* 1645. *tit.* 1. *cap.* 14. §. 10., *&* 1691. *tit.* 2. *cap.* 4. §. 2., (e) *dicta Synod.* 1619. *tit.* 4. *cap.* 2. §. 5., (f) *ubi proximè ſupra*, (g) *dicta Synod.* 1619. *tit.* 4. *cap.* 2. §. 3., *&* 1691. *tit.* 2. *cap.* 4. §. 3., (h) *Piſcar. lib.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 4. *n.* 10., *Corſ. in Prax. tract.* 1. *par.* 1. *cap.* 18. §. 6., (i) *Synod.* 1645. *tit.* 1. *cap.* 14. §. 12., *&* 1691. *tit.* 2. *cap.* 4. §. 5., (k) *Synod. Diœc.* 1691. *tit.* 2. *cap.* 4. §. 5., (l) *Synod.* 1619. *tit.* 4. *cap.* 2. §. 6., *&* 1645. *tit.* 1. *cap.* 14. §. 8., *&* 1691. *tit.* 2. *cap.* 4. §. 2., [m] *Synod.* 1691. *tit.* 2. *cap.* 4. *n.* 2., [n] *Synod. Diœceſ.* 1637. *tit.* 11. §. 2., [o] *Synod.* 1691. *tit.* 2. *cap.* 2. §. 4., [p] *Synod. Diœc.* 1629. *fol.* 6.

CAPUT XIII.

DE PRÆCEDENTIIS.

1. PAx ibi, ubi tranquillitas ordinis. [*a*] Hoc in Elementorum, hoc in Cœlorum machina admiramur, ubi rerum ordinationes, & ordines, licèt diſcordes, unum tamen, atque idem opus admirabili quadam concordiâ efficiunt, neque pulchritudinem ejus, & ſapientiam inordinatione ullâ perturbant; Hoc in Cœleſti Angelorum, & Cœlitum Hjerarchia credimus, ubi Ordines ſunt alii aliis altiores, inferioreſque dignitate, gradu, officio, & miniſterio; unanimes tamen uno ore honorificant Deum, & Patrem Domini Noſtri Jeſu. Hoc & in Diœceſi Noſtra circumamicta varietate ardenter expetimus, ut ea quiſque, quæ ſibi conveniant, & debeantur, agnoſcat, alieno non ſe immiſceat miniſterio, cedat ſpontè, cui cedendum erit, & pertinaciter indebitum ſibi honorem non uſurpet.

2. Quapropter, ne circa Proceſſiones, quæ humiliationis coram Domino ſpecimen eſſe debent, ullæ de Præcedentia controverſiæ, quæ vix à ſuperbiæ ſpiritu, certè quidem à ſcandalo, rariſſimè ſeparari ſolent, intempeſtivæ exoriantur, eas omnes ad Nos opportuno tempore deferri jubemus, juxtà Sacri Concilii Tridentini ſancita, (*b*) & Summorum Pontificum Bullas definiendas, aut maturè componendas. Quod ſi per temporis anguſtias id fieri nequeat, utpotè imminente, aut jam inchoatâ Proceſſionis faciendæ horâ, ad evitanda puſillorum ſcandala, & ad ſalvanda Partium jura, prudentior, facta

facta coram teſtibus proteſtatione, & juxtà Evangelicum monitum, & Apoſtolicam ſuaſionem, ex charitate fraternitatis honore præveniens, recumbere in noviſſimo loco non erubeſcat, ad ſuum poſtea majori cum gloria, & cum adverſantium rubore aſcenſurus, ne interim ſervitium Dei perturbetur; Declarantibus Nobis hujuſmodi proteſtationem, & actum laudabilem nullum ei præjudicium inferre, ſed potiùs Judicis arbitrium in dubio favorabile promovere.

3. Et quamvis pudeat contra phariſaicam vanitatem aliud remedium, quam conſilium Evangelicum Sacerdotibus proponere, ut ſcilicet qui major eſt in eis, fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator: attamen Eccleſiaſticæ Hjerarchiæ, ex Prædeceſſorum Noſtrorum judicio, ordinem quemdam præfinientes, diſtinguendis Clericorum gradibus, & litibus, ſi fortè, Lucifero ſuperſeminante, veluti zizania inter triticum, pullularent, faciliùs dirimendis opportunum, ſtatuimus, ac decernimus, [ubi inveterata conſuetudo non eſt, ut Plebanus ipſe, tùm in aliis, tùm in propria ſui Plebanatus Eccleſia functiones peragat,] tàm Plebanos, quàm Priores, & Rectores, & alios quoſcumque Parochos Noſtræ Diœceſis, poſſe tàm occaſione Feſtorum, quàm Exequiarum, ceterarumque functionum in propriis, & ſibi commiſſis Eccleſiis, per ſe ipſos munus adimplere, vel ſi quando nolint, vel ſint impediti, aut urbanitatis gratiâ, quod maximè commendamus, velint invitatos Sacerdotes, [ut frequenter fieri ſolet,] in hujuſmodi functionibus honorare, juridicus ordo ſervandus erit, itaùt primo loco jus canendi, benedicendi, &c Plebano proprio, non alieno competat, ſi ipſe adſit, aut velit; ejuſque appellatione comprehendimus etiam Viceplebanos illos, aut Vicepræpoſitos, & reſpectivè Vicepriores; qui Eccleſiarum annexarum Capitulis, Hoſpitalibus, Monaſteriis; Præbendis, Commendiſve cujuſcumque Ordinis Militaris præcipuam curam gerunt, quamvis ad nutum Principalis non reſidentis amovibiles: Plebano autem abſente, aut nolente, Priori primum, ſeù Vicepriori, ut ſuprà, ſervatâ inter plures Eccleſiæ Parochiali titulo antiquiùs decoratæ prærogativâ, ac Locorum conſuetudine: Poſtmodum verò antiquiori Curato, inſpectâ prioritate poſſeſſionis, & quâcumque officii perpetui, vel temporalis diſtinctione rejectâ, & ſic de ceteris; niſi in Plebanatu adſit aliqua Eccleſia, quæ gaudeat aliquo indulto, aut ſpeciali privilegio, aut antiquâ conſuetudine in præcedendo aliis in ſimilibus functionibus.

4. Quoniam verò contentio inter Parochos, quis eorum videatur eſſe maior, exoriri plerumque ſolet, inter Capellanos Plebanorum

rum (Plebanis ipſis abſentibus ,) & alios Plebaniæ Priores , vel Rectores, declaramus Capellanos ſubſtitutos , licet abuſivè, ad differentiam aliorum , de quibus ſupra , Viceplebanos , Vicepriores , Vicerectores aliquando nuncupatos, tàm à Plebanis, quàm à Prioribus , vel à ceteris Rectoribus mitti ſolitos, etiam in Eccleſia propria illius , cuius vicem gerunt , nullum habere jus præcedendi aliis perſonaliter accedentibus, ſed tantum inter ipſoſmet ſubſtitutos habitâ ratione Principalis, & in caſibus, in quibus ſub aliqua pœna intereſſentia præcipitur iis, quos repræſentant , poſſe repræſentatorum perſonam gerere , non ad ius honorificum præcedentiæ conſequendæ in concurſu cujuſvis Parochi de Plebanatu , etiam inferioris gradus, ſed ad effectum pœnæ ſolummodò vitandæ.

5. Excipiuntur tamen ab hac regula ii caſus , in quibus, ultra ſuperpelliceum , & biretum, ipſi Capellani ſubſtituti, ut ſupra, comparere tenentur cum ſtola , in quibus ipſi locum ſui repræſentati , & præcedentiam habebunt ; veluti in Aſſociationibus defunctorum, quando, vel extra Parochiam illius , quem repræſentant, exportantur, vel ad eamdem afferuntur ; juxtà Provincialis Synodi Sanctiones. (c)

6. Spectat autem ad hanc præcedentiarum materiam Choralium etiam indumentorum diverſitas: Ad tollendas igitur , quoad ejus fieri poteſt , difficultates omnes , quæ oriri poſſent circa habitus, quibus reſpectivè in publicis Eccleſiaſticis, Sacriſque functionibus, unuſquiſque Clericus indui debet , inhærendo iis, quæ à Prædeceſſoribus Noſtris , præcipuè verò à Petro Niccolino , (d) providè ſancita fuerunt, hæc Nos ſtatuimus.

7. Habitu Canonicali ſupra rochetum , vel ſuperpelliceum , & bireto uti debent Canonici , juxtà formam in Indultis à S. Sede Apoſtolica ſibi traditam .

8. Rocheto , & deſuper mantelletta veſtiendi ſunt Prothonotarii, & alii, ſi qui ſunt , quibus Summi Pontificis conceſſione hujuſmodi delatio permittitur in iis locis , & actibus , in quibus de jure ſibi conceditur .

9. Monemus tamen illos, (e) qui titulo Prothonotariatus decorantur, ut in iis publicis actibus , in quibus invitantur, vel comparere tenentur tamquam Plebani, Priores , & Rectores, aut ſimplices Presbyteri, vel Clerici , eaſque perſonas in eodem ordine cum aliis non Prothonotariis repræſentare, ad tollendas omnes rixarum cauſſas, & juxtà laudabilem , & inveteratam conſuetudinem, non compareant cum rocheto , & mantelletta , ſed cum illo Eccleſiaſtico habitu , qui perſonæ repræſentandæ reſpondet . Quæ omnia maximè cunctis

in memoriam revocamus, ex auctoritate à Sacra Congregatione alteri ex Prædeceſſoribus Noſtris peculiaribus literis pleniſſimè conceſſa, ſub die 17. Martii 1629.

10. Ceteri omnes, quavis immemorabili conſuetudine nequaquam obſtante, rochetum nullo pacto, tempore, aut loco deferre in tota Noſtra Diœceſi, niſi plecti ſeveriſſimè velint, unquam audeant.

11. Plebani bireto, ſuperpelliceo, & almutio, vulgo *Batulo*, violaceo, juxtà conſuetam, & decentem formam, & menſuram, in Sacris, & publicis functionibus ſemper utantur, (*f*) ſub pœna, transgrediendo, duorum ducatorum in ſingulas vices. Priores, tàm rurales, quàm Civitatis, bireto, ſuperpelliceo, & almutio pariter nigro, cum amento in extrema ora coloris rubri, vulgo *Moſtra*, ad majorem decentiam, & ordinis diſtinctionem, cujuſmodi eſt illud Plebanorum; Rectores verò rurales, retentâ in Civitate antiquâ conſuetudine, bireto, ſuperpelliceo, & almutio pariter nigro, cum amento in extrema ora nigri coloris, ſublatâ quacumque antiquiori differentiâ inter Priores, & Rectores geſtandi almutium ſuper utriſque humeris, vel ſuper altero tantum, & factâ poteſtate eligendi ad uniuſcuiuſque commodum, & arbitrium.

12. Qui verò, ultra biretum, & ſuperpelliceum, habent pelliceum guſum, vel aliquem alium habitum, quo à ceteris diſtinguntur, conſuetudinem abſque minimâ inobſervantiæ læſione intemeratam ſervent, ſub pœnis inter eos ſtatutis.

13. Ceteri omnes Clerici, nullâ aliâ ſpeciali Eccleſiaſtici habitus notâ inſigniti, in Sacris, & publicis Eccleſiaſticis functionibus, ad hoc, ut pœnis duorum aureorum pro qualibet vice non ſubiiciantur, & diſtributiones lucrentur, geſtent ſemper biretum, & ſuperpelliceum.

14. Rurales autem Eccleſiaſtici, quiqui ſint, maximè caveant, ne tunc pileis contextis ex paleâ utantur, niſi duo ducata pro pœnâ ſolvere velint.

15. Vetamus inſuper cunctis Clericis Nobis ſubiectis, ſive in minoribus, ſive in maioribus Ordinibus conſtitutis, ſub pœna pariter duorum ducatorum in ſingulas vices, æquis portionibus relatori, executori, & Piis Locis diſtribuendorum, ne per Civitatem, vel extra eam, ſuperpelliceo, vel ſimili Eccleſiaſtico habitu, in Sacris functionibus adhibendo, induti extra Eccleſiam eant, niſi in Proceſſionibus, vel ad aliud officium Eccleſiaſticum obeundum, non autem ad actus profanos exercendos; omni contrariâ etiam immemorabili conſuetudine non obſtante.

16. Ut Plebaniæ à Prioralibus Eccleſiis diſtinguantur, iubemus, ne Ve-

Digitized by Google

ne Vexilla, vulgo *Stendardi*, earumdem Prioriarum magnâ ſericâ Cruce quadripartiantur, quod ſolis Matricibus Eccleſiis conceditur, ſalvâ tamen antiquâ conſuetudine, privilegiiſque Apoſtolicis.

17. Veſtes autem, ſeù indumenta Clericorum, aliarumque perſonarum Eccleſiaſticarum ſint ſemper munda, decentia, & numquam lacera; qui non paruerint, caveant, ne, ultra pœnas indictas, incidant in illud, quod Dominus per Sophoniam comminatus eſt: *Viſitabo* (*g*) *ſuper omnes, qui induti ſunt veſte peregrinâ*. Qui verò fuerint obedientes, benedictionem accipiant, quam accepit Jacob à Patriarcha Iſaaco, quando, ſentiens veſtimentorum illius fragrantiam, benedixit, & ait: *Ecce odor filii mei*, (*h*) *ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*.

(a) *ex D. Auguſt. D. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 29. *artic.* 1. (b) *Concil. Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 13. *de Reformat.*, *Bulla Gregor. XIII. incipit: Expoſcit Paſtoralis anni* 1583. *la* 84., (c) *Synod. Provin.* 1573. *Rubr.* 47. *c.* 2. *de Funerib.*, (d) *Synod. Diœc.* 1645. *tit.* 4. *cap.* 24. §. 25. *& ſeqq.*, (e) *Synod.* 1643. §. 28. *ubi ſupra*, (f) *Synod. Diœc.* 1629. *de Habit. & Honeſt. Cleric.*, *&* 1637. *tit.* 15. *de Habit. & Præc. Cleric.* §. 3., (g) *Soph.* 1. *v.* 8., (h) *Geneſ.* 27. *v.* 27.

CAPUT XIV.

DE FUNERIBUS.

1. QUoniam funerum ager, ad pietatem in vita defunctos, & ad vitæ hujus calamitoſæ admonitionem, vel ab Apoſtolis ipſis, vel à primis ſanctæ Fidei noſtræ Patribus natus, in ſpinoſis controverſiis, à ſordida habendi ſiti, ſive à vana præcedendi ambitione excitatis, producendis unquam non ſterileſcit; propterea Proceſſionibus, & Præcedentiis, Conſtitutionum Noſtrarum ope, à litium, & ſcandalorum periculis perpetuò vindicatis, ad leges funerum, quæ, neque minoribus, neque paucioribus ſpinis oblita ſunt, ſanciendas pertranſimus.

2. Prædeceſſorum Noſtrorum (*a*) Synodalibus Conſtitutionibus inhærentes, & B. Pii V. (*b*) Sanctiones filiali prorſus obſequio venerantes, præcipimus, ut intra duos Menſes in omnibus Noſtræ Diœceſis Eccleſiis, Oratoriis, Capellis, Confraternitatibus, & Sacris aliis quibuſcumque Locis, Capſæ omnes, & Depoſita, ſeù alia cadaverum conditoria ſuper terram exiſtentia penitus amoveantur, æneis, marmoreis, aut lapideis, ſi tamen Eccleſiis decus, ac ornamentum potius afferant, quam impedimentum, & deformationem,

 dum-

dumtaxat exceptis; Oſſa verò, aut cineres, ſi fortè in iis, etiam, ut ſupra, non demoliendis, adhuc exiſterent, infra pavimentum tumulentur; quod ad omnia in futurum cadavera protendimus; ab Altaribus autem, eorumque gradibus, ſepulchra omninò amoveri mandamus, ac tranſgreſſores arbitrariis pœnis obnoxios facimus.

3. Sepulturæ, tàm in Eccleſiis, Oratoriis, Capellis, & Confraternitatibus, quàm in Cæmeteriis extructæ, (*c*) duplici lapide, quoad fieri poteſt, claudantur; Cæmeteria, præſertim extra Civitatem, & quæ fabrefactis cellulis non diſtinguuntur, ſed effoſſione factâ tumulandis cadaveribus deſtinantur, muro, vel alio quovis repagulo, ab hominum, ac beſtiarum iniuriis defendi, & magnæ Crucis erectione conſecrari jubemus.

4. Ne verò, extrinſecè munda, & dealbata, intrinſecus ſepulchra polluantur, eiici, & reſpectivè non humari (*d*) in prædictis eorum cadavera jubemus, qui nominatim excommunicati, denunciati, vel publici percuſſores Clericorum abſque abſolutione deceſſerint, vel manifeſti uſurarii, & alii, qui ab Eccleſiaſtica ſepultura repelluntur, ne ſepelientes pœnas ſubeant, quas Sacri Canones optimo jure non parentibus imponunt; In caſibus autem dubiis Nos conſulant, & reſponſum expectent, antequam quidquam decernant. Præterea in Eccleſiis, ubi non ſunt effoſſa ſepulchra ad excipienda cadavera, vel ubi quiſpiam ſepulturâ carens ſeorſim ſit ſepeliendus, ſub pœna duorum aureorum, Eccleſiæ pavimentum, per ſe, vel alios, Parochi omnes, aliique Eccleſiarum cuſtodes ne effodiant, neve excavari permittant ſine Noſtra facultate in ſcriptis obtinenda, ſed in Cæmeteriis, vel in aliis ſepulturis illa recondant.

5. Quia libera eſt ſepulturæ electio, inibi ſepeliendus unuſquiſque eſt, ubi ſepulchrum elegerit; ſin minus in ſepulchro Maiorum, & hoc deficiente, in propria Parochia, niſi peculiari Sedis Apoſtolicæ privilegio aliter, favore alicuius Eccleſiæ, vel Confraternitatis indulgeatur; advenæ tamen, & peregrini, ceſſante electione, tàm in Civitate, quàm extra, in ea Parochia humentur, ubi decedunt. (*e*) Caveant tamen omninò Parochi, necnon Religioſi omnes, ne quemquam directè, vel indirectè inducant ad promittendum, ſeù jurandum in ſua Eccleſia ſeſe electurum ſepulchrum, ſub pœnis à Sacris Canonibus conſtitutis.

6. Electio autem ſepulturæ, niſi facta fuerit in Teſtamento, vel per Inſtrumentum probari poſſit, tunc duobus ſaltem teſtibus, de loco, & tempore conteſtibus, probetur, præviâ judiciali eorumdem atteſtationis recognitione in Curia Noſtra. (*f*) Inhabiles autem

ad

Digitized by Google

ad ſic teſtificandum decernimus Sacerdotes, vel Religioſos, vel Confratres illius Eccleſiæ, ſeù Oratorii, in quo electio ſepulturæ facta contenditur, alioſque omnes, qui, quacumque ratione, proprium, vel commune intereſſe teſtificando fovere poſſunt.

7. Sepulturæ nullatenus ab Eccleſiarum Rectoribus, & adminiſtratoribus, neve ab ullo privato, qui eorumdem jure potiatur, (g) ſed nec locus ad earum excavationem, ſub pœnis ab Jure conſtitutis, & arbitrio Noſtro graviter infligendis, vendantur; nec ſine Noſtra in ſcriptis facultate, novæ intra Eccleſiam fodiantur, nec quidquam pro uſu ſepulturæ, etiam eleemoſynæ obtentu cohoneſtatum, exigatur.

8. Nullum poſthac (h) ſepulturæ corpus tradatur, quod per vigintiquatuor ſaltem horas poſt obitum ſupra terram non permanſerit; quod ſi fortè improviſi, ac repentini morbi violentiâ oppreſſus aliquis fuerit, quantumvis mortuus iudicetur, minimè ſepeliatur, niſi poſt elapſum dictum vigintiquatuor horarum ſpatium, computandum diligenter à puncto, quo primo è vivis certò deceſſiſſe à peritis, ac prudentibus viris unuſquiſque putabitur; ante quæ tempora reſpectivè nequaquam liceat prædicta cadavera ſecare, vel aperire, quacumque de cauſsa, vel fine, abſque Noſtra, vel Vicarii Noſtri Generalis licentia, ex duorum Medicorum ſententia obtinenda.

9. Super defunctorum cadaveribus, tàm immediatè poſt obitum, quàm in ipſo funere, cum ictu campanarum preces omnes, & cæremoniæ ſerventur, (i) quæ à Rituali Romano præſcribuntur. Clericique omnes, ac Sacerdotes funus quomodocumque celebrantes, proprio habitu, prout in Sacris functionibus uti debent, (k) induantur, quod, & in Anniverſariis, & Officiis mortuorum enixè obſervari mandamus.

10. Pauperum, ac miſerabilium ſepeliendorum curam (l) Parochis diſtrictè committimus, officiique ſui immemores ad vigilantiam revocamus, ſeveriſque arbitrariis pœnis coërcendos indicimus eos, quorum culpâ, & avaritiâ, differri diutius egenorum ſepulturam fortè contigerit.

11. Si fortè cadavera defunctorum in Eccleſia de mane, dum Miſſæ pro ſempiterna eorum requie impetrandâ celebrantur, publicæ commiſerationi, & piis intrantium votis exponantur, funebris pompæ (m) moderationem ſervari ſtatuimus, ne corpora eorum, quorum Animæ ſuffragiis aliorum indigent, veluti quædam Reliquiæ Sanctorum, quorum præſidia poſcimus, elevatione, & luminum copiâ honorentur. Quare, exceptis Principum, & Magnatum cadaveri-

veribus, nullo modo in poſterum adeò excelsè defunctorum corpora collocentur in Templis, ut prætereuntium capita ſuperent, nec tot ardentibus facibus circumſtipentur, ut Altaria, præcipua Eccleſiarum membra, in quibus Chriſti Domini Corpus immolatur, ex lucidiori obiecto tumulo tenebreſcant, & cum putrido humanarum exuviarum ſarcophago collata, de iniqua diſtinctione quodammodo erubeſcant.

12. Porrò facies cadaverum (*n*) Laicorum, & eorum, qui nondum ad Sacerdotale faſtigium conſcenderunt, ſit ad Altare converſa, non ad Populum, quod Presbyterorum cadaveribus ſingulariter tribuitur.

13. Et quoniam, occaſione defunctorum, vel inter Parochos ipſos, vel inter Parochos, & hæredes defuncti, controverſiæ, quæ ſcandalum præbent, quotidiè ſuboriuntur, ideò ad eas tollendas infraſcripta decernimus, ſervarique præcipimus à Parochis, & Eccleſiaſticis perſonis quibuſcumque, tàm Secularibus, quàm Regularibus, non obſtante quâcumque conſuetudine, niſi ea ſit immemorabilis, vel niſi aliter ſpeciali Sedis Apoſtolicæ Indulto caveatur (*o*)

14. Parochus defuncti (*p*) in ejuſdem Aſſociatione intereſſe ſemper, vel vocari debet, nec ulli prorſus, quocumque obtentu, licere volumus abſque illius conſenſu cadaver è domo ad ſepulchrum extra Parochialem Eccleſiam electum efferre. Monendus is igitur eſt, & expectandus, qui ſi monitus accedat, ipſe (*q*) in eadem domo, ubi cadaver jacet, illud aquâ luſtrali aſpergat, & cetera conſueta officia peragat; Funus deindè ad Eccleſiam uſque ſepulturæ comitetur, ad cujus fores omni Parochiali juriſdictione privetur, eaque ad alterum pertranſeat ſepulturæ Parochum. (*r*) Iter funeris præfiniet Parochus defuncti, niſi tamen Metropolitanæ Capitulum interveniat, ad quod viæ deſignatio ſemper pertinet, & inter eundum ſemper præcedat Parochus ſepulturæ, preterquam ſi defuncti Parochus ſit Metropolitanę Eccleſię Curatus; Quod ſi Parochus defuncti cadaver comitari renuerit, tunc, adhibitis duobus teſtibus, ſine proprio Parocho diſcedere, & funus ad locum deſtinatum proſequi, corpuſque tradere ſepulturę licebit. (*ſ*)

15. Quicumque ad funus (*t*) fuerint invitati, videlicet cujuſvis Eccleſię Clerus, tàm Secularis, quàm Regularis, & Confraternitates Laicorum, teneantur convenire ad Eccleſiam Parochialem defuncti in Civitate, & inde cum Cruce, & cum Parocho proceſſionaliter pergere ad efferendum cadaver, & illud aſſociandum ad Eccleſiam, in qua tumulatio fieri debet, quacumque conſuetudine non obſtante.

Si ta-

Si tamen Capitulum Metropolitanæ interveniat, ejuſdem Canonicis competat electio Eccleſiæ, ubi ſit facienda congregatio, vulgo *la Maſſa*, & indè incipiat Proceſſio; inobedientes plectentur pœnis arbitrariis, & etiam cenſuris compellentur.

16. Parochus, vel quicumque Eccleſiam ſepulturæ repreſentat, (*u*) curet, ne poſt primam noctis horam protrahatur Proceſſio.

17. Quando ad funus aſsociandum (*x*) plurium Eccleſiarum Sacerdotes, & Clerici, etiam Regulares concurrunt, non confusè, ſed diſtinctè, ſinguli ſingularum Eccleſiarum Clerici, ſeù Collegia procedant, ſervato inter eos ordine præcedentiæ, qui in die Corporis Chriſti attendi conſuevit.

18. Ruralibus autem in Locis, (*y*) qui extrà propriam Parochiam ſunt ſepeliendi, poſtquam conſuetæ preces per proprium Parochum in domo defuncti fuerint expletæ ſuper cadaver, recto tramite è domo ad locum ſepulturæ deferantur, Parocho tamen Loci ejuſdem ſepulturæ, juxtà ſuperius definita, conſulto; & Parochus defuncti canonicam portionem, (*z*) tàm per viam, quàm in Eccleſia, juxtà conſuetudinem, conſequi debet, & alia item emolumenta, ſive in pecunia, ſive in cera, dummodò ipſe per ſe, vel per alium Sacerdotem ad Eccleſiam ſepulturæ cadaver aſſociet; hoc declarato, quod ſubſtitutus à Parocho abſente, non ſibi, & Principali duplicem eleemoſynam acquirat, ſed unicam tantum, quæ deleganti competeret, ſi perſonaliter adeſſet.

19. Parochi omnes, (*aa*) tàm Seculares, quàm Regulares, vel qui eos repræſentant, in aſſociandis ad Eccleſiam defunctorum cadaveribus, procedant induti ſemper ſuperpelliceo, & ſtolâ, alioquin non habeantur tamquam Parochi, nec præeminentiam Parochis debitam conſequi poſſint, nec alius Parochus illis tunc loci prælationem cedere teneatur, quæ alioquin, ſi cum ſuperpelliceo, & ſtolâ intereſſent, eiſdem de jure congrueret. Stolam non induant, qui Parochiam non obtinent, vel Parochi vicem non explent, ſalvis tamen privilegiis, vel immemorabili conſuetudine.

20. Inter defuncti Parochiam, (*bb*) & Eccleſiam ſepulturæ cerea funeris emolumenta dividantur, quartâ eorum, vel aliâ pinguiori parte, juxtà diverſam Eccleſiarum conſuetudinem, cui non derogamus, Parocho traditâ; (*cc*) habitâ tamen ratione etiam cereorum in Altaribus collucentium, ſi cadaver, privatim è domo ad Eccleſiam delatum, matutinis dumtaxat Exequiis fuerit honoratum.

21. Si quando contingat corpus defuncti (*dd*) tumulandum eſſe in locis, ubi perſonæ Religioſæ degunt, quæ non habent uſum

eri-

erigendi Crucem, aut publicè procedendi, tunc erigere Crucem ad eum Parochum ſpectet, in cujus Parochia Eccleſia ſepulturæ ſiſtitur. Faces autem inter præfatas Parochialem, & Regularem, ſeù deſtinatæ tumulationis Eccleſias, ubi nulla ſunt pacta, (*e e*) nullæque ſunt conventiones, ita dividi mandamus, ut primo extrahatur quarta pro Parçcia defuncti, reliquæ deinde æqualiter inter unam, & alteram Eccleſiam dividantur, etiamſi Parochialis Crucis erectio, delato privatim cadavere ad Eccleſiam, non intervenerit; ſi verò unus, & idem ſit Parochus defuncti, & Crucis erectæ, utramque portionem, quartam ſcilicet totius, & reſpectivè medietatem reliquatus, conſequi debet.

22. In Eccleſiis autem Monialium (*ff*) non Parochialibus, ſi præviâ Noſtrâ facultate quiſpiam ſit tumulandus, vel in Confraternitatibus, (*gg*) vel Oratoriis, Officium juxtà cadaver, ex Romani Ritualis, ſi res, & occaſio ferat, præſcripto, peragat Parochus, intrà cujus fines Monaſterium, Oratorium, vel Confraternitas ſiſtitur; non verò Monialium Confeſſarius, vel Confraternitatis Corrector, vel Capellanus, aut Oratorii Cuſtos, ſeù Rector. Funeris autem emolumenta inter Parochum prædictum, & Monaſterium, Confraternitatem, & Oratorium, ut ſupra ſtatutum eſt de Eccleſiis jus erigendi Crucem non habentibus, demptâ canonicâ portione pro defuncti Parocho debitâ, æqualiter dividantur.

23. Ex omnibus Intortitiis, (*hh*) quæ collucent circa funus, nempè circa Crucem, circa feretrum, & hinc inde ad latera Clericorum, Regularium, Confratrum, ac aliorum quorumcumque funus comitantium, duo ſupra medietatem ipſo facto Cruci acquirantur: defunctique hæredibus, ſive hæreditatem ipſam quovis titulo repræſentantibus, prohibemus, ne poſſint, quocumque prætextu, quidquam Cruci ex ſuperius aſſignata portione detrahere, & in actu Aſſociationis plura circa Sanctiſſimum redemptionis noſtræ Signum, quam circa feretrum ardere præcipimus.

24. Si corpus defuncti, (*ii*) ex ipſius diſpoſitione, vel hæredum voluntate, ſepeliri ſtatim debeat ac ad Eccleſiam pervenerit, mandamus, ut in ipſa Eccleſia, dum Exequiæ celebrantur, ſit circa corpus decens cereorum, vel candelarum numerus accenſus: & ſi nullæ aliæ fuerint aſſignatæ, inſerviant ipſa Intortitia, quæ ferebantur circa cadaver, hoc eſt, ea medietas, quæ non erat Cruci aſſignata, eaque remaneant, acquirantur, & ipſo facto pro acquiſitis præſumantur Eccleſiæ, in qua cadaver ſepelitur.

25. Intortitia, quibus aliquæ Societates, vel Artificum Univerſitates,

Digitized by Google

ſitates, aut Collegia, ſecluſâ fraude, & Parocho prius conſulto, funera Confratrum, vel Collegarum honorant, Parocho, aut Eccleſiæ ſepulturæ minimè quærantur, nec numerum faciant contra defuncti hæredes pro dimetienda, augendaque quarta funerali. Decet tamen honorarias hujuſmodi faces non extingui, niſi prius conſuetis precibus circa feretrum penitus abſolutis.

26. Quando, vel ex lege defunctorum, demiſsè de ſua mortalitate ſentientium, vel ex avaritia hæredum, funeris celebritas omittitur, vel competenter (*kk*) infra dignitatem, & facultates præmortui agitur, tunc Parochi eum ſepeliant propriis, ſi opus fuerit, ſumptibus, vel reſpectivè eâ moderatione ſervatâ, quam hæredes ſponte, aut ex ultima morientis voluntate præfinierint. In his tamen caſibus neutiquam præjudicatum volumus Juribus Parochialibus, quò minùs contra bona defuncti pro quarta funerali, ſeù eius ſupplemento, & pro aliis emolumentis de Jure, vel conſuetudine debitis agi valeat.

27. Parocho enim, ultra canonicam portionem quartæ funeralis, ea inſuper eleemoſyna debetur, quæ inveteratâ, laudabilique conſuetudine exigi conſuevit, & quidem duplo major, quàm aliis Sacerdotibus.

28. Nolumus tamen exigi eam poſſe à non intervenientibus: & Parochorum ſubſtitutos unam tantùm mittentis perſonam, non duas, ad eleemoſynam geminandam, repræſentari poſſe decernimus. Quod ad Parochos etiam Regulares, (*ll*) pro Religioſis abſentibus flagitantes, extendimus.

29. Ad dirimenda verò diſſidia inter Parochos, ſeù Rectores Eccleſiarum ſepulturæ, & inter defuncti hæredes, taxam ſingulis Collegiatis, vel ad inſtar Collegiatarum, & Regularibus peculiarem, necnon alteram reliquis Parochialibus communem, in Cancellaria Noſtra aſſervandam, meditamur; hortantes interim, ut unuſquiſque proprias conſuetudines Nobis afferat, probandas per Nos, vel Partibus auditis reformandas.

30. Pro ruſticorum funeribus extra Civitatem, omninò præcimus, ut Parochi à minoribus duodecim annis julios tres, à majoribus decem julios indiſtinctè pro congrua eleemoſyna conſequantur; ità tamen, ut de proprio idem Parochus cereos duabus unciis non leviores accendat, duos quidem circa Crucem primo caſu, ſecundo vero caſu duos pariter circa Crucem, quatuor ad Altare majus, & quatuor tandem circa cadaver. Si verò funus ab ipſis hæredibus, id petentibus, procurari permiſſum fuerit, ſerventur ſuperiùs di-

ſpoſita num. 23. & 24. Bona autem propria, vel cum notabili lucro emphyteotica, quantumvis propria manu exercita, poſſidentes, & lucrum conſiderabile ex mercatura, vel alio quovis exercitio capientes, in hac Conſtitutione comprehenſi minimè cenſeantur, ſed liberè poſſint ſibi funus, quodcumque voluerint, præfinire; miſerabiles quoque perſonas excludimus, quas Parochi gratis ſepelire, non tamen ſine luminibus, & campanarum pulſatione tenentur, ut etiam infra num. 37.

31. Siquis commoretur in aliqua Parochia (*mm*) ad breve tempus, itaut non ſit effectus illus Eccleſiæ Parochianus, in eaque Parochia moriatur, declaramus ad Parochum illius Eccleſiæ ire ad funus non ſpectare, & conſequenter non eſſe ab hæredibus, vel ab aliis neceſſariò ad funus invitandum. Volumus tamen, quod, vel dicti hæredes, vel proprius defuncti Parochus illum certiorem faciat, antequam corpus de ejus Parochia extrahatur, ut ſupra diximus.

32. Siquis fuerit abſens à Loco, in quo habet firmum, & permanens domicilium, & eo tempore (*nn*) ibi moriatur, ubi ad tempus habitabat, decernimus, & declaramus proprium Parochum quoad jura Parochialia eum eſſe, in cujus Parochia retinet prædictum domicilium, & ei aſſignandam eſſe quartam funeralem, & hoc maximè, quando corpus defuncti ad Civitatem, Oppidum, vel Locum domicilii transferendum ſit.

33. Siquis habuerit propriam Parochiam extra mœnia Civitatis, & exiſtens ad breve tempus (*oo*) in ipſa Civitate, ibi decedat nullâ electâ ſepulturâ, ſepeliatur in ſua Eccleſia Parochiali extra Civitatem, ſi ad eam commodè transferri poſſit, & ſuus proprius Parochus id petat. Qui quidem Parochus poſſit cum Cruce ingredi Civitatem, & ad locum, ubi defunctus jacet, accedere; Parochus verò Eccleſiæ, de cujus Parochia corpus extrahitur, nihil petere valeat, nec jus habeat circà Intortitia, quæ Cruci aſſignantur; ſi verò proprius Parochus noluerit, vel non potuerit ingredi Civitatem, & tamen velit in ſua Eccleſia defunctum ſepeliri, tunc ad Parochum illius Eccleſiæ, ex cujus Parochia corpus extrahitur, ſpectet cum ſua Cruce ire ad funus, & corpus aſſociare uſque ad Portam, [nec ulterius progredi cogatur] ſed ibi cadaver conſignetur rurali Parocho, qui per ſe, vel per alium omninò ad illud recipiendum in limine Portæ Civitatis accedere teneatur, ubi extingui debebunt omnia Intortitia Cruci aſſignata, quæ integraliter pertineant, & ipſo facto tradantur ipſi Eccleſiæ, & Parocho, qui uſque ad Portam cum propria Cruce corpus aſſociavit.

34. Si-

34. Similiter, ſi quis (*pp*) habens Parochiam intra mœnia Civitatis, elegerit ſepulturam in aliquo religioſo Loco extra Civitatem, Locus ille, vel Eccleſia, in qua ſepeliri debet, vel ea, ad quam ſpectat, juxtà diſpoſitionem adnotatam ſupra num. 21. *Si quando, &c.* erigat Crucem, cum qua ingredi poſſit Civitatem, & accedere ad Eccleſiam Parochialem, & locum defuncti: Parochus autem Eccleſiæ Parochialis comitetur funus uſque ad Portam Civitatis, nec ulterius procedere teneatur, ſed ibi conſignetur ei quarta funeralis; Quod ſi dicta Eccleſia, vel Locus, in quo ſepeliri debet defunctus, noluerit, vel non potuerit cum Cruce ingredi Civitatem, tunc Parochus, ut ſupra dictum eſt, teneatur cum propria Cruce uſque ad Portam, nec ulterius progredi; Intortitia autem Crucis ibi omnia extinguantur, & omnia pariter ad eum ſpectent, & ipſo facto tradantur.

35. Omnia quæcumque in duobus præcedentibus §§. diſpoſuimus, quando corpus defuncti (*qq*) de Civitate transferri debet extra mœnia, eadem prorſus viceverſâ ſerventur, cum de Loco extra Civitatem intra ejuſdem Civitatis mœnia fuerit transferendum.

36. Si fortè accidat, (*rr*) ut aliquis extra Urbem moriatur, & ſine ulla penitus ſepulchrali pompa de loco, ubi occidit, ad tumulum, in quo ſepeliendus eſt, deferatur; iſque ſolito feretri apparatu inhumatus eouſque permaneat, donec ſepulturæ tempus adveniat; ne Parœcia Urbis ſuo quartæ funeralis proventu, qui Jure Sacrorum Canonum illi obvenit, fraudetur, ſtatuimus, atque jubemus, ut ſi corpus defuncti plura, quam duodecim lumina circumdent, urbano Parocho duodecim julii dentur, aut ſex; ubi duodecim ſolum faces, vel pauciores circa cadaver ardebant.

37. Poſtremò, ad removendam omnem avaritiæ ſuſpicionem, (*ſſ*) & reatum, cadavera mortuorum Parochi ſepelire non differant unquam, eo quod hæredes defuncti, ſeù ii, ad quos ſpectat, debita, & conſueta funeralia ejus, vel non ſolvant, vel ea ſe nolle ſolvere aſſerant, ſed officium ſuum alacriter exolvant, eleemoſynamque ſibi debitam, tamquam pretium non paciſcantur, aut exigant à petentibus, omiſſo cœmeterio, intra ſepulturam aliquam cadaver inferri; nec Parochi, nec Sodalitatum Officiales, & Miniſtri, tàm directè, quàm indirectè quidquam exigant, etiam ſub obtentu aperitionis ſepulturæ, ingreſſus in Societatem, vel alia quacumque de cauſſa, ſub pœnis arbitrariis, & aliàs expreſſis, cum de Confraternitatibus

Laicorum agentium; ut ſic omnem ſimoniæ labem, vel ſuſpicionem evitent; Cœterum officium Noſtrum implorent, cujus erit poſtmodum debitores ipſos compellere, ut laudabiles conſuetudines ſervent, ac debita funeralia ſolvant; Laici autem eleemoſynam decentem fraudulenter Eccleſiæ ne denegent, ſed religioſè ad illos pietatis externos actus propriis expenſis pro viribus concurrant; tranſgreſſores ex utraque parte arbitrio Noſtro punientur.

38. Ex verò miſerabiles perſonæ, quibus mortuis, aut nihil ſupereſt, aut ita parum, ut ſuis impenſis ſepeliri minimè poſſint ſine coacta diſtractione mobilium, quæ plerumpue ſunt præcipuum tenuiſſimæ familiæ patrimonium, (niſi pia quæpiam Confraternitas, juxtà Laicorum conſuetudines, & Inſtituta, ipſarum funera curaverit) duabus ſaltem candelis adhibitis à Parocho circa Crucem, gratis omninò tumulentur, ſub graviſſima arbitrii Noſtri pœna: ac ſub eadem caveant, ne mortuorum corpora, etiam puerorum, & infantium, ſine lumine, ſine Cruce, abſque ullo Eccleſiaſtico comitatu, omni chriſtiano, & religioſo ritu omiſſo, ad Eccleſiam deferri permittant.

39. Deputent autem ſingulis Menſibus (tt) aliquos de Societate, ſi aderit, ſin minus de Populo, qui ſepeliendis ruri pauperum corporibus gratis inſerviant, uberem à Deo mercedem recepturi qui Tobiam innumeris auxit beneficiis, ob miſericordiam in mortuos exercitam.

(a) *Synod. Diæc.* 1645. *tit.* 2. *cap.* 20. §. 1., (b) *Bulla Cum primum Apoſtolatus inter ejus impreſſ. la* 5. §. 6. *Bullar. tom.* 2., (c) *d. Synod.* 1645. *ubi ſupra* §. 2., (d) *Synod. Diæc.* 1619. *tit.* 11. *cap.* 1. §. 6., (e) *Synod. Diæc.* 1691. *tit.* 4. *cap.* 7. *n.* 1., *&* 1699. *tit.* 16. *cap.* 3., (f) *Synod.* 1645. *tit.* 2. *cap.* 20. §. 4., (g) *Synod. Diæc.* 1569., *&* 1589. *cap. de Sepult.*, (h) *Synod.* 1619. *tit.* 11. *cap.* 1. §. 4., (i) *Synod Diæc.* 1681. *tit.* 21. §. 1., (k) *Synod.* 1691. *tit.* 4. *cap.* 7., (l) *d. Synod.* 1691. *tit.* 4. *cap.* 7., (m) *Synod.* 1619. *tit.* 11. *cap.* 1. §. 7., (n) *Synod.* 1619. *ubi ſupra*, (o) *Synod.* 1645. *hoc tit.*, (p) *Synod. Diæc.* 1699. *tit.* 16. *cap.* 7., (q) *Synod.* 1699. *tit.* 16. *cap.* 4., (r) *dicta Synod.* 1699. *ubi ſupra*, (ſ) *ubi ſupra cap.* 7., (t) *Synod. Diæc.* 1663. *tit.* 8. *cap.* 1., (u) *Synod.* 1663. *ubi ſupra cap.* 2., (x) *Synod. Diæc.* 1674. *tit.* 8. *cap.* 1., (y) *Synod.* 1691. *tit.* 4. *cap.* 5., (z) *d. Synod.* 1691. *ubi ſupra*, (aa) *Synod.* 1645. *tit.* 2. *cap.* 20. §. 5., (bb) *Synod.* 1681. (cc) *Synod.* 1691. *tit.* 4. *cap.* 7., (dd) *Synod.* 1645. *hoc tit.* §. 6., (ee) *Synod. Diæc.* 1627. *de Sepult.* §. 2. *pag.* 19., (ff) *Synod.* 1699. *tit.* 16.

Digitized by Google

tit. 16. *cap.* 10., (gg) *d. Synod.* 1699. *cap.* 6., (hh) *Synod.* 1627. *de Sep.* §. 1. *pag.* 19., & 1645. *hoc tit.* §. 7., (ii) *d. Synod.* 1645. *ubi ſupra* §. 9., (kk) *Synod.* 1681. *tit.* 21. §. 3., (ll) *Synod.* 1691. *tit.* 4. *cap.* 6. *n.* 6., (mm) *Synod.* 1645. *hoc tit.* §. 10., (nn) *dicta Synod.* 1645. §. 11., (oo) *Synod.* 1645. *ubi ſupra* §. 12., (pp) *dicta Synod.* 1645. §. 13. *ibid.*, (qq) *dicta Synod.* 1645. *ibid.* §. 14., (rr) *Synod.* 1627. *de Sepult.* §. 3., (ſſ) *Synod. Diœceſ.* 1619. *tit.* 11. *cap.* 1. §. 5., (tt) *Synod. Diœc.* 1610. *de Sepult. pag.* 117.

CAPUT XV.

DE REGULARIBUS.

1. NUnc Nobis ad Regulares ſermo eſt, qui decus Eccleſiæ ſunt, & ornamentum; hos adhortamur [a] affectione potius quam poteſtate, ut in paſcendo Dominico Grege Nobis commiſſo, & verbo, & exemplo nobiſcum laborare non deſinant, mercedem à Domino ampliſſimam accepturi.

2. Quod ut expeditiùs exequi poſſint, eos enixè rogamus, ut in Domo Dei ambulantes cum conſenſu totius Cleri, Conſtitutiones has Synodales ſtudioſè perlegere non dedignentur, & in iis maximè, quæ ad Animarum profectum pertinent, Noſtræ Diœceſis Populo perfectam obedientiam edocere non deſiſtant.

3. Privilegiis verò quamplurimis, quibus à Sancta Sede condecorati ſunt, ut jugiter fruantur nullatenus impedimento erimus, imò & alacriter eoſdem Regulares in quaſi poſſeſſione ſuorum Privilegiorum manutenendo, quantum in Nobis erit, conſervabimus, atque tuebimur, dummodò iiſdem nonniſi intra limites declarationum ab eadem Sede emanatarum utantur.

4. Meminerint itaque, quod, quamvis à Noſtra Juriſdictione per eorumdem privilegia exempti ſint, ſi tamen extrà clauſtra, cum ſcandalo Fidelium, deliquerint, ultrà pœnas à jure ſtatutas, juxtà præſcriptum ordinem à Sac. Conc. Tridentino, arbitrio Noſtro ſubiicientur. Sciant etiam à Jure ſibi prohibitum eſſe ad Sacrum fontem pueros levare; confeſſiones Secularium, vel Animarum curam, nonniſi de Noſtra licentia, ac prævio examine, etiam in propriis Eccleſiis aſſumant; eidem verò curæ deſtinati, Nobis immediatè in iis, quæ ad curam pertinent, ſubjecti erunt; & ideò reſidentiæ leges accuratè ſervent, neque alium in officio, Nobis inconſultis, juxtà Decretum Sac. Congregationis, quod in Additionibus

im-

imprimi mandavimus, ſubſtituant; à caſibus verò Nobis Reſervatis non abſolvant, virtute privilegiorum, ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrenda, aliiſque Nobis arbitrariis.

5. Prædicationem verò Verbi Dei in propriis Eccleſiis ſine Noſtra Benedictione, in alienis autem, ſine Noſtra licentia perſonaliter accepta, habere non audeant, ſub pœna ſuſpenſionis per ſex Menſes, & ſi contumacia acceſſerit, ſub pœna Excommunicationis. Interim verò, quæ de Prædicatoribus generaliter in Cap. de Prædicatione Verbi Dei ſtatuimus, adamuſſim eos obſervare non pigeat; ſecus facientes pœnas à jure ſtatutas non effugient.

6. Abſque Noſtra pariter licentia Regulares Confeſſarii, quamvis à Nobiſmetipſis approbati, in domibus ſecularium confeſſiones, virtute quorumcumque privilegiorum, non excipiant, exceptis caſibus à jure permiſſis. (c) Infirmorum verò confeſſionibus auditis, meminerint ſe teneri ad certiorandum Parochum, ad hoc, ut cetera Sacramenta eis debito tempore adminiſtrare valeat.

7. Ad Monialium verò Monaſteria propiùs accedere ex Summorum Pontificum Decretis omninò prohibentur, ſicut & eaſdem Moniales, quamvis conſanguineas, vel alias ſibi ſubditas, aut prætextu Prædicationis, alloqui ſine Noſtra in ſcriptis licentia nullatenus præſumant, incurſuri pœnas in iiſdem Decretis præfinitas; ſicut & celebrare Miſſam in Eccleſiis Monialium, nonniſi de Noſtra licentia, audeant, ſub iiſdem pœnis.

8. Earumdem autem Monialium, etiam ſubditarum, quamvis aliàs approbati, confeſſiones non audiant abſque Noſtra licentia, quæ pro uno Monaſterio obtenta, nullo modo valeat pro alio; nec valeant poſt admiſſionem, ne ad minimum quidem tempus, vel momentum, alium eorum loco ſubſtituere, Nobis inconſultis. Quid autem agere poſſint Superiores Regulares Monaſteriorum ſibi ſubditorum, circà viſitationes Monialium, & Abbatiſſæ electionem, præſcribitur in Conſtitutionibus Apoſtolicis, quæ dantur in Additionibus ad ſequens Caput.

9. Sacram Euchariſtiam publicè à Fidelibus adorandam exponere, Indulgentias publicare, Libros edere, Imagines inſolitas, & Reliquias venerandas in Altari collocare, niſi prius petitâ, atque obtentâ à Nobis licentiâ, non audeant.

10. Sacriſtas quoque Regulares monemus, ne Sacerdotes exteros, & ignotos ad Miſſæ Sacrificium in propriis Eccleſiis peragendum, abſque Noſtra in ſcriptis licentia, admittant, ſub pœnis à Sede Apoſtolica ſtatutis.

11. Quo-

11. Quoad funera verò, ac publicas Proceſſiones, ſciant Regulares Nobis omnimodè virtute Tridentini ſubjectos eſſe, (*d*) itaùt ad eas, etiam extraordinarias, invitati renuere minimè poſſint, & in eis Capitulum Noſtrum aſſociare uſque ad locum, undè diſceſſit, teneantur.

12. In Aſſociatione verò mortuorum, digniorem ſemper teneant ii Regulares, ad cujus Eccleſiam cadaver defertur, niſi fortè adſint Monachi, quibus omninò cedere debent.

13. In Eccleſiis Regularium deputetur ſemper à Superioribus perſona idonea ad egenos eiiciendos, juxtà præſcriptum Bullæ Pii V., & Encyclichæ SS. D. N. Clementis XI., quæ dantur in Additionibus.

14. Novitiorum verò renunciationes, quæ fiunt, juxtà Tridentinum, intra duos Menſes ante ſolemnem Profeſſionem, habeant Atteſtationem Notarii in Noſtra Cancellaria reliquendam, ad hoc, ut ſemper de iis legitimè conſtet.

15. Circa Ordinationes noverint Regulares omnes Noſtræ Diœceſis, Nobis prædictas Ordinationes habentibus, eos accedere non poſſe pro Ordinibus ſuſcipiendis ad alios Epiſcopos. [*e*]

16. Cenſuræ verò, & Interdicta, nedùm à S. Sede Apoſtolica emanata, ſed etiam à Nobis promulgata, & promulganda, ad mandatum Noſtrum in propriis Eccleſiis publicare, atque ſervare non renuant; ſicuti & dies Feſtos, à Nobis in Noſtra Diœceſi præceptos, vel præcipiendos, obſervare omninò teneantur.

17. Cauſæ Civiles, quæ ab ipſis Regularibus agendo inſtituuntur, coram Nobis ſemper in prima inſtantia terminentur, ſicuti & quas excipiendo ab eiſdem ſuſtentari contigerit, niſi proprios Conſervatores habeant, coràm quibus conveniri ſemper debent.

18. De Præcedentiis autem (*g*) controverſiæ omnes, tùm in Proceſſionibus publicis, tùm in iis, quæ fiunt in tumulandis defunctorum cadaveribus, & ſimilibus, ſemper coram Nobis, omni appellatione remota, & non obſtantibus quibuſcumque, componendæ ſunt.

(a) *D. Cyprian. de diſcipl. & habit. virg.*, (b) *Decret. Sac. Cong. ſub Clemente VIII. 9. Jan 1601. in Additionibus*, (c) *Declarat. Clem. X. 26. Julii 1674. quæ habetur per extenſum in Addit.*, (d) *Seſſ. 25. de Regul cap. 13.*, (e) *S. Congr. 1596. in Summ. Bull. verb. ordo apud Quarantam*, (f) *Bulla Gregor. XV. ann. 1621. Sanctiſſimus*, (g) *Trident. Seſſ. 25. de Regul. cap. 13.*

CA-

CAPUT XVI.

DE MONIALIBUS.

1. AD vos, nobiliſſima Portio Eccleſiæ, Orbis totius Gemmæ, atque Monilia pulcherrima, Cœleſtis gloriæ candidatæ benemerentes, animum convertimus Noſtrum, atque gaudio geſtientes, eximio, quod, Angelorum inſtar, uni Deo, divinoque obſequio alacri mente intenditis, ut in incepto magis, ac magis proficiatis officio, hæc ex debita Paſtorali Noſtra cura ſtatuimus.

2. Moniales omnes, profeſſionem, quam emiſerunt, feriò, & identidem recolentes, Ordinis ſui Leges, & Inſtituta, necnon emiſſa vota ad perfectionis apicem uſque Deo reddere ſatagant. Et quoniam, ad quotidiè magis in Virtutis ſemita progrediendum, recens Regularum, ac uniuſcuiuſque Monaſterii Conſtitutionum memoria multum confert, ideò expreſsè præcipimus, ut hujuſmodi Regulæ, ac Conſtitutiones legantur in Menſa, clara, & intelligibili voce, ſingulis, vel ſaltem alternis Menſibus. (a)

3. Porrò omnes, & ſingulæ Chorales, legitimè non impeditæ, Choro decenter interſint, & opportunè, atque horas canonicas, ut decet agni ſponſas, concordi, & alta voce devotè canant, aut legant, ubi legendi mos eſt, nullumque muſicale Inſtrumentum, præter Organum, pulſent inter pſallendum; (b) ac pariter, dum pſallunt, caveant à cantu figurato; quem omnino prohibemus, cum adſunt exteri, tàm in Choro, quàm extra Chorum. (c)

4. Quotidiè omnes Miſſæ Sacrificio religiosè interſint, atque animo expiato, Sanctiſſimum Euchariſtiæ cibum, juxtà earum Regulas, & laudabiles conſuetudines, eo, quo par eſt, ordine frequentent. (d)

5. Meditationi, & Examini Conſcientiæ Sanctimoniales Virgines, præſertim velatæ, ſtatis horis quotidiè vacent, hunc laudabilem morem Regulâ præſcribente; ſin minus Regula præſcribat, mos idem, tàm meditandi, quàm Conſcientiam examinandi, in Monaſteriis Noſtræ Diœceſis inducatur. Monemus præterea mentem eſſe D. N. Clementis PP. XI. ut Moniales omnes Spiritualibus Exercitiis quotannis per dies decem, ſolitariæ, quoad fieri poteſt, incumbant, ad præſcriptum Directoris; quibus itidem Spiritualibus Exercitiis vacare jubentur de mandato ejuſdem Summi Pontificis per totidem dies, tàm puellæ in Moniales acceptatæ ante ſuſceptionem habitus, quàm novitiæ paulò ante Profeſſionem, ut in ejus Encyclica, quæ datur in Additionibus. [e]

6. Tem-

6. Tempore autem Divina Officia recitandi, & rerum cœleſtium meditationibus, conſcientiæ examini, vel orationibus aliis vacandi, ex Regulæ, vel legitimæ conſuetudinis præſcripto, non licet Monialibus ad Crates, vel ad Januam accedere; quod expreſsè prohibemus, niſi aliter urgens neceſſitas poſtulaverit, diebus publicæ Sanctiſſimi Sacramenti expoſitioni decretis, necnon in triduo Majoris Hebdomadæ. Quinimò, ad importunum exterorum acceſſum evitandum, tùm ſupradictis diebus, tùm etiam à mane uſque ad meridiem die ſanctæ Communioni deſtinato, Colloquutorium penitus obſerari jubemus; (*f*) ceteris verò aperiatur ſolùm orto jam Sole, & mentali oratione abſoluta, ac poſt ejus occaſum, horâ nimirum vigeſimâ quartâ, dimiſſis exteris occludatur omninò; (*g*) quibus præstereà ad Crates colloquentibus, exteriores, interioreſque Januæ pateant, oneratâ deſuper Superioriſſæ conſcientiâ, Ordinarii arbitrio, pro modo culpæ puniendæ, ſi frequentem dicti Colloquutorii viſitationem neglexerit. (*h*)

7. A ſupervacaneis ſermonibus cum exteris accedentibus abſtineat Janitrix, nec mandata ad alias Moniales deferenda in Januis excipiat; nullam ex ſacris Virginibus, ſub pœna privationis officii, aliiſque Ordinario arbitrariis, ad Crates, vel ad Rotam accerſat, niſi de habita facultate à quolibet eas advocante [*i*] certior facta, nec ullam aliam à vocatis accedere patiatur, præterquam illarum Magiſtras, aut Auſcultatrices. (*k*) Superioriſſam de frequentioribus, longioribuſque ſermonibus ab exteris perſonis cum iis Monialibus inſtitutis admoneat, quibus cum nullo conſanguinitatis, aut affinitatis gradu coniunctæ ſunt. Ad Januam, ad Crates, vel ad Rotam accedere ſe non poſſe Moniales noverint, niſi à Præſide Monaſterii facultate præobtentâ, cujus prudentiæ committimus illam, vel ſingulis vicibus, vel ad tempus determinatum concedere, proùt in Domino magis expedire cenſuerit. (*l*)

8. Volumus pariter, & jubemus, ſub pœna capturæ, & aureorum triginta, ne quis virorum, etiam in primo gradu cum aliqua Moniali conjunctus, ſine licentia Ordinarii ad Colloquutorium accedat. (*m*)

9. Et quia Virginum ſanctimonia decentiùs ſplendet aſſociata; creentur, ubi non ſunt Auſcultatrices, ætate, ac prudentiâ graves, quæ diſcretè aſſiſtant, præſertim cum ab exteris non valdè ſanguine, vel affinitate conjunctis ad Crates juniores advocantur; ad quas, ſub pœna privationis acceſſus per tres Menſes, tàm ad ipſas, quàm ad Rotam, & ad Januam accedere nolumus ſine Magiſtra Novitias, vel puellas educandas, alios ab affinibus, vel conſanguineis in primo, vel ſecundo gradu alloquuturas. [*n*] Hanc ipſam privationem

per totidem Menſes incurrere volumus Moniales omnes, cum viris etiam propinquis, & Religioſis in Janua colloquium habentes; excepto caſu urgentis neceſſitatis, aut indiſpenſabilis convenientiæ, in quo caſu ſtantes, paucis, & quidem cum Auſcultatricis aſſiſtentia, & cum facultate expreſsè obtenta colloquantur. [*o*] Pœnam verò privationis vocis activæ, & paſſivæ iis Monialibus imponimus, quæ cum Regularibus facultatem non habentibus, ſive ad Januam, ſive ad Crates, ſive ad Rotam ſermonem habuerint. (*p*)

10. In Colloquutorio nulli extero, etiamſi femina ſit, & in primo gradu, ad cibum, potumque capiendum menſa ſternatur, exceptis Monaſteriis extra Civitatem, in quibus, ex defectu aptioris loci, id neceſſitas expoſcat, & tunc Crates, & Januæ inter veſcendum claudantur; pœnâ tranſgredientibus conſtitutâ privationis ad ſex Menſes vocis activæ, & paſſivæ, ipſo facto incurrendâ, & Superioriſſæ ſuſpenſionis ab officio per Menſem, quacumque vice id culpabiliter permittenti. (*q*) Iiſdem pœnis reſpectivè afficimus Moniales omnes, & Superioriſſam permittentem, quidquam in cibum, aut potum ad Eccleſiæ Rotam, vel Crates quocumque modo præbentes, vel ex occaſione ſuſceptionis habitus religioſi, emiſſionis Profeſſionis, aut Profeſſarum Conſecrationis, eſculenta, aut poculenta ad exteros recreandos, mediatè, vel immediatè in Eccleſiam emittentes.

11. Feneſtella Sacræ Communioni, & Craticula audiendis Monialium Confeſſionibus deſtinatæ, his præcisè uſibus inſerviant, juxtà Ordinationem D. N. Papæ Clementis XI. in Encyclica anni 1706., quæ datur in Additionibus. (*r*)

12. Clauſuræ numquam ſatis cuſtoditæ cura requirit, ut ipſius Januæ, niſi aliter neceſſitas poſtulet, ſemper ſint obſeratę, neque aperiantur unquam ad ea inferenda, vel foras emittenda, quę per Rotam intromitti poſſunt, vel emitti. (*ſ*) Quin etiam, ad ſecuriorem, honeſtioremque clauſurę ejuſdem diu, noctuque conſervationem, volumus, atque jubemus, ut noctu Januę claves ſint apud Præſidem Monaſterii, interdiù verò à Janitrice per quam accuratè ſerventur; ſecus replicata illius negligentia officii privatione punietur.

13. Janitricis pariter curæ ſit, ne quis unquam virorum ſine debita licentia, gravique neceſſitate intra ſepta Monaſterii admittatur ante ortum Solis, ac non dato ſigno campanulæ, ut ſecedant Moniales, etiamſi ſint famuli Monaſterio inſervientes, miniſtri, Medici, Chirurgi, coloni, villici, fabrilignarii, ferrarii, murarii, aut operarii quicumque, quibus omnibus, & ſingulis, eâdem ceſſante neceſſitate, poſt horam vigeſimam quartam in Clauſura perma-

manere prohibemus. Viros hoſce Moniales provectæ, annum ſaltem quadrageſimum quintum ingreſſæ, & ad id peculiariter deſtinatæ perpetuè aſſocient, niſi fortè munus ab ipſis præſtandum in aperto, omnibuſque conſpicuo loco eſſet peragendum; [*t*] quod ſi ceſſante cauſâ primi ingreſſus permiſſi, nova iterum ingrediendi Monaſterii ſepta ſupervenerit, ſine nova etiam facultate, id ſibi ingredientes omnes interdici ſciant, ſub pœna violatę clauſuræ. (*u*)

14. Hanc ipſam pœnam violatę clauſurę ſe ipſo facto noverint incurſuros, tùm ii, qui ſub prætextu onerum ferendorum, ex occaſione ſuſceptionis habitus religioſi, aliorumque Feſtorum, ſepta Monaſterii abſque licentia ingrediuntur; (*x*) tùm domeſtici famuli, vulgò *Fattori*, clauſuram intrantes ad exercendam farinam, ad panem conficiendum, ac ad alias quaſcumque res deferendas, quæ per Rotam introduci, aut in Janua à Monialibus decenter excipi (*y*) poſſent; tùm demum Moniales infantes introducentes. (*z*)

15. Jentaculum, aut prandium dari intra ſepta Monaſterii famulis, hortulanis, colonis, agaſonibus, villicis, aliiſque quibuſcumque viris, cujuſcumque conditionis ſint, omninò prohibemus: Jumenta verò ad onera efferenda, vel inferenda introducta, ſtatim ac ſervitium præſtaverint, ad ſervandam loci decentiam, è clauſura educantur; (*aa*) eadem de cauſa nullatenus in Monaſteriis alantur canes, (*bb*) à Colloquutoriis, ſub pœna capturæ, exulent Infideles, omneſque alii ab Eccleſia ſeparati; necnon mulieres perditæ famæ, niſi fortè petitâ facultate, converſionis cauſâ ad Monaſterium mulierum pœnitentium accederent. (*cc*)

16. Loci decentiam comitetur pariter religioſa Monialium mundities; ſi aquis proindè odoratis manus abluant, ſi odoratis unguentis, aut ſuffimentis ungantur, ſi inaures, ſpecula, aliaque hujus generis vana, & ab earum ſtatu aliena prorſus adhibeant, pœnas dabunt Superioriſſæ arbitrarias. (*dd*)

17. Repræſentationes, Dragmata, aliaque opera ſcenica intra Monaſteria ad animi levamen recitanda, DD. Gubernatorum, vel ordinarii Confeſſarii cenſuram ſubeant; viriles veſtes ea de cauſa, quæ Chriſti Sponſas, aut puellarum modeſtiam dedeceant, non adhibeant; veſtibus indutæ ſcenicis, tàm Moniales, quàm puellæ, exteriorum conſpectui, tàm in Cratibus, quàm in Januis ſe præſentare non audeant; multoque minus coram ipſis, cujuſcumque gradus, ſtatus, & conditionis ii ſint, hujuſmodi opera ullibi recitare; pœnâ privationis vocis activæ, & paſſivæ, ipſo facto incurrendâ, Monialibus recitantibus, cooperantibus, aut conſulentibus conſtitutâ; exteris

verò audientibus, vel aſſiſtentibus excommunicationis pariter ipſo facto. *(ee)*

18. Literas omnes, quæ dantur, vel recipiuntur à Monialibus Monaſterij Præſes legere valeat; eâ proindè inſciâ, vel inconſultâ, nec recipiantur, nec ſcribantur; ſervetur quoque à ſcribentibus religioſa modeſtia, ni pœnam ſubire velint delicto convenientem. Excipimus tamen, ubi laudabilis mos in contrarium non vigeat, ſeù non videatur opportunius, à Noſtra Ordinatione literas à Monialibus ad Superiores omnes, Gubernatores, Confeſſarios pro tempore exiſtentes, nec non ad propinquos uſque ad ſecundum gradum incluſivè miſſas, vel ab ijſdem Superioribus, Gubernatoribus, & propinquis reſpectivè receptas. *(ff)*

19. Libri Monialium ſelecti ſint, proſcriptis omninò profanis omnibus; & ne earum mentes, erroribus, dubiis, ſcrupuliſve illaqueentur, illos etiam eliminari jubemus, qui de quæſtionibus ad conſcientiam pertinentibus agunt, præſertim Italico ſermone conſcripti, neque ex aſceticis retineantur, niſi qui fuerint, vel à DD. Gubernatoribus, vel à Confeſſariis approbati. *(gg)*

20. Votum paupertatis illæſum conſervari vehementer cupimus. In Monaſteriis proinde, in quibus vita communis exactè non ſervatur, depoſitæ pecuniæ arca tribus omninò clavibus obſeretur, quarum altera penès Præſidem Monaſterii ſit, altera penès Depoſitariam, tertia denique penès Monialem illam, apud quam legitima cuiuſlibet Cœnobij conſuetudo ſervari poſtulat. Depoſita verò pecunia in tot arculis occludatur, quot ſunt Moniales, ibique, ac nullatenus apud quempiam intra, vel extra Monaſterium ſervetur; neque inde extrahi poſſit abſque interventu, aut ſaltem facultate Superioriſſæ, in cujus poteſtate ſit permittere Monialibus, ut apud ſe tres julios pro expenſis manualibus retineant; quæ ſecus fecerint pœnas proprietariarum incurrent; omneſque Moniales particulares in his minutis, eoque magis in majoribus expenſis faciendis, ab ære alieno cum exteris proprio nomine contrahendo caveant; quod ſi inobedientes contraxerint, noverint Mercatores pecuniam, vel res ſuas ementis fide vendentes Monialibus ſine expreſſo, vel tacito Superioriſſæ conſenſu, ſe actionem nullam in Monaſterium acquirere, etiamſi pecunia mutuata, vel res ementis fidei credita in utilitatem, & bonum ejuſdem Monaſterii cederet. *(hh)*

21. Ejuſdem voti obſervantiam impensè Monialibus commendantes, eas edicimus proprietarias, adeoque pœnis, & cenſuris à Sacris Canonibus regulari proprietario inflictis, obſtrictas decedere,

quæ

quæ in mortis articulo, vel dum adhuc vivunt, diſpoſitione poſt mortem implendâ, de rebus ad uſum ſibi conceſſis, quaſi teſtando diſponunt; (*ii*) non eis tamen interdicimus animi ſui ſenſum circà prædictas res uſuales, Præſidi, vel Superioribus aperire, eorumdem ſe voluntati ſubmittendo, ut de iis diſponant, proùt in Domino judicaverint.

22. Nulla Monialis abſque Superioriſſæ licentia ſtipem pauperibus conferat, nec eſculenta, poculenta, veſtes obſoletas, pannos attritos, aliaque hujuſmodi ad uſum ſibi conceſſa vendat, aut donet, vel gratitudinis, ſtipendii, aut eleemoſynæ titulo largiatur; (*kk*) nec ſine Noſtra facultate quidpiam in eleemoſynam pro ſacris faciendis impendat, aut ad recipiendum Miſſarum certo numero celebrandarum fructum, Congregationibus, Centuriis, & ſimilibus aggregetur. (*ll*) Unamquamque tamen Monialium denas Miſſas in ſingulos annos, ſi velit, curare ſibi celebrandas permittimus, à Præſide Monaſterii licentiâ prius impetratâ. (*mm*)

23. Bona ſtabilia, ex perſona viventis Monialis jure hæreditario Monaſterio obvenientia, per Cœnobii miniſtros, & nullatenus ab ipſa Moniali, vel alio quopiam ipſius nomine, adminiſtrari omninò volumus, & jubemus, niſi fortè caſus inopinatus obvenerit, qui peculiarem hujus Noſtræ Ordinationis diſpenſationem mereatur. In iis verò proventibus, fructibus, aut pecuniis erogandis, quæ ſibi ad proprios, vel alienos uſus permittuntur, ſibi ſervandam eſſe meminerint, tum eam moderationem; quæ Virgines Chriſti paupertatis ſectatrices deceat, tùm Bullam Urbani PP. VIII. (*nn*) declaratoriam Conſtitutionis Clementis PP. VIII. de Munerum largitione, ſciantque ſe de ſupradictis proventibus, & fructibus ſine debita facultate nequaquam poſſe diſponere. (*oo*)

24. Defunctarum Monialium ſpolia integra ad Monaſterium reverti debent, & ad defunctæ creditoribus, ſi qui ſint, ſatisfaciendum divendi. Et ſi quid ſit reliquum liberæ Superioriſſæ diſpoſitioni committimus, quæ, ſervato more cujuſlibet Monaſterii, illud remunerationis, aut gratæ memoriæ cauſsâ, moderatè tamen, inter defunctæ, tàm intra, quàm extra Monaſterium attinentes diſtribuere poterit.

25. Monaſteriorum Abbatiſſis, Prioriſſis, Præſidibus, Præfectis, & ſub quocumque nomine Superioriſſis, abſque conſenſu Capituli impenſas facere prohibemus, quæ triginta aureorum ſummam excedant; (*pp*) eas pariter monemus celebrari non poſſe Contractus emptionum, & venditionum, aut inſolitæ conceſſionis livellariæ abſque conſenſu Ordinarii; quo obtento, res in Capitulo per vota ſecreta decerni

cerni debet, adhibito, ſi opus fuerit, Beneplacito Apoſtolico, ſicut in cenſibus paſſivis conſtituendis adhiberi neceſsè eſt; pœnæque Nobis arbitrariæ Superioriſſam, hanc contrahendi formam inobediendo tranſgredientem, ſubijcimus. (*qq*) Camerarias inſuper, vel Syndicas vulgò *Scrivane*, aliaſque hujuſmodi Bonorum, ac reddituum Monaſteriorum adminiſtratrices ad ſexennium tantum in ſuo miniſterio perdurare volumus, abſque conſenſu Ordinarii, in caſu urgentis neceſſitatis tantum præſtando. (*rr*)

26. Puellæ educandæ, quæ nec ſeptennio minores eſſe debent, nec annum vigeſimum quintum excedere, niſi (*ſſ*) aliter à Sacra Congregatione diſpenſentur, in Monaſteria introduci nequeunt, niſi ſolutio pecuniæ primi ſemeſtris pro alimentis præcedat; quæ pariter ſexto quoque Menſe anticipatè fieri debebit, uſque dum in educatione perſeverent. (*tt*) Introductæ verò Leges omnes clauſuræ obſervabunt, & conditiones licentiarum Romæ pro educandis expeditarum, necnon Noſtras, & Prædeceſſorum Noſtrorum Ordinationes ad rectam puellarum educationem conducentes. (*uu*) Locum proinde ſegregatum à Monialibus, ac Novitiis, tàm ad ſomnum noctu capiendum, quàm ad varia interdiu artificia exercenda habeant, & ubi non ſit deſtinetur, ſecus illas recipere non licebit. (*xx*) Semel autem egreſſæ è Monaſterio, illuc iterum reverti abſque nova licentia non poterunt. (*yy*)

27. Conſtituatur præterea aliqua ex Monialibus pietate, prudentiâ, ac virtute gravis, cui talium puellarum cura demandetur, (*zz*) & ſine qua eiſdem non liceat cum ſecularibus colloqui, aut per Monaſterium vagari, aut ad Crates accedere. Ad has autem, non verò ad Januam, cum oportet, doceri debent à Sacerdotibus ætate gravibus (facultate ab Ordinario obtentâ) muſica Inſtrumenta pulſare, ad numerum canere, legere, ſcribere, & his ſimilia. Earumdem ulterius veſtes, veſtiumque, & capitis ornamenta modeſta ſint, ac moderata, ac prorſus à ſeculi vanitatibus aliena.

28. Educandas, quæ ſponſalia contrahunt, in Monaſteriis Noſtræ Juriſdictioni ſubiectis retineri nolumus, & ſi quando ſponſas has educere propinqui negligant, de hujuſmodi negligentia illico monere Ordinarium Superioriſſæ teneantur; quę ſi fortè factum ſtudioſè celaverint, ſciant ſe Deo rationem reddituras. (*aaa*)

29. Pro Puellis ad Religionem admittendis ſupplicem Ordinario libellum præſentari mandamus, ad perſcrutandam recipiendæ vocationem Examinatorem deputari poſtulantem, à quo ſi vocatio hujuſmodi approbata, (*bbb*) & conceſſa deſuper ab Ordinario facul-

tas

Digitized by Google

tas fuerit, Moniales in Capitulo non vivâ voce, ſed per ſecreta ſuffragia, & quidem, ad ſervandam ſuffragandi libertatem, nullatenus ad invicem manifeſtanda, *(ccc)* ſuper eius admiſſione deliberent. Confeſſariorum tamen, aut Procuratorum actu in eiſdem Monaſteriis inſervientium propinquas in Moniales, aut inter educandas uſque ad quartum gradum; *(ddd)* ſicut nec ullam ſupra numerum determinatum abſque Noſtra peculiari facultate poſſint acceptare. *(eee)* Nulla etiam acceptata ſine novo examine, noviſque ſuffragiis Capitularibus, *(fff)* ſacris veſtibus indui poſſit anno à die acceptationis elapſo, nec niſi poſt ſex Menſes, ab eodem die computandos, & poſt duodecimum ætatis annum expletum. *(ggg)*

30. Meminerint Moniales ſuffragia ferentes illas puellas acceptari non poſſe, quas certò ſciant coactas, & invitas ad Religionem venire, niſi, ultra pœnam privationis ad triennium vocis activæ, & paſſivæ, Cenſurarum fulminibus à Tridentina Synodo percelli velint. *(hhh)*

31. Statui temporali cujuſcumque Monaſterii, ejuſque commodo, à quo non modicè Monialium quietem pendere cenſemus, omni ratione providere volentes, acceptari, & veſtiri puellas prohibemus, quin Parentes, propinqui, tutores, aut illarum quocumque nomine curam gerentes, actu, & re ipſa apud Camerarium Generalem Noſtræ Curiæ ſummam illam pecuniæ depoſuerint, quæ titulo Dotis, vel dotalis additamenti Monaſterio perſolvi debet; *(iii)* nec in Præfectarum poteſtate ſit, inconſultâ Sede Apoſtolicâ, quidquam de præfata ſumma minuere, aut eamdem in manibus Parentum, aut propinquorum relinquere. *(kkk)*

32. Debet autem eadem ſumma in Bonis ſtabilibus inveſtiri, vel in locis montium non vacabilium, vel aliàs in beneficium, & ſecuritatem Monaſterii converti, cenſus paſſivos, aliaque debita oneroſa extinguendo, & ſi quid ejuſmodi inveſtimentis obſiſtat, Ordinario denunciari; interim ea ſaltem pars ſummæ prædictæ, cujus fructus puellæ habitum induenti perſolvi debet, aliquâ ex prænarratis rationibus reddatur fructifera. Contravenientes in pœnas adverſus Bona, & jura Eccleſiæ alienantes latas incurrant; Præſides ulterius in ſuſpenſionem ab officio, & privationem ad triennium vocis activæ, & paſſivæ. *(lll)*

33. Puellas acceptatas egredi, & regredi in Monaſterium pluſquam ſepties, aut octies expreſsè prohibemus; *[mmm]* dum autem egrediuntur, ad ea oblectamenta minimè divertant, quarum ſpecies memoriæ adhærent, & veluti zizania ab inimico homine in agro virgineo ſuperſeminata, paulatim creſcunt, ſemenque vocationis

nis bonum, & optimum, vel ſuffocant, vel enervant. (*nnn*)

34. Ut libertati Virginum Deo dicandarum plenè proſpiciatur, ante ultimum earumdem in Monaſterium regreſſum, ab Examinatoribus, per Nos, aut Vicarium Noſtrum Generalem deputandis, exactè, ac prudenti dexteritate interrogari volumus, an verè à Deo vocatæ, feriò, ac prorſus liberè ob ſolum Jeſu Chriſti amorem, ſeculo, ac pompis ejus renunciare ſtatuerint, an verò invitæ Monaſterium ingredi, ac Monachalem habitum ſuſcipere cogantur. (*ooo*)

35. Hujuſmodi tandem ultimum in Monaſterium regreſſum, omninò abſque tubarum, tympanorumque ſtrepitu, & igniti pulveris exploſionibus, decem diebus ante ſolemnem habitus ſuſceptionem habendum, ultra dimidium primæ horæ noctis, poſt quam Monaſterii Januas claudi præcepimus, nullatenus protrahi jubemus; (*ppp*) puellaſque ſubindè acceptatas per totidem dies Spiritualibus Exercitiis ſolitarias incumbere, (*qqq*) ac tempore intermedio non ſolum exterorum alloquium, ſed & conſpectum declinare, uſque dum, his Exercitiis abſolutis, rectà in Eccleſiam, præeunte Clero, ad ſacrum habitum ſuſcipiendum erunt deducendæ, (*rrr*) in qua Sacra cæremonia, ſi velint nomen mutare, à profanis abſtineant, ac potiùs Sanctarum feminarum nomen aſſumant, quæ ſibi & exemplo ſint, & patrocinio. (*ſſſ*)

36. In quibuſcumque Monialium Monaſteriis, etiam Regularium Superiorum Juriſdictioni ſubiectis, & quomodolibet exemptis, ſub præcepto ſanctæ Obedientiæ, aliiſque pœnis arbitrariis, necnon ſuſpenſionis, ac remotionis ab officio contra quoſcumque directè, vel indirectè Sanctionem hanc Noſtram tranſgredientes, vel in minimo violantes, infligendis, authoritate etiam Apoſtolicâ quoad exemptos opportunè ſuffulti, proùt in Literis Eminentiſſimi Cardinalis de Carpineo ad Nos tranſmiſſis, & in Additionibus impreſſis, diſtrictè præcipimus, ut ſervatâ ceteroquin, proùt ſervari inconcuſsè mandamus, ſingulorum Monaſteriorum conſuetudine, circà matutinam, aut veſpertinam Sacræ functionis horam, quam nullatenus præverti ſine juſta cauſsa, & noſtra facultate permittimus, omnes in poſterum puellæ ad ſacrum Religionis habitum admittendæ, eodem per eos, ad quos de jure, vel Noſtra delegatione ſpectat, ſine ulla penitus ſolemnitate, & pompa, muſicis inſtrumentis quibuſcumque, præter Organum in Veſperis, ab ipſiſmet Monialibus dumtaxat pulſandum, ſi pulſare couſueverint, & non aliàs, concentibuſque etiam minimis, tàm in ipſa functione, quàm ante, vel poſt eamdem.

Digitized by Google

dem, & nedùm in ipſa Eccleſia, ſed etiam ante eiuſdem, vel Monaſterii fores, & quocumque alio in loco penitus interdictis, vulgò *ſenza Muſiche, Cappelle, Zinſonie, Cantate, Mottetti*, & aliis hujuſmodi privatim induantur, vel in Miſſa privata ſine cantu celebranda, & ante Nonæ pulſationem, unà cum ſacræ veſtitionis cæremoniis, omninò abſolvenda, vel reſpectivè poſt Veſperas ab ipſis Monialibus, ſeù Clericis cantu dumtaxat Gregoriano, numquam figurato, ſeù, ut dicitur *a Cappella*, decantandas, & ante horam decimam tertiam cum omnibus annexis irrefragabiliter explendas. Hortamur autem ſingulorum Monaſteriorum Præfectas, puellaſque Monaſticis veſtibus induendas, ut Mundi pompas penitus conculcantes, & Divini Sponſi amorem facilius promerituræ, ad Sacrum habitum recipiendum Monaſterii ſepta non egrediantur, ſed intra Clauſtra conſtitutæ ad feneſtellam, Euchariſtico Cibo ſumendo deſtinatam, benedictas veſtes accipiant, Populique conſpectum in exteriori Eccleſia generosè contemnant.

37. Novitias annum integrum probationis ſub diſciplina Magiſtræ, omnibus, & ſingulis à Monaſterii Præſide deſtinatæ, tranſigere jubemus, & quidem in ea Cœnobii parte, quæ à manſionibus tùm Monialium, tùm educandarum ſit ſeparata. (*ttt*) Ubi autem locus non ſuppetat, veſtiendi facultas non dabitur. (*uuu*) Novitiarum verò Magiſtræ, non per vices, aut jure antianitatis eligantur, ſed quæ, earumdem virtute, prudentiâque ſpectatâ, magis in Domino idoneæ judicabuntur; & ſi qua vigeret Monaſterii Conſtitutio, vel legitima conſuetudo Juvenatum præſcribens, ſervetur omninò.

38. Probationis anno integrè abſoluto novum Novitiæ ſubire debent examen, noviſque ſuffragiis Capitularibus, prævia tamen Noſtra facultate, ad Profeſſionem admitti; & Religioſæ vocales, ni velint in hoc graviter errare, Dei gloriæ, & Monaſterii indemnitati, non autem affectui carnis, & ſanguinis, aut importuno propinquorum commodo unicè intendere. Virgines verò Deo conſecrandæ, cum Profeſſionem emittunt, ſeu, cum poſt ipſam dies ſolemnis Sacrationis advenerit, ſuperfluis, ac vanitate, tumultuque plenis parcant impenſis, (*xxx*) ſciantque ſolemnem Votorum Profeſſionem, decimo ſexto ætatis anno nondum expleto emitti, & annali tyrocinio exacto ultra quindecim dies protrahi non poſſe.

39. Antequam profiteatur, Exercitia Spiritualia peragere, & obtentâ ab Ordinario licentiâ, examinari, ut dictum eſt, diligenter Novitia debet, an benè percipiat quanti ponderis ſint Religionis Vota, quam obligationem inducant Conſtitutiones, Regulæ, aliæque

diſpoſitiones, & legitimæ conſuetudines ad ſtatum regularem pertinentes, & an hæc omnia exactè, atque ex animo parata ſit adimplere. [*yyy*] Die autem, & horâ ſolemni Profeſſioni deſtinatâ adveniente, eidem, dum emittitur, publicus Notarius, interſit, emiſſamque chirographo ſuo muniat; nomen deinde, & cognomen Profeſsæ, emiſſioniſque dies, Menſis, & Annus in Monaſterii Codicibus deſcribantur; & ab ea, non autem à Monachalis habitus ſuſceptione, jura antiquitatis deſumantur, quâcumque conſuetudine in contrarium non obſtante. (*zzz*)

40. Irrequiſito Ordinario nullus, ſub gravibus pœnis, ad Monaſterii ſervitium admittatur, neque Capellani, aut eorum ad longum tempus ſubſtituti, neque rerum temporalium Procuratores, ſive negotiorum geſtores, nec Medici, Chirurgi, piſtores, molitores, nec famuli, aut famulæ, vulgò *Fattori*, *e Fattoreſſe*, aut cujuſcumque generis familiares Artifices, qui frequenter cum Monialibus agere, aut verſari debent. (*aaaa*)

41. Si quis autem Sacerdos ab Ordinario non approbatus, neque in Archiepiſcopali Cancellaria deſcriptus, Procuratoris munus, ſeù ea, quæ ad Monaſterii Procuratorem pertinent, exercere audeat, in ſuſpenſionem à Divinis ad Menſem, ſi verò ſit Laicus, in excommunicationem ipſo facto incidat. (*bbbb*)

42. Oſtendatur etiam, ac tradatur Noſtro Cancellario eo ipſo die, in quo nova Monaſterii Præſes, ſeù Abbatiſſa erit eligenda, exacta præteritæ Præfecturæ triennalis expenſi, & accepti computatio. (*cccc*)

43. Meminerint pariter Moniales ſingulæ, quibus cura quorumcumque officiorum à Monaſterii Præſide demandatur, ſibi, proût in Literis juſſu Sanctiſſimi D. N. Clementis XI. in Additionibus impreſſis, expreſsè prohiberi, ne quicquam præter propriam operam in ejſdem officiis impendant, firmiterque decerni expenſas omnes in illis faciendis ad Monaſterium dumtaxat ſpectare.

44. Quantum ad Sacrarum rerum adminiſtrationem attinet, hæc mandamus. Nullus Sacerdos, qui Capellani, vel ſubſtituti munere non fungatur, vel aliter actu Monaſterio non inſerviat, in Sanctimonialium Eccleſiis, iis exceptis, quibus Animarum cura eſt annexa, aut aliquo particulari privilegio ſunt munitæ, abſque debita facultate audeat celebrare, ſub arbitrii Noſtri pœna, ſi Secularis ſit, infligenda, ſub pœna verò interdicti, ſi Regularis. (*dddd*) A Noſtra tamen Sanctione excipi volumus dies Feſtos Sanctorum Ordinum Titulares, funerales, eoſque præterea, qui Sacri habitus ſuſceptioni, Votorum ſolemnium Profeſſioni, ac Monialium Conſecrationi ſpecia-

cialiter deſtinantur; in quibus DD. Gubernatoribus, vel in eorum defectu Monialium Confeſſariis permittitur, eos Sacerdotes, quos judicaverint, ad Miſſas celebrandas advocare; non tamen iis ex hac occaſione licebit, abſque ſpeciali facultate cum Monialibus colloqui.

45. Adventus, & Quadrageſimæ tempore ad Dei verbum annunciandum in ſingulis Monaſteriis Concionatores deputentur, quibus ullo pacto ſeorſim cum Monialibus colloqui, extra caſum neceſſitatis, interdictum ſibi eſſe ad memoriam reducimus. (*eeee*)

46. Ut Tridentinæ Synodi Decreto ſatisfiat, & Monialium libertati conſcientiam ſuam aperiendi proſpiciatur, Abbatiſſis, Prioriſſis, aliiſque Monaſteriorum Præfectis, necnon & Confeſſariis ordinariis, etiam irrequiſitis, vel repugnantibus Monialibus, expreſsè mandamus, ut ſaltem bis in anno Ordinarium tempeſtivè moneant de Confeſſario extraordinario mittendo, (*ffff*) coram quo omnes omninò, quæ verâ infirmitate non impediantur, comparere volumus; & licet apud illum confiteri nolint, eidem nihilominus ſe reverenter ſubdant, Sacram Benedictionem humillimè petendo.

47. Confeſſarii pariter ordinarii tempore extraordinariatus ad Monaſterium, abſque Noſtra ſpeciali licentia, non accedant; præterquam ad Sacras functiones, juxtà morem cuiuſcumque Monaſterii, in Eccleſia peragendas, & tunc temporis interdictam ſibi eſſe norint, ſub pœna amiſſionis officii, colloquutionem cum Monialibus (*gggg*), quæ ipſis etiam prohibetur exacto ſacri miniſterii triennio. (*hhhh*)

48. Omnibus prætereà Confeſſariis quibuſcumque prohibemus, ne quicquam de Regulis, Conſtitutionibus, ac legitimis Monaſteriorum conſuetudinibus immutent, nec ullum, quamvis pium, uſum à Monialibus obſervandum, Nobis inconſultis, inducant. (*iiii*) Parvos ſimiliter Habitus, Cingula, aut Inſignia alterius Ordinis, ſub pœna Nobis arbitraria, non tradant. (*kkkk*)

49. Serio quoque perpendant Confeſſarii ſe directores Animarum eſſe, non Præſides Monaſterii. In eis proindè paterna quædam eluceat, & ſpiritualis morum, ac verborum gravitas, non autem imperium, aut indiſcreta ſeveritas; caveant tamen, ne, dum Moniales alloquuntur, eâ utantur inordinatâ familiaritate, quæ, ſi ſit univerſalis, Sacerdotii dedecet dignitatem, ſi verò particularis, etiam notam damnabilem affectus ſingularis inurit, & ſcandalum parit. (*llll*) Eos etiam cautos in ſermocinando eſſe jubemus, ac eâ prudentiâ de culpis, ac defectibus in piis colloquiis, ac concionibus lo-

 qui,

qui, ut ne leviſſimè quidem hoc, vel illud ex Confeſſionibus cognitum, & acceptum eſſe Moniales ſuſpicari queant, ſciantque hac in re errata etiam minima maximis exæquare, & à parva ſcintilla maxima nonnumquam incendia excitari. *(mmmm)*

50. Cum verò Monaſterii ſepta ingrediuntur, ſuperpelliceo, & ſtolà utantur, ac in excipiendis ægrotantium Confeſſionibus cubiculi januam ità occludi curent, ut videri quidem, non tamen audiri à Monialibus poſſint. *(nnnn)*

51. Tandem, ut præſentes Noſtræ, & Prædeceſſorum Noſtrorum Conſtitutiones exactè cuſtodiantur, neque ulla ignorantiæ earum excuſatio prætendi poſſit, ſingulis Confeſſariis ordinariis Monaſteriorum præcipimus, ut, ſaltem ſemel in anno, earum ſenſum, ac vim aperire debeant, eaſque ſub arbitrii, & indignationis Noſtræ pœna, obſervari curent, & obſervent. *(oooo)*

(a) *Synod.* 1691. *tit.* 7. *cap.* 4. *n.* 3., (b) *Synod.* 1619. *tit.* 14. *cap.* 4. §. 8., *Synod.* 1691. *tit.* 7. *cap.* 6. *n.* 4., *&* 1699. *tit.* 17. *cap.* 8., (c) *Edictum Petri Niccolini* 1. *Auguſti* 1645., *Synod.* 1666. *tit.* 8. *cap.* 2., *ubi Literæ S. Congregat.* 3. *Septemb.* 1666., (d) *Synod.* 1619. *tit.* 14. *cap.* 2. §. 3. *&* 4., [e] *Synod.* 1691. *tit.* 7. *cap.* 3. *num.* 6., (f) *Synod.* 1619. *tit.* 14. *cap.* 2. §. 6., (g) *d. Synod.* 1619. *ibid.* §. 5., *&* 1645. *tit.* 27. *cap.* 14., *& in Edicto Petri Niccolini* 1. *Auguſti* 1645. §. 14., *Synod.* 1691. *tit.* 7. *cap.* 6. *num.* 3., *&* 1699. *tit.* 17. *cap.* 7., (h) *dd. Synod* 1619. 1645. 1691. 1699. *ubi ſupra*, (i) *Edictum Cardin. Alexan. Medic.* 8. *Febr.* 1581. *inſert. in Synod.* 1637. *fol.* 33., *Synod.* 1619. *tit.* 14. *cap.* 4. §. 7., (k) *dict. Edict. anni* 1581. *ibid.*, (l) *Synod.* 1691. *tit.* 7. *cap.* 6. *n.* 3. *&* 8., (m) *Synod.* 1619. *tit.* 14. *cap.* 4. §. 7., *Synod.* 1691. *ubi ſupra cap.* 6. *n.* 3., (n) *Edictum Cardin. Alex. Medic. impreſſ. in Synod.* 1637., *Synod.* 1681. *tit.* 22. §. 10., *&* 1691. *tit.* 7. *cap.* 6. *&* 8., (o) *Synod.* 1619. *tit.* 14. *cap.* 4., *&* 1691. *tit.* 7. *cap.* 6. *n.* 3., *& cap.* 5. *n.* 7., *&* 1699. *tit.* 4. *cap.* 4., *&* 1678. *tit.* 11. *cap.* 1., (p) *Synod.* 1691. *tit.* 7. *cap.* 1. *n.* 4., (q) *Synod.* 1619. *tit.* 14. *cap.* 4. §. 5., *&* 1681. *tit.* 22. §. 2., *&* 1699. *tit.* 17. *cap.* 5., (r) *Synod.* 1663. *tit.* 9. *cap.* 3., *&* 1691. *tit.* 7. *cap.* 8. *n.* 6., (ſ) *Synod.* 1645. *tit.* 4. *cap.* 17. §. 4., *Edict. Petri Niccol.* 1. *Auguſti* 1645. §. 8., (t) *Synod.* 1666. *tit.* 8. *cap.* 1., *ubi Epiſt. S. Congr. diei* 3. *Octobris* 1664., (u) *Synod.* 1666. *dicto tit.* 8. *cap.* 1., (x) *Decr. S. Congreg. apud Pignatell. conſult. canon.* 85. *n.* 252. *tom.* 6., (y) *Synod* 1619. *tit.* 14. *cap.* 4. §. 10., (z) *Synod.* 1681. *tit.* 22. §. 5., *&* 1691. *tit.* 7. *cap.* 9. *n.* 4., *&* 1699. *tit.* 17. *cap.* 3., *Decret. S. Congreg. apud Pignat. conſult.* 81. *n.* 247. *tom.* 6., *Synod.* 1674.

1674. *tit.* 13. *cap. unic.*, *&* 1678. *tit.* 11. *cap.* 2., (aa) *Synod.* 1619. *tit.* 14. *cap.* 4. §. 10., *&* 1645. *tit.* 4. *cap.* 27. §. 7. *&* 8., *& in Edicto Petri Niccolini* 1. *Auguſti* 1645. §. 7. *&* 8., *Synod.* 1691. *tit.* 7. *cap.* 6. *n.* 5., *&* 1699. *tit.* 17. *cap.* 9., (bb) *Synod.* 1619. *d. loco* §. 6., *&* 1645. *ubi ſupra* §. 6., *&* 1681. *tit.* 22. *cap.* 6., *&* 1691. *n.* 3., *&* 1699. *cap.* 3., *&* 1678. *tit.* 11. *cap.* 3., *Edict. Petri Niccol.* 1645. §. 6., (cc) *Edict. Petri Nicol.* 1. *Auguſti* 1645. §. 16., (dd) *Synod.* 1619. *tit.* 14. *cap.* 4. §. 11., (ee) *Synod.* 1645. *tit.* 27. §. 4., *& in Edict. Petri Niccolini prima Auguſti* 1645. §. 4. *&* 5., *Synod.* 1666. *tit.* 8. *cap.* 1. *ubi Literæ S. Congregationis* 3. *Ord.* 1664., *& Synod.* 1674. *tit.* 13. *cap. unic.*, *Decret. S. Congreg.* 27. *Apr.* 1604. *apud Monacell. formular. legal. tit.* 5. *cap.* 4. *tom.* 2. *fol.* 238. *Venetiis*, (ff) *Synod.* 1699. *tit.* 17 *cap.* 4., (gg) *Synod.* 1691. *tit.* 7. *cap.* 6. *n.* 4., (hh) *Synod.* 1645. *tit.* 4. *cap.* 27. §. 17., *Edict. Petri Niccol.* 1. *Auguſti* 1645. §. 17., *Synod.* 1619. *tit.* 14. *cap.* 3. §. 4., (ii) *Synod* 1619. *tit.* 14. *cap.* 2. §. 4., *&* 1645. *tit.* 4. *cap.* 27. §. 20., *Edict. Petri Niccol.* §. 2., *Synod.* 1691. *tit.* 7. *cap.* 5. *n.* 1., (kk) *Synod.* 1619. *tit.* 14. *cap.* 3. §. 7., (ll) *Synod.* 1619. *ubi ſupra* §. 6., *Decret. S. Congregat. apud Pignattell. conſult. canon.* 85. *num.* 213. *tom.* 6, [mm] *dicta Synod.* 1619. *ibid.* §. 6., *&* 1691. *tit.* 7. *cap.* 5. *n.* 3., (nn) *Synod.* 1691. *tit.* 7. *cap.* 5. *n.* 2., (oo) *Synod.* 1619. *d. cap.* 3. §. 8., *Edict. Petri Niccolini* 1. *Auguſti* 1645. §. 21., (pp) *Synod.* 1619. *d. cap.* 3. §. 7., (qq) *d. Synod.* 1619. *cap.* 3. §. 4., *&* 1678. *tit.* 11. *cap.* 6., *&* 1691. *tit.* 7. *cap.* 5. *num.* 3., (rr) *dicta Synod.* 1691. *cap.* 8. *num.* 14. *tit.* 7., (ſſ) *dicta Synod.* 1691. *cap.* 11. *num.* 1., (tt) *d. Synod.* 1691. *tit.* 7. *cap.* 4. *num.* 4., *&* 1678. *tit.* 11. *cap.* 8., (uu) *Synod.* 1637. *tit.* 21. *fol.* 35., *Edict. Petri Niccolini* 1. *Aug.* 1645. §. 11., *Synod.* 1691. *tit.* 7. *cap.* 9. *num.* 3., (xx) *Synod.* 1645. *cap.* 27. §. 1., *& in Edicto Petri Niccol. ubi ſupra* § 9., *Synod.* 1637. *tit.* 21. *fol.* 36., (yy) *dicta Synod.* 1645. *ubi ſupra* §. 10. *edito d.* §. 9., *Synod.* 1691. *tit.* 7. *cap.* 2. *num.* 3. (zz) *dicta Synod.* 1691. *cap.* 9. *num.* 3., [aaa] *Synod.* 1645. *tit.* 4. *cap.* 22. §. 11., *& in Edicto Petri Niccolini* §. 14., *Synod.* 1656. *tit.* 3. *cap.* 2., *&* 1674. *tit.* 13. *cap. unic.*, *&* 1678. *tit.* 11. *cap.* 9. *&* 1691. *tit.* 7. *cap.* 9. *n.* 4., (bbb) *Synod.* 1619. *tit.* 14. *cap.* 1. §. 2., (ccc) *Synod.* 1691. *tit.* 7. *cap.* 3. *n.* 3. *&* 4., *& cap.* 9. *n.* 2., *Decr. S. Congr. apud Monacell. in formul. legal. tit.* 13. *form.* 5. *n.* 11. *&* 12. *tom.* 2. *fol.* 127. *Venetiis*, (ddd) *dicta Synod.* 1691. *cap.* 8. *n.* 9., (eee) *dicta Synod.* 1691. *cap.* 9. *num.* 2., (fff) *Synod.* 1663. *tit.* 9. *cap.* 4., (ggg) *Synod.* 1619. *tit.* 14. *cap.* 1. §. 2. *&* 3., *&* 1691. *tit.* 7. *cap.* 3. *num.* 5.,

num. 5., (hhh) *dicta Synod.* 1619. *tit.* 14. *cap.* 1., & 1691. *tit.* 7. *cap.* 3. *n.* 2. *vide DD. relatos per Monacell. in formul. legal. par.* 3. *tit.* 4. *fol.* 252. *Venetiis*, (iii) *Synod.* 1681. *tit.* 22. §. 8., (kkk) *Synod.* 1678. *tit.* 11. *cap.* 5., [lll] *Synod.* 1663. *tit.* 9. *cap.* 6., (mmm) *Synod.* 1619. *tit.* 14. *cap.* 1. §. 1., & 1645. *tit.* 27. §. 22., *Edict. Petri Nicol.* 1. *Aug.* 1645. §. 22., & *Synod.* 1678. *tit.* 11. *cap.* 4. (nnn) *d. Synod.* 1619., & *alii*, *ut proximè ſupra*, (ooo) *Synod.* 1619. *ubi ſupra* §. 5., (ppp) *Synod.* 1666. *tit.* 8. *cap.* 4., (qqq) *Synod.* 1691. *tit.* 7. *cap.* 3. *n.* 6. *Enciclica anni* 1703. *Clementis XI.*, (rrr) *Edict. Petri Niccolini prima Auguſti* 1645. §. 22., *Synod.* 1645. *tit.* 4. *cap.* 27. §. 22., (ſſſ) *Synod.* 1619. *ubi ſupra* §. 3., & 1691. *tit.* 7. *cap.* 3. *n.* 5., (ttt) *Synod.* 1645. *tit.* 4. *cap.* 27. §. 9., (uuu) *Synod.* 1691. *tit.* 7. *cap.* 3. *num.* 7., (xxx) *Synod.* 1645. *tit.* 27. §. 23. *Edict. Petri Niccol.* 1645. § 23., *Synod.* 1691. *tit.* 7. *cap.* 3. *n.* 5., (yyy) *Synod.* 1691. *ubi ſupra num.* 8., (zzz) *d. Synod.* 1691. *ibid. num.* 8. & 9., (aaaa) *Synod.* 1619. *tit.* 14. *cap.* 6. §. 11., *Edict. Petri Niccol. prima Auguſti* 1645. §. 12., & *Synod.* 1691. *cap.* 8. *n.* 12., (bbbb) *d. Synod.* 1691. *d. cap.* 8. *n.* 15., (cccc) *Synod.* 1645. *tit.* 27. §. 18., & *in Edicto Petri Niccol.* §. 18., (dddd) *Edict. Alex. Martij Medic.* 22. *Iunij* 1624. *impreſſum in Synod.* 1691. *tit.* 7. *cap.* 8. *nu.* 11., (eeee) *d. Synod.* 1691. *ubi ſupra*, (ffff) *Synod.* 1619. *tit.* 14. *cap.* 6. *n.* 7., (gggg) *Synod.* 1619. *d. cap.* 6. §. 7., & 1691. *cap.* 8. *n.* 5., (hhhh) *Synod.* 1619. *d. loco* §. 13., & 1637. *tit.* 21. *fol.* 36., (iiii) *Synod.* 1691. *cap.* 8. *n.* 7., (kkkk) *d. Synod. ibid. n.* 7. (llll) *Synod.* 1619. *cap.* 6. *n.* 9., (mmmm) *d. Synod.* 1619. *num.* 8. *ibid.*, (nnnn) *Synod.* 1691. *tit.* 7. *cap.* 8. *n.* 3., *ubi Literæ Circulares S. Congregat.* 21. *Martij* 1682., (oooo) *Synod.* 1681. *tit.* 22. §. 12.

TITULUS IV.

DE JUDICIIS.

1. AB Eccleſiis, earumque Miniſtris, quorum jura, ac dignitates tutati ſumus, exulare penitus contentiones deceret, ut toti Deo ſervirent, qui uni Deo devoventur. Cum tamen humanæ conditionis infirmitas, prout experimento docemur, angelicam vivendi formam non patiatur in terris, cumque frigidum illud verbum,

bum, *meum*, ac *tuum*, neque modicas, neque raras de Juriſdictio-
ne, de Præeminentiis, de rerum poſſeſſione, ac dominio, de credi-
to, & debito, alijſque de rebus judiciales concertationes excitet: proptereà litibus, & controverſiis celeriùs dirimendis Judiciorum materiam aggredimur. Quoniam verò, quæ Eccleſiaſticorum Judicum officium, & poteſtatem, quæ judiciariam telam; quæ Cauſidicorum, Notariorum, Scribarum, aliorumque Curiæ Officialium fidem, onera, & emolumenta concernunt, providè à Prædeceſſoribus Noſtris ſancita fuerunt in ſingulis Provincialibus annorum 1517., (*a*) & 1573., (*b*) & ſucceſſivè relata in Reformationibus Curiæ de anno 1590., (*c*) & de anno 1691. (*d*) idcircò ad prolixitatem, & ambiguitatem tollendam, quæ ex formularum diverſitate in recompilando plerumque contingit, eaſdem ſupra recenſitas Provinciales Conſtitutiones, & Curiæ Noſtræ Reformationes, noviſſimam præſertim Eminentiſſimi Morigiæ hactenus obſervatam, confirmamus, & approbamus, & pro hic ad literam inſertas haberi, omnimodeque obſervari mandamus, quoad ea, quæ, vel non adverſantur ad invicem inter ſe, habitâ ſemper in caſu diſcordiæ ratione poſteriorum, vel non pugnant cum infraſcriptis Decretis, ad majorem declarationem, ſeù moderationem antiquarum Conſtitutionum, & ad recentiorum temporum opportunitatem ſpecialiter conſtitutis.

(a) *Rubr. de for. compet., & de Iudic.*, (b) *Rubr. 55. de for. compet.*, (c) *Reformat. Curiæ Alex. Card. Medices*, (d) *Refor. Curiæ Card. Morigiæ.*

CAPUT I.

DE FORO COMPETENTI.

1. DEcet Clericum, & Populum, qui unum Reipublicæ corpus efficiunt, ad juſtitiæ complementum auxiliarias viciſſim ſibi manus dare; ità tamen, ne alterutrius jura lædantur, neve Clericorum res, aut perſonæ laici unquam Judicis committantur arbitrio.

2. Clericus igitur, ſi de noſtra, vel Vicarii Noſtri Generalis licentia, tàm in cauſa civili, quàm criminali, pendente in Foro laicali, teſtimonium ſit perhibiturus, (*a*) ſacramento veritatis dicendæ, in manu Vicarii ejuſdem, vel Clerici cujuſpiam ab eo deputati, ſeſe obſtringat, numquam in manu Judicis Secularis. Cum tamen criminale Judicium agitur, contra inquiſitum teſtificari pro Fiſco, vel pro Parte offenſa Clericus omninò prohibetur. Et ad defenſam indu-

inductus, priuſquam ei licentia concedatur, tenorem articulorum, vel atteſtationis Vicario Noſtro videndum exhibeat, ne fortè defenſio unius alterius offenſam involvat, quod neutiquam permitti volumus, ſub pœnis in Cap. *de Vita, & Honeſtate Clericorum* ſuperius inflictis. (*b*)

3. Ne perperam à Curia Noſtra cauſsæ per Vicarium Noſtrum Jure ordinario, aut Metropolitico in prima, vel reſpectivè ſecunda inſtantia cognoſcendæ divellantur, Conſtitutiones Apoſtolicas Urbani VIII., Alexandri VII., & Clementis X. Summorum Pontificum, necnon Decretum à Sacra Congregatione Concilii emanatum uſque de anno 1627. ad memoriam reducimus, & exactè obſervari mandamus, quod ut faciliùs aſſequamur, eorumdem exempla in Additionibus ad hoc Caput tranſcribi fideliter præcepimus.

(a) *Synod. Diœc.* 1508. *lib.* 5. *tit. de Accuſat.*, (b) *Genuen. in praxi fori Archiep. Neap. cap.* 34. *&* 35.

CAPUT II.

DE CAUSSIS EXECUTIVIS.

1. Creditorum commodis proſpicientes, & litium protelationi in cauſſis, præſertim executivis, obviantes, Reformationem Curiæ anni 1691. ad §. XLII. verſ. 5. duximus moderandam. Facultatem igitur ibidem impertitam realem executionem paſſis, vel ad perſonalis relaxationem citatis petendi terminum decem currentibus diebus non longiorem ad jura ſua producendum, veluti numquam uſu Curiæ Noſtræ receptam abolemus, nec alias Reo dilationes concedimus, quam quæ in §§. 24. & 25. ejuſdem Reformationis continentur. Non rarò contingit mandata executiva, tàm realia, quàm perſonalia, vel debitoris inopiâ, vel ejuſdem latitatione fruſtrari. Ne igitur creditores jacturam ſentiant illius taxæ, vulgò, *Diritto*, quàm in actu factæ ſibi conſignationis literarum perſolvi capſæ Noſtræ hactenus conſueverunt, de effectu executionis adhuc incerti: jubemus ad ejuſcemodi taxæ ſolutionem creditores non eſſe cogendos, niſi gravamento, vel capturâ ſequutis, & ſtatim ac per nuncium exequentem exhibita fuerit relatio capti pignoris, vel perſonæ, proùt latius in Edicto Noſtro de die 8. Auguſti 1710., quod in Additionibus damus.

C A-

CAPUT III.

DE SUBHASTATIONIBUS.

1. Debitorum, creditorumque cedit incommodo prætoria pignora, rerum præſertim immobilium, minoris vænire, quàm valeant, & contra juſtitiam eſt, cariori pretio æſtimata, quàm ut emptorem inveniant, adjudicari in ſolutum creditori, etiam invito, cum duplici jactura pretii rigoroſi, & quantitatis in ſpeciem converſæ.

2. Quamobrem, jus ſuum unicuique tribuentes, jubemus, ut periti Æſtimatores, à quorum iniqua plerumque relatione conſtituti pretii, etiam primò, ſecundò, ac tertiò moderati, & quintâ ſui circiter parte diminuti derivat exceſſus, & inveriſimilis ceteroquin licitatorum abſtinentia, ac Bonorum inemptio conſequuntur, nullam in æſtimando rationem habeant triplicis diminutionis, quàm in totidem ſubhaſtationibus pati ſolent Bona immobilia publicæ licitationi expoſita, ſed tanti æſtiment ab initio, quanti tunc vendi commodè poſſe putant, nullâ prorſus expectatâ reductione æſtimationum, quod ſpecialiter in poſterum jurare Peritos volumus, ac jubemus, cum eis conſuetum de fideliter æſtimando juramentum defertur. Licèt enim à trina conſueta, ac juridica, cum opus fuerit, moderatione æſtimationis non ſit poſtmodum abſtinendum; attamen, vel licitantium æmulatio debitorum damna compenſat, vel æquum eſt tanti minoris rem valere, cum adjudicatur creditori, qui ſpeciem pro quantitate recipere compellitur.

3. Antequam verò Judex ad hujuſmodi adjudicationem in ſuo caſu procedat, creditore petente permittimus, ut extra Judicium de juſtitia æſtimationis quærere, & injuſtam reperiens, proùt aliquando in Tribunalibus etiam laicis fuiſſe ſervatum novimus, quartam arbitrariam pretii reductionem decernere poſſit.

4. Ut autem Bona haſtæ ſubjecta juſto pretio, & quanti plurimi ad commune debitoris, creditoriſque commodum vendantur, rejecto veteri ſtylo auctionandi ad candelam accenſam, ſervari Decretum Noſtrum præcipimus de die 24. Januarii 1709., in quo admitti licitantium oblationes decernimus uſquequo, prævià trinâ monitione Præconis inſtantis deliberationis, nullus alius major oblator reperiatur.

CAPUT IV.

DE DILATIONIBUS.

1. CAuſſarum opportunitas expoſcit aliquando, ut ad Partis alicujus inſtantiam Judex cuivis tertiò præcipiat exhibitionem Scripturarum, ſeù documentorum ad cauſſam facientium. Quia verò conſumptis dilationibus juxtà naturam intentati Judicii, in fraudem legis, & ad expeditionem cauſſæ ulterius protelandam, præcepta hujuſmodi quandoque poſtulantur, iubemus in poſterum, ne compulſorialia hæc præcepta contra quemquam per Judicem committantur, niſi prius petens juraverit de calumnia; quod ſi in progreſſu cauſſæ præcepto compulſus nihil, vel penitus irrelevans aliquid exhibuerit, Procuratorem puniendum ſtatuimus arbitrariis pœnis; & ne ulterius in Curia Noſtra cauſſas dicere poſſit, prohibemus, etiamſi pro commiſſione præcepti ipſemet Principalis, non Procurator inſtetiſſet.

CAPUT V.

DE POSITIONIBUS.

1. RIgoroſa diſpoſitio noviſſimæ Reformationis anni 1691. in §. 5. ut nonniſi per verbum credit, vel non credit, Poſitionibus reſpondeatur, communi omnium Tribunalium conſenſu, receſſit ab aula. Ut igitur Judex aliam quamlibet reſponſionem de Jure admittendam recipiat, in poſterum indulgemus.

CAPUT VI.

DE TESTIBUS.

1. SOlertia litigantium, & fracta teſtium fides, recentem in Judiciis cautelam induxerunt, ut plures numero teſtes, ob metum ſubornationis, nonniſi unus poſt alium immediatè, ad Partis interrogatoria producentis inſtantiam, examini ſubiiciantur. Quoniam verò immodicus teſtium numerus, & prolixitas examinis, etiam aliis ultra cauſſæ Actuarium Notariis adjunctis, admiſſæ ceteroquin à Judice petitionis effectum non patiuntur, ejuſdem Judicis prudenti arbitrio committimus, à decreto examinis rigore deflectere, & prout Partium indemnitati in Domino expedire putaverit, toties quoties providere.

CA-

CAPUT VII.

DE SENTENTIA, ET RE JUDICATA.

1. EXequutiones vigore Sententiæ relaxandas, dummodò mandatum executivum die utili per Judicem decernatur, in qualibet die, etiam feriata, non tamen in honorem Dei, ac Sanctorum ejus, exequi poſſe declaramus, juxtà conſuetudinem Curiæ Mercantiæ, quàm in executivis, ex diſpoſitione Synodi Provincialis anni 1517., amplectitur Noſtra Curia Archiepiſcopalis.

CAPUT VIII.

DE CAUSSIS MATRIMONIALIBUS.

1. QUod Deus conjunxit, homo non ſeparet. Jubemus igitur, ut in cauſſis Matrimonialibus, ſive de thori ſeparatione, (*a*) ſive de nullitate Matrimonij agatur, ne aliquid fraudis, vel colluſionis ſubrepat, citetur etiam Procurator Fiſci Archiepiſcopalis, qui Matrimonii partes acriter ſuſtineat, ei adhærendo, qui validitatem aſſerit, aut ſeparationem impugnat; aliàs Acta nullitatis vitio ſint obnoxia.

(a) *Synod. Diœc.* 1666. *tit.* 10. *cap.* 3. *de Iudiciis*.

CAPUT IX.

DE PROCURATORIBUS.

1. NOn ſine vehementiſſimo animi Noſtri mœrore nuper intelleximus, nec tamen credidimus, quoſdam è Curiæ Noſtræ Cauſidicis, à priſtina muneris integritate, in ſummum officii ſui, propriæ æſtimationis, ac Tribunalis Noſtri probrum, & dedecus deflectentes, in Aſſeſſorum electione, rara quidem coram Vicario Noſtro Generali, frequenti autem coram Judicibus ab Apoſtolica Sede delegatis, vel nominare viros doctrinali laureâ minimè decoratos, & judicandi peritiâ prorſus expertes, & quandoque proprios etiam amanuenſes, & ſtudiorum coadiutores, vel conſuetas Judicum confidentium notulas judicialiter exhibere, iiſdem eligendorum nominibus iteratò expreſſis, cum ad faciliùs in unum, vel plurium electione, collatis utriuſque Partis ſchedulis, concordandum variare jubentur. Quapropter ſub Noſtræ indignationis interminatione, & ſub pœna remotionis ab officio, aliiſque arbitra-

riis præcipimus, ut in Aſſeſſorum electionibus, quâcumque obductâ clientum perſonaliter exhibentium voluntate, ac excuſatione rejectis, eos tantùm ad id muneris proponant, qui in aliqua publica Univerſitate, in utroque Jure fuerint laureati, & notoriè ad judicandum idonei, niſi Mercatores, vel alterius cujuſpiam ſpecialis Artis Periti fuerint ex Judicis decreto concorditer eligendi, & ut in ſingulis notulis exhibendis, quâcumque fraude penitus eliminatâ, Judices, ſeù Aſſeſſores aliâ vice non nominatos, proùt Juſtitiæ, ac ſinceritatis ratio poſtulat, omninò proponant.

CAPUT X.

DE NOTARIIS.

1. Notariorum Noſtrę Curię profectus æquâ lance librantes, & diſſidia præcaventes, ſimulque litigantium indemnitati proſpicientes, nullitatem Actorum ipſo jure, & ipſo facto decretam in noviſſima Curiæ Reformatione anni 1691. §. 51. ita moderamur, ut ſi fortè cauſſa quæpiam extractioni ſubiecta, furtim fuerit introducta per Acta cujuslibet Notarii Noſtræ Curiæ è conſuetâ cauſſarum Burſa minimè extracti, & ad Sententiam uſque incluſivè proſecuta, ſubiaceat nullitatibus, & pœnis in eod. §. 51. latè contentis. Si verò Judicium ab initio bonâ fide introductum de exceptis fuerit, & Notarii extractionem de ſui natura non popoſcerit, juxtà regulam traditam in eadem Reformatione §. 49. tunc, licet in progreſſu cauſſæ per viam reconventionis, replicationis, exceptionis, ſeu ſubalternæ petitionis, diverſam naturam induerit, non propterea ad Notarii extractionem cum Partium diſpendio deveniri, ſed per eadem Acta cauſſam proſequi jubemus. Ad æqualitatem tamen ſervandam, ſi Judex pronunciaverit ſuper articulo, ſeù petitione extractioni Notariorum obnoxio, vel obnoxia, Notarium eumdem, qui Acta cauſſæ ceteroquin extrahendæ conſcripſit, pro ſemel extracto haberi volumus ab illa Burſa, undè forte extrahi debuiſſet, & ſi Notarius de illis fuerit non habentibus ſchedulam in Burſis, teneri ad intereſſe volumus favore Connotariorum. Conſtito verò de fraude ejuſdem Notarii, qui cauſſam de ſui natura extractioni ſubiectam, quæſito colore fucaverit, eidemque exequutivi Judicii perſonam obduxerit, arbitrariis graviſſimis pœnis, etiam remotionis ab officio, condemnamus.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XI.

DE CAMERARIO NOSTRÆ MENSÆ.

1. PRovidè diſpoſita in §. 43. modernæ Reformationis, (*a*) ut Camerarius poſt annum, conſulto Vicario Noſtro Generali, & debitore citato, maturè procedat ad ſubhaſtationem pignorum, quæ ſervando ſine detrimento ſervari non poſſunt in grave eorumdem debitorum præjudicium, quia non exactè, ut oportet, ad praxim reducuntur, adiectâ pœnâ roborari poſſe credidimus. Præcipimus itaque, ut officii ſui memor, Camerarius exactè impleat munus ſuum, & negligentem in duplum damni extrajudicialiter liquidandi à Vicario Noſtro Generali, inſtante tamen gravato, vel quopiam intereſſe habente, condemnamus.

2. Vacantium, ſeù recommendatorum Beneficiorum, quorum, generalis Occonomi titulo, res adminiſtrat, ita negotia gerat, ut laudari à Nobis, & à ſucceſſoribus in Beneficio mereatur. Et quoniam non ſemel conqueſtiones Rectorum ad aures Noſtras pervenerunt, contra praxim dudum introductam exigendi emolumentum quinque pro centenario pro ſummis non exactis, & nondum relatis in Codicem accepti, quemadmodum ſunt penſiones domorum decurſæ, & nondum exactæ, pretia frugum adhuc in horreis exiſtentium, & his ſimilia: cum ejuſmodi conſuetudo contrà Juſtitiam fore videatur, & corruptelæ potius nomen mereatur, eam omninò improbamus, & abolemus, & pœnam refundendi tantundem damnificato, ultra arbitrarias pœnas, adiicimus.

(a) *Riform. 1691. pag. 26.*

TITULUS V.

DE CONSTITUTIONIBUS.

CAPUT UNICUM.

1. SYnodale Noſtrum Ædificium, quod in Fide fundavimus, quod Sacramentis compegimus, quod Eccleſiarum nitore, ac religione Miniſtrorum exornavimus, quod Judiciorum integritate communivimus, Legum tandem, in unum è multis Synodalibus Prædeceſſorum Noſtrorum Codicibus relatarum, concordiâ, certitudine, & authoritate perficimus, & ultimo veluti faſtigio coronamus.

2. In-

2. Innovamus itaque, & obſervari mandamus omnes, & ſingulas Conſtitutiones, Reformationes, Statuta, ac Decreta, quæ in geminis Provincialibus Synodis anno videlicet 1517. præſidente Julio Medices, tunc S. R. E. Cardinali, ac hujus Florentinæ Eccleſiæ Archiepiſcopo, poſtmodum ad Summi Pontificatus apicem evecto, & Clemente VII. nuncupato, & anno 1573. ſub Antonii Altovitæ, etiam Prædeceſſoris Noſtri, Præſulatu emanarunt.

3. Curiæ etiam Archiepiſcopalis Reformationem à clar. mem. Cardin. Jacobo Antonio Morigia, tunc temporis Archiepiſcopo, editam anno 1691., demptis paucis per Nos, varietati temporum obſequentes, emendatis in Titulo de Judicijs, in ea parte, quæ novis Sanctionibus Noſtris non obverſantur, confirmamus, & obſervari mandamus.

4. Ceteras autem Prædeceſſorum Noſtrorum Synodales Conſtitutiones, à quibus, præterquam in moderatione pœnarum, & in ſuppreſſione Legum, quas deſuetudo deleverat, vix unquam diſceſſimus, ſed imò normam, & legem accepimus, ne in tot volumina congeſtæ confuſionem pariant, delemus, & abrogamus, præcipientes, ut Noſtræ hæ tantum, quæ compilatio quodammodo præteritarum ſunt, & vigili eorum, qui Nos in Officio Paſtorali præceſſerunt, labore, ac prudentiâ refertæ, ſerventur, & attendantur.

5. Ubicumque de pœnis arbitrarijs egimus, earum genericâ appellatione, tàm pecuniarias, quàm corporis afflictivas comprehendi declaramus, illaſque Pijs pauperibus Locis, aut perſonis, & denunciantibus arbitratu Noſtro, etiam ubi id non exprimatur, applicandas fore decernimus.

6. Arbitrarias pœnas contra tranſgreſſores Noſtrarum Conſtitutionum, quantumvis in eiſdem aliquando prætermiſſas, Nobis tamen, ac Succeſſoribus Noſtris, ſemper, & quandocumque reſervatas declaramus.

7. Ut autem hæc, quæ ſtatuimus, in ædificationem ſint, & non in deſtructionem, omnibus, & ſingulis ad eorum obſervantiam, de Jure, ac conſuetudine quomodocumque obſtrictis, abdita cordis Noſtri ſecreta revelantes, patefacimus hanc eſſe mentem Noſtram, ne per hæc Decreta Noſtra Synodalia novis peccatis onerentur tranſgreſſores, niſi quis ex contemptu ea violaret, & niſi quis Conſtitutiones illas, & Decreta, poſtpoſitâ obſervatione, contemneret, quibus annexa eſt pœna Excommunicationis, vel Suſpenſionis, vel Interdicti generalis; vel non obſervaret ea, quæ ſtatuuntur per huiuſmodi verba, videlicet: in virtute S. Obedientiæ; vel: diſtrictè mandamus,

præ-

præcipimus, iniungimus, prohibemus, vetamus, inhibemus, vel per alia conſimilis ſignificationis, & enixam Noſtram voluntatem æquipollenter exprimentia.

8. Præſentes denique Conſtitutiones, quarum ambiguitates Nobis, & Succeſſoribus Noſtris declarandas reſervamus, tenorem autem, præſertim ſi quid Sacris Canonibus, aut Pontificijs Decretis, vel Sacrarum Congregationum de Urbe reſponſis repugnaret, filiali prorſus obedientiâ Summæ Apoſtolicæ Sedis correctioni, & emendationi humiliter ſubiicimus, vim ſuam habere decernimus poſt duos menſes, ab earumdem impreſſione computandos.

9. Ceterum dilectiſſimum Gregem Noſtrum, & omnes in Paſtoralis Noſtræ ſolicitudinis partem evocatos peramanter hortamur, & obſecramus in eo, qui eſt Princeps Paſtorum, ut accuratiſſimè Conſtitutiones has Noſtras, Virtutis amore, non formidine pœnæ cuſtodiant, & ut eas æquâ mentis alacritate, ac integritate recipiant, quâ Nos, eorum ſaluti unicè intendentes, dictavimus, atque ſancivimus.

LAUS DEO.

DE

DE EXAMINATORIBUS SYNODALIBUS.

Omnis Eccleſiaſticæ diſciplinæ ratio in illorum vita, moribus, ſcientia, & probitate ſita eſt; qui ad Eccleſiæ Dei miniſterium, ſive in Ordinum gradibus, ſive in Animarum regimine aſſumuntur. Hac de cauſa Sacroſancta Tridentina Synodus, quàm laudabilis Prædeceſſorum Noſtrorum conſuetudo ſecuta eſt, ſtatuit, ut Examinatores in Synodo eligantur, qui, tamquam Prælatorum oculi, ea omnia in promovendis expendant, idoneos approbantes, repellentes non idoneos. Ab ipſorum enim ſolerti, fideli, ac recto judicio totius Chriſtianæ Reipublicæ bonum dependet. Eidem itaque Sacroſanctæ Synodo inhærentes, Viros ſpectatæ Virtutis, atque ſolidæ integritatis eligimus, ac deſignamus, qui de incorruptè exequendo ſuo munere, antequam è præſenti Synodo diſcedant, juramentum præſtent, uti ex præfati Concilii Sanctione tenentur, niſi præſtiterint alias.

EXAMINATORES SYNODALES.

Dom. Vicarius Generalis pro tempore exiſtens.

Metropolitanæ Eccleſiæ.
- *Dom. Benedictus Quarateſi Archidiaconus.*
- *Dom. Franciſcus Tornaquinci Archipresbyter.*
- *Dom. Franciſcus Maria Arrighi Decanus.*
- *Dom. Nicolaus Caſtellani Præpoſitus.*
- *Dom. Ludovicus à Verrazzano Subdecanus.*

dictæ Metropol. Canonici.
- *Dom. Rogerius Minerbetti Eq. D. Steph.*
- *Dom. Thomas Philippus Salviati.*
- *Dom. Hironymus Viti.*
- *Dom. Laurentius Antonius del Vigna.*
- *Dom. Hieronymus Albizi.*
- *Dom. Ioannes Ugolini.*
- *Dom. Iulius Alexander Scarlatti.*
- *Dom. Rubeus Ant. Franciſcus del Roſſo Eq. D. Steph.*
- *Dom. Bindus Ioannes Baptiſta Peruzzi.*
- *Dom. Fulcus Antonius Maria Portinari Eq. D Steph.*
- *Dom. Leonardus Dantes Gianfigliazzi.*

Dom.

Dom. Thomas Maria Maruſcelli.
Dom. Aloyſius Maria Strozza.
Dom. Ioſeph Maria Martelli.
Dom. Laurentius Gherardini.
Dom. Aloyſius Maria Borgherini.
Dom. Ferdinandus Biliotti S. T. Lector.
Dom. Petrus Simon Federighi Eq. D. Steph.
Dom. Ubaldinus Ubaldini.
Dom. Horatius Mazzei Pœnitentiarius.
Dom. Alexander Gianfigliazzi.
Dom. Dominicus Bardi.
Dom. Nunciatus Spinelli.
Dom. Fridericus Maria Zefferini.

D. Vincentius Ciatti S. T. D. Plebanus S. Stephani de Campoli.
D. Petrus Franciſcus Biſcioni S. T. D. & Rector Eccleſiæ S. Blaſii.
D. Bartholomæus Piallacci S. T. D. & Rector Eccleſiæ S. Mariæ de Alberigis.
D. Franciſcus Vanni S. T. D.
D. Alexander Tei S. T. D.
D. Marcus Roſſi S. T. D.
D. Franciſcus Solari I. U. D.
D. Andreas Barducci S. T. D. & Prior Eccl. SS. Apoſt.
D. Ioannes Franciſcus Ciferi S. T. D.
D. Dominicus Magni I. U. D.
D. Ioannes Guerrinus Guerrini } S. T. D. & Canon. Coll. Eccl. S Laur.
D. Dominicus Soderini }
D. Ioſeph Melis I. U. D., ac Rotæ Bononienſis Auditor.
D. Iulius Cæſar Franciſcus Filippini I. U. D.
D. Antonius Maria Lombardi I. U. D.
D. Antonius Philippus Vergelli I. U. D.
D. Matthias Tozzi I. U. D.
D. Ioſeph Ciampelli I. U. D. Auditor Apoſtolicæ Nunciaturæ.
D. Petrus Bologneſi S. T. D. Magiſter Gymnaſii Clericor.
D. Antonius Cappelli I. U. ac S. Theol. Doct. Abbas S. Ægidii.
D. Leopoldus Tonelli S. T. D.
D. Thomas Roſſi I. U. D.
D. Philippus Maria Valloni S. T. D.
D. Antonius Fiani I. U. D. Rector S. Miniati inter Turres.
D. Lazarus Benedictus Migliorucci I. U. D. & in Piſ. Univerſ. Lector.
D. Ioannes Paulus Gualtieri I. U. D. & Lector in Piſana Univerſit.

D. Antonius Ulivieri I. U. & S. T. D. Lector in Piſana Univerſit.
D. Carolus Bindi S. T. D.
D. Antonius Ricci S. T. D.
D. Antonius Philippus del Soglia S. T. D.
D. Cajetanus Sandrini S. T. D. Plebanus S. Mariæ de Carraja.
D. Dominicus Righini S. T. D. Plebanus S. Agathæ de Mugello.
D. Hippolythus Maria Roſſelli S. T. D.
D. Paulus Sebaſtianus Medici S. T. D.
D. Michael Tanſani S. T. D.
D. Antonius Maria Biſcioni S. T. D.
D. Philippus Fantuugheri I. U. D.
D. Ioannes Baptiſta Comparini S. T. D.
D. Laurentius Nati.
D. Antonius del Pela I. U. D. Prior Collegiatæ Caſtri Florentini.
D. Felix Vincentius di Bardo Canonicus S. Caſſiani.
D. Ioſeph Verdi I. U. D.

EX REGULARIBUS.

Omnes Abbatiæ Flor. Congreg. Caſſinenſ.

P. D. Laurentius Paſſignani Abbas, & S. T. D.
P. D. Victorinus Taglia Abbas.
P. D. Ugo Berzighelli.
P. D. Bernardinus Savini Prior.
P. D. Hyacinthus Nini Decanus.
P. D. Ioannes Baptiſta Ormanni.
P. D. Maurus Gualtieri.
P. D. Maurus Ducci.
P. D. Anſelmus Pelliccioni.
P. D. Angelus Maria Quirini Sac. Can. Lector.
P. D. Felix Roncalli.
P. D. Auguſtinus Maria de Racuſa.
P. D. Virginius Valſeſchi.
P. D. Stephanus Ioſeph Trenta.
P. D. Andreas Barli.

Congregat. Camaldulen.

P. D. Martinus Angelus Franchi Abbas S. T. D.
P. D. Ioſeph Auguſtinus Mancini Abbas
P. M. D. Guido Grandi Lector in Piſ. Univerſ. S. T. D.
P. L. D. Angelicus Maria Sampoli.
P. D. Marinus Martini Prior.
P. D. Sylvanus Ciapetti S. T. D.

P. D.

Congregationis Vallis Umbroſæ.

P. D. Paulus Antonius Ligi S. T. D.
P. D. Zenobius Valmori.
P. D. Iulianus Maria Ciaperoni.
P. L. D. Euſebius Ciani.
P. D. Bartholomæus Venturini S. T. D.
P. D. Laurentius Poltri Abbas.
P. D. Gregorius Bartoli Abbas.
P. D. Valentinus Calzolari Abbas S. T. D.
P. D. Ambroſius Genovini Abbas S. T. D.
P. D. Alphonſus Foggini Abbas, & S. T. D.
P. D. Epiphanius Davanzati Abbas, & S. T. D.
P. M. D. Stanislaus Nardi S. T. D.
P. M. D. Hilarius Carleſchi S. T. D.
P. M. D. Paulus Maria Leonardi S. T. D.
P. D. Didacus Columbani S. T. D.
P. D. Hilarion Baſchieri S. T. D.
P. D. Savinus Loſi.
P. D. Carolus Auguſtinus Sergiuſti.
P. D. Theuzzo Dolci S. T. L.

Congregationis Ciſtercienſium.

P. D. Bernardus Barberi Præſidens Generalis.
P. D. Laurentius Citerni Viſitator Major.
P. D. Pacificus Orlandi Abbas.
P. D. Maurus Fantungheri Prior.
P. D. Gervaſius Bernucci Secundus Viſitator.
P. D. Gerardus Cinelli.
P. D. Antonius Frilli.

Congregationis Cœleſtinorum.

P. D. Petrus Heronymus Bargellini Abbas.
P. D. Placidus Sergiuliani.
P. D. Ludovicus Severoli.
P. D. Petrus Caſtellari.
P. D. Antonius Sganti.
P. D. Raphael Gervaſi.
P. D. Ioannes Baptiſta Gabricci.

Congregationis Olivetanæ.

P. D. Camillus Nelli Abbas Generalis.
P. D. Ioannes Dominicus Aſplanati Abbas.
P. D. Robertus Felix Saſſatelli.
P. D. Iulius Mucettola.
P. D. Raymundus de Matha.
P. D. Benedictus Antonius Giovannelli.
P. D. Deſiderius Ferreri.

Ordinis Prædicatorum.	*P. M. Fr. Carolus Gucci.*
	P. M. Fr. Franciſcus Orlendi Prior.
	P. M. Fr. Hyacinthus Maſſai.
	P. M. Fr. Hyacinthus Bartoli.
	P. M. Fr. Ioannes Antonius Orſucci.
	P. M. Fr. Cherubinus Malaſpina.
	P. M. Fr. Iacobus Spenditori.
	P. L. Fr. Alexander Magotti.
	P. L. Fr. Baſilius Affatichi.
	P. L. Fr. Hyacinthus Ventura Talenti.
	P. L. Fr. Ioannes Baptiſta Serrati.
	P. L. Fr. Thomas Maria Paſqui.
	P. L. Fr. Dominicus Celi.
	P. L. Fr. Sebaſtianus Marzari Vicarius Generalis.
	P. L. Fr. Thomas Vincentius Solari Prior S. Marci.
	P. L. Fr. Albertus Salvi.
	P. L. Fr. Thomas Quarateſi.
	P. L. Fr. Ioannes Philippus Baldinucci.
	P. L. Fr. Thomas Angelicus Corboli.
	P. L. Fr. Dominicus Maccarani.
	P. L. Fr. Antonius Dionigi.
	P. L. Fr. Antoninus Pierozzi.
Ordinis Servor. B. M. V.	*P. M. Fr. Conſtantinus Baccioni Prior S. T. D.*
	P. M. Fr. Gregorius Aloyſius Tonelli S. T. D.
	P. M. Fr. Gherardus Capaſſi S. T. D.
	P. M. Fr. Leopoldus Maſi S. T. D.
	P. M. Fr. Aloyſius Maria Garbi S. T. D.
	P. M. Fr. Iulius Maria Giuliani.
	P. M. Fr. Placidus Bonfrizieri S. T. D.
	P. M. Fr. Iulius Antonius Reboredo S. T. D.
	P. M. Fr. Hieronymus Allegri S. T. D.
	P. M. Fr. Ioannes Baptiſta Biſcardi S. T. D.
Ordinis Carmelitarum.	*P. M. Fr. Franciſcus Maria Felix Pieroncini Prior.*
	P. M. Fr. Ferdinandus Chelli S. T. D.
	P. M. Fr. Petrus Franciſcus Cecchi S. T. D.
	P. M. Fr. Andreas Saccardi S. T. D.
	P. M. Fr. Ioſeph Maria Duffetti S. T. D.
	P. M. Fr. Petrus Andreas Lombardi.
	P. M. Fr. Carolus Maria Melis.

P. M.

Digitized by Google

Carmelitæ Congregat. Mantuę.	*P. M. Fr. Albertus Maſcalchi S.T.D.*
	P. M. Fr. Dominicus Monti.
	P. M. Fr. Ioannes Dominicus Blanchi.
	P. M. Fr. Ioannes Franciſcus Iori.
	P. L. Fr. Albertus Lombardi.
	P. L. Fr. Leonardus Volpini.
Carmelitæ Excalceati.	*P. Fr. Hieronymus à S. Franciſco Provincialis.*
	P. Fr. Petrus de Alcantara à S. Ioſeph Prior.
	P. Fr. Carolus Alexius à S. Maria Definitor Provinc.
	P. Fr. Hieronymus à S. Carolo.
	P. Fr. Valerius à S. Laurentio.
	P. Fr. Honuphrius Antonius à SS. Trinitate.
	P. Fr. Io: Bartholomeus à Ieſu.
	P. Fr. Elias à S. Ioſeph.
	P. Fr. Franciſcus Maria à S. Ambroſio.
Ordin. Eremit. S. Auguſtini.	*P. M. Fr. Stephanus Tortolini Prior S. T. D.*
	P. M. Fr. Aurelius Fieravanti S. T. D.
	P. M. Fr. Franciſcus Berlinghieri.
	P. M. Fr. Michael Baſtremi S. T. D.
	P. M. Fr. Dominicus Simoni S. T. D.
	P. M. Fr. Dominicus Ignatius Ciriaci S. T. L.
	P. M. Fr. Benedictus Baſtremi.
d. Ord. Cōgreg. Illicetanæ.	*P. Bacc. Fr. Deſiderius Caſina Prior.*
	P. Bacc. Fr. Lucas Bocciardi.
d. Ord. Cōgreg. Lombardiæ.	*P. L. Fr. Ermenegildus Vbaldini Prior.*
	P. L. Fr. Camillus Franciſcus Mannelli.
	P. L. Fr. Ioſeph Moroſini.
Ord. Min. Cōv. S. Franciſci.	*P. Guardianus pro tempore Conventus S. Crucis Florentiæ.*
	P. M. Fr. Ioannes Vincentius Martellini Theologus Regiæ Celſit., & Profeſſor publicus Sacræ Theol. in Univerſitate Piſarum.
	P. M. Fr. Franciſcus Acciari de Florentia Exprovincialis Thuſciæ.
	P. M. Fr. Albertus Maria de Rubeis à Flor. S.T.D.
	P. M. Franciſcus Antonius Giorgi de Florentia.
	P. M. Fr. Carolus Angelus Mazza de Riccardina.
	P. Bacc. Fr. Carolus Antonius Tobii de Florentia.

P. Fr.

Ord. Minorum S. Franciſci de Obſervantia.

P. Fr. Ioannes Maria à S. Cruce.
P. Fr. Michael Angelus de Florentia.
P. Fr. Bonaventura de Florentia.
P. Fr. Ioannes Dominicus de Cutiliano.
P. Fr. Bonaventura à S. Cruce.
P. Fr. Bonaventura de Barberino.
P. Fr. Ioannes Baptiſta de Campilia.
P. Fr. Ioſeph Requena Hiſpanus.

Ordinis Minor. Strictior. Obſer. S. Franciſci.

P. Fr. Bernardus de Florentia Guardianus.
P. Fr. Ioſeph de Florentia.
P. Fr. Antonius Franciſcus de Marino.
P. Fr. Franciſcus Maria de Valico.
P. Fr. Caſimirus de Florentia.
P. Fr. Honuphrius à Premalcore.
P. Fr. Franciſcus de Florentia.
P. Fr. Albertus de Florentia.
P. Fr. Andreas de Cutiliano.
P. Fr. Henricus de Valico.
P. Fr. Ioannes à Petra Sancta.
P. Fr. Ludovicus à Barberino Guardianus Conventus della Laſtra.
P. Fr. Iulianus de Cutiliano.

Societatis Jeſu.

P. Gabriel Maria Graſſi Provincialis.
P. Thomas Capeci Rector Collegii.
P. Ioſeph Maria Sottomajor.
P. Franciſcus Saracinelli.
P. Franciſcus Raſponi.
P. Ferdinandus Zucconi.
P. Alexander Sexti.
P. Iulius Negri.
P. Franciſcus Maria Corraducci.
P. Antonius Tommaſini.
P. Clemens Felici.
P. Dominicus Antonius Leoncini.
P. Franciſcus Bartholomeus Biagiucci.
P. Franciſcus Xaverius Egidj.
P. Ioannes Benignus Poggi.
P. Ioſeph Antonius Patrignani.
P. Ioſeph Scapecchi.
P. Marius Corſoni.

P. Hor-

Digitized by Google

	P. Hortenſius Baleſtrieri.
	P. Petrus Fabbri.
	P. Sebaſtianus Pennoni.
	P. Scipio Coſtanzi.
Ordin. Theatinorum.	*P. Michael Barbi.*
	P. Nicolaus Barbi.
	P. Franciſcus Maria Carducci.
	P. Ioannes Dominicus Palei.
	P. Franciſcus Maria del Riccio.
	P. Iacobus Mancini.
	P. Ludovicus Negri.
	P. Ioannes Cajetanus Tommaſi.
	P. Petrus Franciſcus Schianteſchi.
	P. Antonius Maria Corazzi.
	P. Ludovicus Malaſpina.
	P. Angelus Franciſcus Vanni.
	P. Antonius Maria Donati.
Barnabitæ.	*P. Bernardus Peſanti.*
	P. Fridericus Ferrari.
	P. Iuvenalis Bonelli.
	P. Ioannes Baptiſta Cianfi.
	P. Anaſtaſius Montecatini.
Ord. Minimor.	*P. Fr. Thomas Pupilli Provincialis.*
	P. Fr. Dominicus Martini.
	P. Fr. Virgilius Carpi.
	P. Fr. Hyacinthus Vezzani.
	P. Fr. Ioſeph Maria Carpi.
	P. Fr. Ioſeph Maria Vitali.
Ord. S. Jo: Dei.	*P. Thomas Mongai.*
Ord. Miniſtrantium Infirmos.	*P. Thomas Paolini Provincialis.*
	P. Nicolaus Morganti.
	P. Iulius Cæſar Oderi.
Ord. Scholar. Piarum.	*P. Eugenius à S. Sylverio Præpoſ. Provincialis.*
	P. Ioannes Dominicus à S. Vincentio Rector.
	P. Ioannes Stephanus à S. Nicolao Rector Domus probationis.
	P. Sigiſmundus à S. Sylverio.
	P. Ioannes Gualbertus à S. Sigiſmundo.
	P. Benedictus à S. Victore.
	P. Andreas à S. Sebaſtiano.

P. Fran-

P. Franciſcus Maria à S. Laurentio.
P. Zenobius à S. Sigiſmundo.
P. Alexander à S. Sigiſmundo.
P. Antoninus à S. Michaele Archangelo.

Ord. Capuccin.
P. Fr. Ioſeph de Florentia.
P. Guardianus de Montughi pro tempore exiſtens.
P. Lector Theologia ejuſdem Conventus pro tempore exiſtens.
P. Fr. Archangelus de Senis.

Auguſtiniani Excalceati.
P. Fr. Carolus à S. Ioſeph.
P. Fr. Ermenegildus ab Omnibus Sanctis.
P. Fr. Raphael ab Aſſumptione B. M. V.
P. Fr. Rochus à S. Maria.
P. Fr. Andreas Maria à Nativitate.
P. Fr. Servus à Ieſu.

DE JUDICIBUS SYNODALIBUS.

Bonifacio VIII. primum, deindè Tridentinæ Synodo maximæ curæ fuit, ut cauſſæ à S. Sede Apoſtolica, vel ab ejuſdem Legatis, & Nunciis delegandæ in Partibus, idoneis committantur Judicibus. Atque adeò, & ille Conſtitutione, (*a*) & hæc Decreto (*b*) ſancivit, ut quævis Diœceſana Synodus Viros aliquot Eccleſiaſticâ Dignitate præfulgentes, atque Sacrorum Canonum ſcientiâ præditos deſignet, qui eas cauſſas æquâ lance penſent, ac celeri cautione decernant; memores conſtitutos ſe eſſe ſanctarum Legum defenſores, & Arbitros, quorum ſapientiæ ſimul,& integritatis fulcimento Legum auctoritas tota ſuſtineatur neceſse eſt. Quæ cum optimè inſtituta ſint ad hoc munus incorruptè non minùs quàm ſapienter obeundum, deſtinantur.

(a) *cap. ſtatutum de reſcript. in 6.*, (b) *ſeſſ. 25. de Reform. cap. 10.*

JUDICES SYNODALES.

Dom. Vicarius Generalis pro tempore exiſtens.

Metropolitanæ Eccleſiæ.
Dom. Benedictus Quarateſi Archidiaconus.
Dom. Franciſcus Maria Arrighi Decanus.
Dom. Nicolaus Caſtellani Præpoſitus.
Dom. Ludovicus à Verrazzano Subdecanus.

D. Rog-

Canonici dictæ Eccl. Metropolitanæ, omnes J.U.DD.& Prothonot. Apoſt.

Dom. Roggerius Minerbetti.
Dom. Thomas Philippus Salviati.
Dom. Hieronymus Viti.
Dom. Laurentius Antonius del Vigna.
Dom. Hieronymus degli Albizi.
Dom. Ioannes Ugolini.
Dom. Iulius Alexander Scarlatti.
Dom. Rubeus Ant. Franciſcus del Roſſo.
Dom. Bindus Ioannes Baptiſta Peruzzi.
Dom. Fulcus Antonius Maria Portinari.
Dom. Thomas Maria Maruſcelli.
Dom. Aloyſius Maria Strozza.
Dom. Ioſeph Maria Martelli.
Dom. Laurentius Philippus Gherardini.
Dom. Ferdinandus Biliotti.
Dom. Petrus Simon Federighi.
Dom. Ubaldinus Ubaldini.
Dom. Horatius Mazzei.
Dom. Alexander Gianfigliazzi.
Dom. Dominicus Bardi.
Dom. Nuntiatus Spinelli.
Dom. Fridericus Maria Zefferini.

D. Ioannes Viviani I.U.D. Proth. & Ap. Nunc. Aud.
D. Iulianus Franciſcus Bufalini I.U.D. & Prothonot. Apoſt.
D. Dominicus Ridi I. U. D. & Prothonot. Apoſt.
D. Nicolaus Bianchi I. U. D., & Prothonot. Apoſt.
D. Ioſeph Melis I. U. D. & Prothonot. Apoſt.
D. Iulius Cæſar Franciſcus Filippini I. U. D. & Prothon. Apoſt.
D. Antonius Philippus Vergelli I. U. D. & Prothonot. Apoſt.
D. Antonius Maria Lambardi I. U. D. & Prothonot. Apoſt.
D. Antonius Bocci I. U. D. & Prothonot. Apoſt.
D. Mathias Tozzi I. U. D. & Prothonot. Apoſt.
D. Martius Venturini I. U. D. & Prothonot. Apoſt.
D. Ioſeph Ciampelli I. U. D. & Prothonot. Apoſt.
D. Antonius Fiani I. U. D. & Prothonot. Apoſt.
D. Confortus Maria Conforti I. U. D. & Prothonot. Apoſt.
D. Sebaſtianus Dani I. U. D. & Prothonot. Apoſt.
D. Antonius Dominicus Novelli I. U. D. & Prothonot. Apoſt.
D. Antonius Ulivieri I. U. D., S. T. D. & Prothon. Apoſt.
D. Ioannes Paulus Gualtieri I. U. D., & Prothon. Apoſt.

JUDICES CONSERVATORES.

ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. D. THOMAS BONAVENTURA EX COMITIBUS GHERARDESCHÆ ARCHIEPISCOP. FLOR.

Dom. Vicarius Generalis pro tempore exiſtens.

Canonici Flor.
- *Dom. Benedictus Quarateſi Archidiaconus.*
- *Dom. Franciſcus Maria Arrighi Decanus.*
- *Dom. Nicolaus Caſtellani Præpoſitus.*
- *Dom. Thomas Philippus Salviati.*
- *Dom. Hieronymus Viti.*
- *Dom. Fulcus Antonius Maria Portinari*
- *Dom. Aloyſius Maria Strozza.*
- *Dom. Laurentius Philippus Gherardini.*
- *Dom. Vincentius Alamanni Naſi.*
- *Dom. Petrus Simon Federighi.*
- *Dom. Ubaldinus Ubaldini.*
- *Dom. Alexander Gianfigliazzi.*

VISITATORES ORATORIORUM, CONFRATERNITATUM, ET CAPELLARUM.

Canonici Flor.
- *Dom. Franciſcus Tornaquinci Archipresbyter.*
- *Dom. Franciſcus Maria Arrighi Decanus.*
- *Dom. Roggerius Minerbetti.*
- *Dom. Thomas Philippus Salviati.*
- *Dom. Hieronymus Viti.*
- *Dom. Ioannes Andreas Martelli.*
- *Dom. Laurentius Antonius del Vigna.*
- *Dom. Ioannes Ugolini.*
- *Dom. Iulius Alexander Scarlatti.*
- *Dom. Ioſeph Maria Martellini.*
- *Dom. Horatius Mazzei.*

DEPUTATI SUPER IMPOSITIONE FLUMINUM.

Canonici Flor.
- *Dom. Benedictus Quarateſi Archidiaconus.*
- *Dom Ludovicus à Verrazzano Subdecanus.*
- *Dom. Roggerius Minerbetti.*
- *Dom. Laurentius Antonius del Vigna.*
- *Dom. Hieronymus Albizi.*

D. Ioan-

Dom. Ioannes Ugolini.
Dom. Bindus Ioannes Baptiſta Peruzzi.
Dom. Laurentius Gherardini.
Dom. Ioſeph Maria Martellini.
Dom. Ferdinandus Biliotti.
Dom. Ubaldinus Ubaldini.
Dom. Horatius Mazzei.
D. Dominicus Azzurrini.
D. Raphael Cirri.
P. Abbas Septimi pro tempore exiſtens.
P. Carolus Antonius Tubii Min. Convent.
P. M. Fr. Placidus Buonfrizieri Ord. Servor.

XENODOCHIARII, ET REVISORES PIORUM LOCORUM.

Canonici Flor. { Dom. Ioannes Andreas Martelli.
Dom Co: Ioannes Dominicus Bentivogli.
Dom. Ioannes Ugolini.
Dom. Bindus Ioannes Baptiſta Peruzzi.
Dom. Laurentius Philippus Gherardini.
Dom. Ioſeph Maria Martellini.
Dom. Aloyſius Maria Borgherini.
Dom. Marcus Antonius Mozzi.
Dom. Horatius Mazzei.

D. Franciſcus Fridericus Giordani Prior S. Laur. Ba. S. Steph.
D. Ioannes Baptiſta Freſcobaldi.
D. Antoninus Cortigiani.
D. Ioannes Baptiſta Salomoni Præpoſitus Oratorii S. Io: Baptiſtæ.
D. Nicolaus Baldigiani Prior Hoſpitalis S. Bonifacii.
D. Laurentius Caramelli Prior Hoſpitalis S. Pauli.
D. Petrus Antonius Longi Prior S. Petri Majoris.
D. Carolus Cianfogni Prior S. Ambroſii.
D. Franciſcus Balduini Prior S. Felicitatis.
D. Dominicus Azzurrini Prior Eccleſiæ S. Viti a Belloſguardo.
D. Ioannes Bruni Præpoſ. S. Michaelis in Horto.

REVISORES MONASTERIORUM MONIALIUM.

Canonici Flor. { Dom. Benedictus Quarateſi Archidiaconus.
D. Franciſcus Tornaquinci Archipresbyter.

 Dom. Ni-

Dom. Nicolaus Caſtellani Præpoſitus.
Dom. Ludovicus à Verrazzano Subdecanus.
Dom. Roggerius Minerbetti.
Dom. Thomas Philippus Salviati.
Dom. Hieronymus Viti.
Dom. Laurentius Antonius del Vigna.
Dom. Aloyſius Maria Strozza.
Dom. Petrus Simon Federighi.
Dom. Dominicus Bardi.

REVISORES COMPUTORUM CONFRATERNITATUM, ET LOCORUM PIORUM.

Canonici Flor.
D. Laurentius Antonius del Vigna.
D. Ioannes Ugolini.
D. Iulius Alexander Scarlatti.
D. Rubeus Antonius Franciſcus del Roſſo.
D. Bindus Ioannes Baptiſta Peruzzi.
D. Aloyſius Maria Strozza.
D. Laurentius Philippus Gherardini.
D. Alexander Gianfigliazzi.

VISITATORES GYMNASII CLERICORUM.

Canonici Flor.
Dom. Benedictus Quarateſi Archidiaconus.
Dom. Franciſcus Maria Arrighi Decanus.
Dom. Iulius Alexander Scarlatti.
Dom. Bindus Ioannes Baptiſta Peruzzi.
Dom. Fulcus Antonius Maria Portinari.
Dom. Ioſeph Maria Martelli.
Dom. Vincentius Alamanni Naſi.
Dom. Marcus Antonius Mozzi.
Dom. Dominicus Bardi.
Dom. Nunciatus Spinelli.
Dom. Fridericus Zefferini.

APPROBATORES CÆREMONIARUM SACRIFICII MISSÆ.

Canonici Flor.
Dom. Franciſcus Tornaquinci Archipresbyter.
Dom. Franciſcus Maria Arrighi Decanus.
Dom. Ludovicus à Verrazzano Subdecanus.

D. Hie-

Dom. *Hieronymus Viti.*
Dom. *Laurentius Antonius del Vigna.*
Dom. *Iulius Alexander Scarlatti.*
Dom. *Ubaldinus Ubaldini.*

D. *Iacobus Scaletti Magiſter Cæremoniarum, & omnes alii Metropolitanæ Noſtræ futuri Cæremoniarum Magiſtri.*
D. *Ioannes Felix Carlieri Canonicus S. Laurentii.*
D. *Dominicus Soderini.*
Superior Congregat. S. Salvatoris Archiep. Palatii pro tempore exiſt.

Capellani Eccl. Metropolit.
- D. *Vincentius Ciani.*
- D. *Antonius Franciſcus Dolci.*
- D. *Ioachim Cocchi.*
- D. *Thomas Valori Prothonotarius Apoſtolicus.*
- D. *Marcus Antonius Billi.*

D. *Ioannes Antonius Caſtagnoli Capellanus Subſtitutus.*
D. *Franciſcus Turillazzi Capellanus Subſtitutus.*
D. *Ioſeph Bati Capellanus Subſtitutus.*
D. *Antonius Philippus Aretuſi Prior S. Mariæ ultra Arnum.*
D. *Ioannes Dominicus Giannini Capellanus S. Laurentii.*
D. *Paulus Virgilius Durazzini.*
D. *Antonius Franciſcus Pini unus ex Curatis S. Felicitatis.*
D. *Ioſeph Cerracchini.*

PRO DOCTRINA CHRISTIANA.

Canonici Flor.
- Dom. *Vicarius Generalis pro tempore exiſtens.*
- Dom. *Benedictus Quaratesi Archidiaconus.*
- Dom. *Franciſcus Tornaquinci Archipresbyter.*
- Dom. *Franciſcus Maria Arrighi Decanus.*
- Dom. *Ludovicus à Verrazzano Subdecanus.*
- Dom *Hieronymus Viti.*
- Dom. *Aloyſius Maria Strozza.*
- Dom. *Laurentius Philippus Gherardini.*
- Dom. *Petrus Simon Federighi.*
- Dom. *Marcus Antonius Mozzi.*
- Dom. *Ubaldinus Ubaldini.*

D. *Antoninus Cortigiani.*
D. *Petrus Franciſcus Biſcioni.*
D. *Bartholomæus Piallacci.*

Canonici Sācti Laurentii.
- D. *Aloyſius Perier.*
- D. *Ioannes Guerrinus Guerrini.*
- D. *Petrus Cianfogni.*

D. Do-

D. Dominicus Magni I. U. D.
Superior Congregationis Ieſu Salvatoris Archiepiſcopalis Palatii pro tempore exiſtens.
D. Antonius Franciſcus Dolci Capellanus Eccleſiæ Metropol.
D. Benedictus Maria Borghigiani Plebanus S. Stephani in Pane.
D. Carolus Philippus del Beccuto Prior Eccleſiæ S. Martini de Gangalandi.

PRO CATHECUMENIS.

Canonici Flor.
- *Dom. Franciſcus Tornaquinci Archipresbyter.*
- *Dom. Franciſcus Maria Arrighi Decanus.*
- *Dom. Ludovicus à Verrazzano Subdecanus.*
- *Dom. Roggerius Minerbetti.*
- *Dom. Hieronymus Viti.*
- *Dom. Ioannes Baptiſta Ricaſoli.*
- *Dom. Iulius Alexander Scarlatti.*
- *Dom. Fulcus Antonius Maria Portinari.*
- *Dom. Aloyſius Maria Strozza.*
- *Dom. Laurentius Philippus Gherardini.*
- *Dom. Aloyſius Maria Borgherini.*
- *Dom. Petrus Simon Federighi.*
- *Dom. Iacobus Medici.*
- *Dom. Alexander Gianfigliazzi.*
- *Dom. Philippus Maria Medici.*

D. Antoninus Cortigiani.
D. Antonius Maria Salvini I. U. D.

Canonici Sãcti Laurentii.
- *D. Felix Carlieri.*
- *D. Petrus Cianfogni.*
- *D. Guerrinus Guerrini.*
- *D. Aloyſius Perier.*

D. Petrus Franciſcus Biſcioni.
D. Andreas Barducci.
D. Bartholomæus Piallacci.
D. Benedictus Maria Borghigiani.

PRO BENEDICTIONE VESTIUM AD ARBITRIUM NOSTRUM.

Canonĩci Flor.
- *Dom. Vicarius pro tempore exiſtens.*
- *D. Benedictus Quarateſi Archidiaconus.*
- *D. Franciſcus Tornaquinci Archipresb.*

Dom.

D. *Franciſcus Maria Arrighi Decanus*.
D. *Nicolaus Caſtellani Præpoſitus*.
D. *Ludovicus à Verrazzano Subdecanus*.
D. *Roggerius Minerbetti*.
D. *Thomas Philippus Salviati*.
D. *Petrus Simon Federighi* .
D. *Laurentius Antonius del Vigna*.
D. *Horatius Mazzei* .

EXTRA CIVITATEM VERO.

D. *Præpoſitus Emporii*.
D. *Plebanus Impruneta*.
D. *Plebanus Caſtri Florentini*.
D. *Plebanus S. Stephani in Pane*.
D. *Plebanus S. Ioannis Majoris*.
D. *Plebanus de Decumano*.

TESTES SYNODALES.

Canonici Flor.
D. *Fulcus Antonius Maria Portinari* .
D. *Leonardus Dantes Gianfigliazzi*.
D. *Thomas Maria Maruſcelli*.
D. *Ioſeph Maria Martelli*.
D. *Laurentius Philippus Gherardini*.
D. *Ioſeph Maria Martellini*.

EXTRA CIVITATEM VERO.

Omnes Plebani in ſuis Plebanatibus.

EXECUTORES SYNODALES.

D. *Iulius Alexander Scarlatti*.
D. *Alexander Gianfigliazzi*.

PROMOTOR SYNODI.

D. *Nicolaus Caſtellani Vicarius Generalis, &c.*

COMPILATOR SYNODI.

D. *Decanus Franciſcus Maria de Arrighis*.

Laurentius Borghigiani Cancell. Archiep. de mand.

IN-

INDEX

TITULORUM, ET CAPITUM SYNODI.

TITULUS PRIMUS.

De Fide, & iis, quæ ad eam tuendam, & propagandam pertinent.

De Fidei conſtantia, & puritate.	Cap. I.	pag. 15.
De Fidei profeſſione.	II.	16.
De Cathecumenis, & Neophytis.	III.	18.
De Miraculis.	IV.	20.
De Doctrina Chriſtiana.	V.	21.
De Prædicatione Verbi Dei.	VI.	25.
De Iudæis.	VII.	31.
De Hæreticis.	VIII.	34.
De Libris prohibitis.	IX.	35.
De Abutentibus Sacrâ Scripturâ.	X.	36.
De Sortilegis, Maleficis, & Superſtitioſis.	XI.	37.
De Blaſphemis.	XII.	38.
De Sanctorum invocatione, veneratione, Reliquiis, & Imaginibus.	XIII.	40.
De Indulgentiis.	XIV.	43.
De Feſtorum dierum obſervantia.	XV.	46.
De Iejunio.	XVI.	53.
De Piis Legatis adimplendis.	XVII.	58.

TITULUS II.

De Sacramentis.

De Sacramentis in genere.	Cap. I.	pag. 63.
De Sacramento Baptiſmi.	II.	65.
De Sacramento Confirmationis.	III.	70.
De Sacramento Euchariſtiæ.	IV.	71.
De Sacroſancto Miſſæ Sacrificio.	V.	79.
De Sacramento Pœnitentiæ.	VI.	86.
De Sacramento Extremæ Unctionis.	VII.	92.
De Sacramento Ordinis.	VIII.	95.
De Sacramento Matrimonii.	IX.	99.

TI-

TITULUS III.

De Sacroſanctis Eccleſiis, eorumque Miniſtris.

DE Eccleſiarum Immunitate.	*Cap. I.*	*pag.* 104.
De Reverentia Sacroſanctis Eccleſiis exhibenda.	*II.*	106.
De Eccleſiis reparandis, & Oratoriis conſtruendis.	*III.*	113.
De Sacris Oratoriis, & Capellis.	*IV.*	116.
De Confraternitatibus Laicorum.	*V.*	119.
De Rebus Eccleſiæ tuendis, & reparandis.	*VI.*	128.
De Vita, & Honeſtate Clericorum.	*VII.*	138.
De Officio Parochi.	*VIII.*	145.
De Reſidentia.	*IX.*	154.
De Congregationibus habendis à Parochis, aliiſque Sacerdotibus.	*X.*	158.
De Divinis Officiis.	*XI.*	161.
De Sacris Proceſſionibus.	*XII.*	163.
De Præcedentiis.	*XIII.*	167.
De Funeribus.	*XIV.*	171.
De Regularibus.	*XV.*	181.
De Monialibus.	*XVI.*	184.

TITULUS IV.

De Judiciis.

DE Foro competenti.	*Cap. I.*	*pag.* 199.
De Cauſſis executivis.	*II.*	200.
De Subhaſtationibus.	*III.*	201.
De Dilationibus.	*IV.*	202.
De Poſitionibus.	*V.*	202.
De Teſtibus.	*VI.*	202.
De Sententia, & re judicata.	*VII.*	203.
De Cauſſis Matrimonialibus.	*VIII.*	203.
De Procuratoribus.	*IX.*	203.
De Notariis.	*X.*	204.
Do Camerario Noſtræ Menſæ.	*XI.*	205.

TITULUS V.

De Conſtitutionibus. Caput Unicum.	*Cap. I.*	205.

ADDITIONES

In quibus continentur Conſtitutiones Apoſtolicæ, Declarationes, ac Literæ Sacrarum Congregationum, necnon Edicta Noſtra, Noſtrorumque Prædeceſſorum,

Ad Capita Synodalium Conſtitutionum attinentes, & ſecundum eorum ordinem diſtributæ.

TITULUS I.

CAPUT II.

De Fidei profeſſione.

Forma Profeſſionis Fidei per eos, qui ad eam tenentur, emittendæ.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI;

Ad perpetuam rei memoriam.

INjunctum Nobis Apoſtolicæ ſervitutis officium requirit, ut ea, quæ Dominus Omnipotens ad providam Eccleſiæ ſuæ directionem, Sanctis Patribus in nomine ſuo congregatis divinitus inſpirare dignatus eſt, ad ejus laudem, & gloriam incunctanter exequi properemus. Cùm itaque juxta Concilii Tridentini diſpoſitionem, omnes, quos deinceps Cathedralibus, & Superioribus Eccleſiis præfici, vel quibus de illarum Dignitatibus, Canonicatibus, & aliis quibuſcumque Beneficiis Eccleſiaſticis curam animarum habentibus, provideri continget, publicam Orthodoxæ Fidei profeſſionem facere, ſeque in Romanæ Eccleſiæ obedientia permanſuros ſpondere, & jurare teneantur.

§. . Nos volentes, etiam per quoſcumque, quibus de Monaſteriis, Conventibus, Domibus, & aliis quibuſcumque locis Regularium

larium quorumcumque Ordinum, etiam Militarium, quocumque nomine, vel titulo providebitur, idem ſervari, & ad hoc ut unius, & ejuſdem Fidei profeſſio uniformiter ab omnibus exhibeatur, unicaque, & certa illius forma cunctis innoteſcat, noſtræ ſolicitudinis partes in hoc alicui minimè deſiderari, formam ipſam præſentibus adnotatam publicari, & ubique gentium per eos, ad quos ex decretis ipſius Concilii, & alios prædictos ſpectat, recipi, & obſervari, ac ſub pœnis per Concilium ipſum in contravenientes latis, juxtà hanc, & non aliam formam, profeſſionem prædictam ſolemniter fieri, auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium diſtrictè præcipiendo mandamus hujuſmodi ſub tenore.

EGo N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo S. R. E. utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem Omnipotentem, factorem Cœli, & Terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia ſecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundùm Scripturas. Et aſcendit in Cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam, & Apoſtolica Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſeculi. Amen. Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem Eccleſiæ obſervationes, & conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector. Item Sacram Scripturam, juxtà eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam, niſi juxtà unanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe vera, & propria Sacramenta novæ Legis, à Jeſu Chriſto Domino Noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licèt non omnia ſingulis neceſſaria,

ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de juſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro vivis, & defunctis, atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter Corpus, & Sanguinem, unà cum Anima, & divinitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem, quam converſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantùm ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragijs juvari. Similiter, & Sanctos, unà cum Chriſto regnantes, venerandos, atque invocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias eſſe venerandas. Firmiter aſſero Imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum matrem, & magiſtram agnoſco. Romanoque Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis Succeſſori, ac Jeſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac juro. Cætera item omnia à Sacris Canonibus, œcumenis Conciliis, ac præcipuè à Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reiicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quàm in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & immaculatam uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè Deo adiuvante retinere, & confiteri, atque à meis ſubditis, ſeu illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, & doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum, Ego idem N. ſpondeo, voveo, ac juro: ſic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

§. 3.

Digitized by Google

§. 3. Volumus autem, quòd præſentes literæ in Cancellaria noſtra Apoſtolica de more legantur, & ut omnibus faciliùs pateant, in ejus quinterno deſcribantur, ac etiam imprimantur.

§. 4. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis, & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1564. Idib. Novemb. Pontificatus Noſtri anno quinto.

Lectæ, & publicatæ fuerunt ſupraſcriptæ literæ Romæ in Cancellaria Apoſtolica, anno Incarnationis Dominicæ 1564. *die verò Sabbati 6. menſis Decembris Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Pii Papæ IV. anno* 5.

A. Lomellinus Cuſtos.

CAPUT III.

De Cathecumenis, & Neophytis.

Conſtitutio D. N. D. Clementis PP. XI. ſuper confirmatione, & ampliatione Conſtitutionis Pauli PP. III. de Privilegiis Neophytorum quoad Bona temporalia, cum aliis Ordinationibus pro faciliori Infidelium, ac præſertim Iudæorum converſione.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

PRopagandæ per univerſum Terrarum Orbem Chriſtianæ Fidei, cujus illibatum, ac perenne Depoſitum Romana in primis ſervat Eccleſia, pro communi Nobis Apoſtolici muneris debito jugiter intendentes, dùm in remotiſſimas quaſque partes Evangelii præcones ablegare ſatagimus, in eam ſimul curam diligenter incumbimus, ut quicumque dilectis Infidelitatis tenebris ad verum Juſtitiæ Solem, qui Chriſtus eſt, agnoſcendum, eo adiuvante, feſtinant, nullis, quoad fieri poteſt, humanarum rerum obſtaculis impediantur; ſicque ad Catholicæ Eccleſiæ gremium ex omni natione, quæ ſub Cœlo eſt, eò frequentior, quò facilior expediatur acceſſus.

Quamvis enim non temporalium rerum commodo, ſed æternæ potiùs hæreditatis intuitu ad ſuſcipiendam Chriſti Fidem Infideles allici oporteat, quin etiam edoceri præcipuam Chriſtiani Hominis gloriam in eo maximè ſitam eſſe, ut terrena deſpiciat, exiſtimetque omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam JESU Chriſti Do-

Domini Noſtri; nihilominus rationi congruum, & piæ matris Eccleſiæ inſtitutis conſentaneum arbitramur, ità paternam noſtram erga eos, qui adhuc in Fide parvuli lacte potiùs, quàm cibo ſolido nutriendi ſunt, providentiam temperare, ut infirmiores quique à Chriſtianæ Religionis propoſito, amittendarum facultatum, incurrendæque prorsùs miſeræ egeſtatis horrore non retrahantur: cum potiùs, juxtà Canonicas Sanctiones, eos, qui ad Fidem veniunt, melioris conditionis eſſe oporteat poſt Baptiſmum, quàm antequam Fidem ſuſciperent haberentur, & in illis etiam impleri debeat Chriſti certa promiſſio: Quærite primùm Regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adiicientur vobis.

Quam quidem ob cauſam complures Romani Pontifices Prædeceſſores Noſtri, pro tradita ſibi divinitùs in iis, quæ ad ejuſdem Sanctæ Fidei favorem, & propagationem pertinent, Apoſtolica poteſtate, multa in Neophytorum commodum privilegia conceſſerunt; aliis quoque additis Ordinationibus, quibus & indemnitati ipſorum, & Chriſtianæ Religionis dignitati, & faciliori ſimul Infidelium converſioni conſultum foret; Præcipuè verò fel. rec. Paulus PP. III. Apoſtolicam Conſtitutionem edidit in hæc verba, videlicet.

PAULUS PAPA TERTIUS. Ad perpetuam rei memoriam. Cupientes Judæos, & alios Infideles quoslibet ad Fidem Catholicam converti, & prætextu Bonorum per eos antea poſſeſſorum ab eadem Fide non diſtrahi, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, authoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium, hac in poſterum valiturâ Conſtitutione ſancimus, quod cuicumque eorumdem Judæorum, & Infidelium ad dictam Fidem converti volenti, etiamſi in patria poteſtate conſtitutus fuerit, Bona ſua quæcumque, tàm mobilia, quàm immobilia intacta, & illæſa permaneant. Itaùt etiam filiifamilias, & in patria poteſtate, ut præfertur, conſtituti, legitimâ, & quacumque portione Bonorum patrimonialium, aut maternorum eis de jure, ſeu ſucceſſione Bonorum eis aliàs debitorum, per eorum parentes fraudari, aut privari non poſſint, neque debeant; ſed eis integrè, etiam ſi contra voluntatem parentum ſuorum ad Fidem ipſam converſi fuerint, etiam eorum parentibus viventibus, debeantur.

Et ſi Bona ipſa ex uſura, aut illicito quæſtu fuerint acquiſita, & notæ ſint perſonæ, quibus eorum fuerit de jure facienda reſtitutio (quia non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur malè ablatum) illa eiſdem perſonis omninò reſtituantur; perſonis verò non extantibus prædictis, quia Bona ipſa eſſent per manus Eccleſiæ in pios uſus convertenda, Bona hujuſmodi eiſdem Judæis, & aliis Infidelibus, in fa-

in favorem ſuſcepti Baptiſmatis, tanquam in pium uſum liberè concedimus, eaque apud ipſos ſic converſos Judæos, & alios Infideles, remanere decernimus. Interdicentes ſub divini anathematis pœna, quibuſvis, tàm Eccleſiaſticis, quàm Secularibus perſonis, ne ulla ſuper Bonis hujuſmodi, quovis quæſito colore, moleſtiam inferant, aut inferri patiantur; ſed magnum ſe feciſſe lucrum exiſtiment, dum tales Chriſto lucrati fuerint.

Et quoniam, ut ſcriptum eſt, qui habuerit ſubſtantiam mundi hujus, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in ipſo? ſi ipſi converſionis tempore inopes, aut indigentes fuerint, omnes tàm Eccleſiaſticos, quàm Seculares, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri exhortamur, ut ipſis converſis manus porrigant adjutrices; ipſi quoque Diœceſani, non ſolum Chriſtianos ad ſubveniendum ipſis exhortentur, ſed etiam, tàm de redditibus Eccleſiarum, prout poterunt, quàm de his, quæ ad pauperum uſus per ipſos convertendos devolvuntur, hujuſmodi Neophytos ſuſtentare non negligant, ipſoſque à detractionibus, & contumeliis paterna affectione defendant.

Et quoniam per gratiam Baptiſmi cives Sanctorum, & domeſtici Dei efficiuntur, longeque dignius exiſtit regnare ſpiritu, quàm naſci carne, eâdem Conſtitutione ſtatuimus, ut Civitatum, & Locorum, in quibus ſancto Baptiſmate pro tempore regenerabuntur, verè cives ſint, & privilegiis, ac libertatibus, & immunitatibus, quæ alii ratione nativitatis, & originis dumtaxat conſequuntur, gaudeant.

Curent inſuper Sacerdotes baptizantes, & alii de ſacro Fonte eos ſuſcipientes, tàm ante Baptiſmum, quàm poſt, illos in Articulis Fidei, ac Legis novæ præceptis, Catholicæque Eccleſiæ ritibus diligenter inſtruere, & tàm ipſi, quàm Diœceſani operam dent, ne cum aliis Judæis, ſeù Infidelibus, ſaltem per longum tempus, converſentur, ne, ſicut quandoque contingit, ab infirmitate curatis modica occaſio ad priſtinam damnationem recidivam efficiat.

Et quoniam experientiâ teſte compertum eſt, mutuam ipſorum Neophytorum inter ſe converſationem, ipſos in Fide noſtra fragiliores reddere, ac ſaluti ipſorum plurimum officere, hortamur locorum Ordinarios, ut quantum pro incremento Fidei viderint expedire, curent, & ſtudeant Neophytos ipſos cum originariis Chriſtianis matrimonio copulare.

Et prohibeant eiſdem ſub gravibus pœnis, ne mortuos more Judæorum ſepeliant, aut Sabbata, aliaſque ſolemnitates, & antiquæ ſectæ ritus quoquo modo obſervent, ſed & Eccleſias, & prædicationes,

tiones, proùt alii Catholici, frequentent, & in omnibus Chriſtianorum moribus ſe conformes reddant.

Contemptores autem prædictorum, per Sacerdotes, in quorum Parochiis degunt, aut alios, ad quos de jure, vel antiqua conſuetudine de talibus inquirere ſpectat, aut etiam per alios quoſcumque, Diœceſanis, ſeù Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis deferant, & invocato, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, per eos taliter puniantur, quod aliis tranſeat in exemplum. Et inſuper de his omnibus, in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis diligens fiat inquiſitio, & tàm circa Epiſcopos, & Sacerdotes in præmiſſis negligentes, quàm ipſos Neophytos, & Infideles prædictos contemptores, opportunum adhibeatur remedium.

Si quis autem cujuſcumque gradus, vel præeminentiæ fuerit, hujuſmodi Neophytos, ne obſervationem ritus Chriſtiani, & aliorum præmiſſorum complectantur, foverit, aut defenderit, pœnas contra fautores hæreticorum promulgatas ipſo facto incurrat; Neophyti verò ſi ſe corrigere poſt monitionem canonicam neglexerint, & ad vomitum judaizantes redire comperti ſint, contra eos, tamquam perfidos hæreticos, per Ordinarios locorum, ſecundum Sacrorum Canonum inſtituta procedatur.

Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis privilegiis, indultis, & literis etiam Apoſtolicis, ſeu etiam Regiis, vel Imperialibus eiſdem Judæis, vel Infidelibus quomodolibet conceſſis, quæ quatenus in detrimentum Catholicæ Fidei, aut nominis Chriſtiani, ſeù aliquorum ex præmiſſis, quomodolibet vergent, & ad effectum præſentium, caſſamus, & irritamus, ac caſſa, & irrita eſſe decernimus, aliis Decretis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, quæ ſuper præmiſſis ſunt condita, in ſuo robore duraturis.

Et, ut hujuſmodi ſanctæ Conſtitutionis jugis memoria habeatur, & ne quiſquam ipſius ignorantiam prætendere poſſit, illam per ſingulas Cathedrales, & Collegiatas Eccleſias, aliaque Pia Loca, in quibus uberior erit Fidelium concurſus, ſemel in anno ad minus infra Divina publicari volumus, & decernimus.

Et quia difficile foret præſentes ad ſingula quæque loca deferre, volumus, & etiam declaramus, quod earumdem præſentium tranſumptis, ſeu copiis, etiam impreſſis, & manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, ac Sigillo alicujus Prælati munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ubicumque forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 21. Martii, milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſecundo, Pontificatus noſtri Anno octavo.

Nos

Nos igitur, nè tàm ſalubris Conſtitutionis memoria temporis diuturnitate deficiat, obſervantia neglectu cujuſpiam obſoleſcat, aut etiam Fidei hoſtium dolo notitia converti volentibus ſupprimatur, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prelatorum, quibus hujuſmodi negotium commiſimus expendendum, conſilio, atque etiam Motu proprio, ex certa ſcientia, ac matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine eamdem præinſertam Conſtitutionem, omniaque, & ſingula in ea contenta tenore præſentium confirmamus, approbamus, & innovamus, eamque ab omnibus, ad quos pertinet, inviolabiliter obſervari perpetuis futuris temporibus debere ſtatuimus, & mandamus.

Simulque ad omnis dubitationis umbram penitus removendam, eadem à memorato Paulo Prædeceſſore ſtatuta clariùs explicantes, & quatenus opus ſit, etiam amplius extendentes, Bona quælibet adventitia, quocumque modo talia cenſeantur, ad filiosfamilias Chriſtianam Religionem profitentes; utpotè à patriæ poteſtatis jugo, quo parentibus Infidelibus ſubdebantur, ſacri Baptiſmatis beneficio prorsùs exemptos, pleno jure ſpectare, neque ſuper illis uſumfructum, aut aliud quodcumque jus præfatis parentibus, quamdiù in Infidelitate permanſerint, ullo modo competere; è contrà verò parentes ipſos, alioſque quoſcumque, qui converſis, eorumque deſcendentibus aliàs alimenta, ſeù Dotem præſtare quocumque titulo, etiam in ſubſidium tenerentur, ad eadem alimenta, ſeù Dotem illis ſubminiſtranda pariter teneri, & obligatos eſſe poſt converſionem eorum, ſimiliter tenore præſentium declaramus, atque etiam ex integro ſtatuimus, decernimus, & mandamus.

Et quoniam Infidelium, ac præ ceteris Judęorum, malitiam eouſque in odium Chriſtiani nominis proceſſiſſe pluries compertum eſt, ut Bona ſua occultando, ſeù in alios transferendo, vel aliàs de illis inter vivos, vel etiam in ultima voluntate diſponendo, filios, alioſque conſanguineos ad Chriſti Fidem converſos eorumdem Bonorum ſucceſſione, ad quam ab inteſtato legitimè admittendi fuiſſent, aut etiam ſpe ſucceſſionis ejuſdem fraudare tentaverint; Idcircò Nos, rec. mem. Gregorii PP. XIII. Prædeceſſoris Noſtri, qui per ſuas quaſdam ſub annulo Piſcatoris die 13. Septembris 1581. Pontificatus ſui anno decimo datas literas hujuſmodi malo, utpotè in Chriſtianæ Fidei detrimentum cedenti, occurrendum meritò cenſuit, veſtigiis inhęrentes, Judæos quoslibet, ſicut & alios Infideles Bona ſua, & jura quæcumque in præjudicium filiorum, aut aliorum conſangui-

neorum, qui aliàs ipſis ab inteſtato decedentibus ſucceſſuri eſſent, & Chriſtianam ſuſceperint Religionem, quocumque modo alienare, ſeù occultare, vel diminuere inter vivos, aut in qualibet ultima voluntate non poſſe; ſed potiùs eadem Bona, & jura quæcumque (traditâ ſtatim poſt Baptiſmum Legitimâ quibuſcumque aliàs poſt obitum competeret eorumdem) integrè conſervare teneri, & obligatos eſſe; tamque ipſos, quàm alios Bonorum eorumdem detentores, vel occupatores ad illa, ſeù eorum rationes, quoties opus fuerit, exhibenda, & de eiſdem Inventarium legitimè faciendum, & de utendo, & fruendo arbitrio boni viri cavendum opportunis juris, & facti remediis compelli poſſe; atque in eorum Bonis, & juribus, ſi in Infidelitate deceſſerint, ipſorum filios, ſeù alios quoſcumque conſanguineos, ut præfertur, Chriſtianos eodem prorsùs modo, & jure, nullâ etiam obſtante ingratitudinis, aut aliâ quantumvis legitima exhæredationis cauſſâ, quam, ob ſuſcepti poſteà Baptiſmi venerationem, ſublatam prorsùs eſſe volumus, ſuccedere debere, ac ſi iidem Judæi, ſeù alii Infideles, nullum feciſſent, aut ordinaſsent teſtamentum, vel aliam ultimam voluntatem; omneſque, & ſingulas Bonorum, & jurium, ſive inter vivos, ſive in ultima voluntate, alienationes, diſtractiones, aut alias diſpoſitiones prædictas in hujus noſtræ Conſtitutionis fraudem, & in odium Chriſtianæ Fidei factas, ſeù potiùs attentatas cenſeri, ac nullius propterea roboris, & momenti eſse, motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine ſimilibus tenore præſentium, ſancimus, decernimus, & ordinamus.

Ceterum ne, dùm providâ ſolicitudine temporalia converſis ad Fidem commoda comparamus, ſpirituale Animarum lucrum negligere videamur in convertendis; quemadmodum Infideles ceteros, qui longè ſunt, ſacris Miſſionibus inſtitutis, Evangelicâ prædicatione inſtruere non ceſsamus; ità de Judæis etiam, qui magno numero inter Chriſtianos vivunt, & noſtris quodammodo oculis obverſantur, æterna ſalute procuranda præcipuè cogitamus. Triſtitia enim Nobis magna eſt (fidenter cum Apoſtolo dicimus,) & continuus dolor cordi noſtro, dum paterni amoris viſceribus miſeramur Iſraeliticam gentem, olim Deo amabilem populum, quem elegit Dominus in hæreditatem ſibi, & cuſtodivit quaſi pupillam oculi ſui; nunc autem (poſtquam Judaicâ in ſummum ſceleris erumpente perfidiâ verè iratus eſt furore Dominus in Populum ſuum, & uſque in finem abominatus eſt hæreditatem ſuam) velut gregem ſine Paſtore diſperſum per invia quæque, & inaquoſa miſerè divagantem, ac Verbi Dei, quod illi unicum ſupereſt, ſalutari pabulo deſtitutum,

ſolo

ſolo ſcilicet literæ, quæ occidit, à Judæis cortice deguſtato, Spiritu verò, qui vivificat, ab animalibus hominibus non percepto.

Propterea ad eoſdem Judæos in Sanctæ Fidei veritate ſalubriter erudiendos, & trahendos ad Chriſtum, ea omnia, & ſingula, quæ de Sacris Lectionibus, ſeu Sermonibus per ſingulas hebdomadas ad ipſos, ubicumque eorum Synagogæ fuerint, habendis memoratus Gregorius Prædeceſsor Noſter in aliis ſuis Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octogeſimo quarto, Kalendis Septembris, Pontificatus ſui Anno tertio decimo editis Apoſtolicis literis, quarum tenorem pro expreſso in præſentibus haberi volumus, ſapienter conſtituta ſunt, ab omnibus, ad quos pertinet, inviolatè ſervari, & ſicubi in deſuetudinem abjerunt, in uſum revocari præcipimus, & mandamus; Concionatores omnes, qui ad id munus electi fuerint, ſpecialiter admonentes, iiſque etiam in nomine Domini diſtrictiùs injungentes, ut memoratos Judæos, non injuriis, contumeliis, aut nimiâ verborum aſperitate, quibus in Judaica magis perfidia obfirmarentur, ſed charitate potiùs, & manſuetudine, quam mitis nos, & humilis corde Chriſtus edocuit, velut oves errantes ad Sanctæ Eccleſiæ caulas ſuaviter allicere, & patefactâ ex veterum potiſſimum, quas venerantur, Scripturarum oraculis, Chriſtianæ veritatis luce, velamen ab oculis eorum detrahere omni ſtudio ſatagant, ut ex Judaicæ pravitatis tenebris, quibus obſcurati ſunt oculi eorum, ne videant, Dei Omnipotentis operante virtute, liberentur.

Poſtremò Judæos omnes, ceteroſque Infideles quoſcumque, qui ad Baptiſmi gratiam, Deo donante, pervenerint, omnibus Eccleſiarum Prælatis, ac ſecularibus etiam Principibus per miſericordiæ Dei Noſtri viſcera commendamus, ut eos patrocinio foveant, authoritate adjuvent, potentiâ tueantur, neque ab aliis, præſertim verò à Judæis, aut quibuſvis Infidelibus ulla in re indebitè vexari patiantur; Univerſoſque ubique Terrarum Chriſtifideles in Unigeniti Filii Dei, & Salvatoris Noſtri JESU Chriſti, cujus vice fungimur, nomine hortamur, & obſecramus, ne venientes ex Infidelitate, præſertim pauperes, deſpiciant, aut averſentur; ſed potiùs novella hujuſmodi Eccleſiæ germina, officiis, ac beneficiis, prout quiſque poterit, excolere, & irrigare non deſinant, atque, ut veros in Chriſto Fratres, ac domeſticos Fidei efficiantur, benignè excipiant, in neceſſitatibus ſublevent, & omni demum Chriſtianæ charitatis genere proſequantur; ut de ſuſcepto Sanctæ Fidei propoſito gaudium ipſorum ſit plenum, & exultatio, iis verò, qui foris ſunt, & adhuc infidelitatis

caligine detinentur ad ejuſdem Sanctæ Matris Eccleſiæ gremium propecandi deſiderium excitetur.

Decernentes eaſdem præſentes literas, etiam ex eo, quod quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes eiſdem non conſenſerint, aut vocati, ſeu auditi non fuerint, aliaque quavis de cauſa, quantumvis legitima, & in corpore Juris clauſa, de ullo ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, vel in controverſiam revocari, aut ad terminos Juris reduci nullatenus poſse, ſed ſemper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces exiſtere, & ab iis, ad quos ſpectat, & in futurum ſpectabit, inviolabiliter obſervari; Sicque per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos quavis authoritate fungentes, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, ubique judicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane quidquid ſecus ſuper omnibus, & ſingulis præmiſſis, vel circa ea à quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus de jure quæſito non tollendo, ac ceteris noſtris, & Cancellariæ regulis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, etiam Conciliaribus, necnon aliis quibuslibet, etiam Juramento, Confirmatione Apoſtolicâ, aut aliâ quavis firmitate roboratis, Statutis, Conſuetudinibus etiam immemorabilibus, Privilegiis, quoque, Indultis, & Literis, etiam Apoſtolicis, ſeu etiam Regiis, & Imperialibus eiſdem Judæis, vel Infidelibus quibuslibet ſingulis, aut eorum Univerſitatibus quomodolibet, & ex quibuſvis cauſſis, etiam publicis, graviſſimis, & urgentiſſimis, atque etiam titulo oneroſo, & vim contractus hinc inde obligatorii inducente conceſſis, quæ quatenus in detrimentum Catholicæ Fidei, quam humanis quibuſque rationibus quicumque debet præferre Chriſtianus, quomodolibet vergent, & ad effectum dumtaxat præſentium caſſamus, & irritamus, ac caſſa, & irrita eſſe decernimus, aliiſque omnibus ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis quomodolibet in contrarium præmiſſorum editis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio facienda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium

& ſin-

& ſingulorum tenores, formas, & occaſiones, ac alia etiam ſpeciali expreſſione digna præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis, & ſervatis reſpectivè habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ac derogatum eſſe volumus, ceteriſque contrariis quibuſcumquè.

Ut autem eædem præſentes literæ omnibus innoteſcant, quibuſcumque locorum Ordinariis, in quorum Diœceſibus aliqua Judæorum Synagoga, aut notabilis aliorum Infidelium numerus reperiatur, injungimus, & mandamus, ut ea omnia, quæ à Nobis, ut præfertur, conſtituta, & ordinata ſunt, ad eorumdem Judæorum, aliorumve Infidelium notitiam quotannis ſemel, ſeù pluries, & eo modo, qui iiſdem Ordinariis opportunior viſus fuerit, ſermone vernaculo deduci faciant, & in memoriam revocari; atque ut nemo prorſus earumdem literarum ignorantiam allegare valeat, volumus, ut illæ, ſeù earum exemplum ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac præfatæ Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis Innocentianæ, necnon in acie Campi Floræ de eadem Urbe per aliquem ex Curſoribus noſtris, proùt moris eſt, publicentur, & affigantur; quæ ſic publicatæ, & affixæ omnes, & ſingulos perindè afficiant, ac ſi illis perſonaliter intimatæ fuiſſent.

Quodque illarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo alicujus Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis eadem prorsùs fides in judicio, & extrà illud adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergò omninò hominum liceat paginam hanc noſtræ confirmationis, approbationis, innovationis, declarationis, extenſionis, ſtatutorum, decretorum, mandatorum, ſanctionis, ordinationis, præceptorum, admonitionis, commendationis, irritationis, caſſationis, derogationis, & voluntatum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare preſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorū ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo ſeptingenteſimo tertio, quinto Idus Martii, Pontificatus Noſtri Anno quarto.

I. Card. Protodatarius. *F. Oliverius.*

Viſa de Curia C. A. Fabronus.

Loco ✠ Plumbi. Philippus Porta,

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate D. N. Ieſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo quarto,

Indi-

Indictione xii. die verò undecima Martii, Pontificatus autem Sanctiſs. in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. anno quarto, ſupradictæ literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæ Generalis Innocentianæ, in Acie Campi Floræ, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Sebaſtianum Vaſellum SS. D. N. D. PP. Curſorem.

Pro D. Magiſtro Curſorum Thomas Orlandus Curſor.

CAPUT V.

De Doctrina Chriſtiana.

Decretum S. Congregationis Concilii.

CAtholicæ Fidei rudimenta, & ſi ſcire omnes teneantur quotquot rationis ſunt compotes, plerique tamen agreſtium, & rudium jacent in tenebris, ſocordiâ, & negligentiâ Paſtorum, quandoquidem ſuprema hæc ſalutis dogmata, vel ignorantur prorſus, vel latinâ tantùm linguâ, quam non tenent, edidicerunt, ut crebris piorum Sacerdotum delationibus acceperunt Illuſtriſs. PP. Conc. Trid. Sanctiſs. D. N. auctoritate interpretes. Cùm tamen juſtus ex fide vivat, & credere omnia implicitè longè diminutæ ſit Fidei, juſque cuſtodiri vix poſſit, niſi cognitum (quis enim non aberret à lege, ſi legem non calleat, aut certè quis rudem hanc ignorantiam ſecernat à deſidia, & contemptu) quandoquidem PP. dilucidè, & apertè dogmata ſcribi ſuper Lapides, ideſt ſimplicium cordibus inſigi, ac parvulis panem frangi ſummoperè exoptantes, amplitudinem tuam, ſicut ceteros Italiæ Epiſcopos, per Jeſu Chriſti viſcera obteſtantur, ut ſui muneris, ac paſtoralis ſolicitudinis memor cæcam hanc caliginem mentibus effuſam, & longè, latèque diffuſam pro viribus diſcutiat. Proindè Sacroſanctæ Synodi Decretum de pueris edocendis in ſingulis Parochiis ità obſervari præcipiat, ut ſinguli Symbolum ſaltem Apoſtolorum, atque Orationem Dominicam, itidemque Decalogi præcepta materno idiomate doceantur, jubeatque Parochialium Eccleſiarum Rectoribus, ut inter Miſſarum Solemnia, & Verbi Dei Prædicatoribus, ut inter concionandum diebus Feſtis annuncient populo, ac ſæpius conteſtentur eos, qui hæc non tenent, debere ex præcepto ad Eccleſias, ubi hæc peraguntur, tamdiù convenire, quamdiù illa addiſcant. Ac propterea ſeriò Confeſſoribus injungat, ut ignaros Pœnitentes de his interrogent, ac terminum eiſdem præfigant, intra quem oſtendant ſeſe rudimenta Fidei vulgari ſermone ap-

apprehendiſſe, alioquin Sacerdotes, ut quemque deſidem, ac torpentem repererint, Sacramentalem abſolutionem ſuâ prudentiâ, ac moderatione ſuſpendant. Et ſummatim amplitudo tua omnem operam, ſtudium, ac diligentiam adhibeat, ut Sacra hæc ſalutis myſteria tandem ab omnibus, ut cujuſque fert ingenium, intelligantur. Ita igitur, ne ovium ſibi creditarum ſanguinem de ſuis manibus requirat Deus, ſuo zelo, ac vigilantia efficiet amplitudo tua, harumque literarum exemplum ad ſingulos tuæ Provinciæ Suffraganeos Epiſcopos, ut idipſum obſervent, perferendum curabit, & diù valebit in Domino, à quo cuncta ei proſpera, & ſalutaria cupimus. *Romæ 19. Ianuarii 1619.*

Lettera Circolare traſmeſſa d' ordine di N. Sig. Clemente XI. a tutti i Parochi, Arciveſcovi, e Veſcovi, &c.

LA ſollecitudine Paſtorale di Noſtro Signore, intenta ſempre a promuovere il bene ſpirituale del ſuo Gregge, ſiccome ha giudicato conveniente, che il Giubbileo, quale poche Settimane ſono fu pubblicato con tanto frutto in queſt' Alma Città di Roma, e ſuſſeguentemente nel Regno di Napoli, e in alcune altre Città, e Dioceſi dello Stato Eccleſiaſtico più gravemente danneggiate da' paſſati Terremoti, ſi diſtenda anco a tutte l' altre Città, e Dioceſi dell' Italia, e Iſole adiacenti, per eccitare maggiormente la pietà de' Fedeli a placare con una vera penitenza, e con altre ſante opere l' ira d'Iddio giuſtamente ſdegnato per i noſtri peccati, e ad implorare dalla Divina Clemenza la ceſſazione di tanti flagelli, che per tutte le parti, o attualmente travagliano l' afflitta Criſtianità, o manifeſtamente gli ſovraſtano; così ha penſato a tutti i mezzi più proprj, onde abbia a ritrarſi maggior frutto dal medeſimo Giubbileo, con iſtimolare tutti a prenderlo con le dovute diſpoſizioni, ed a rimuovere quegli oſtacoli, che potrebbero impedire gli effetti della Divina Miſericordia. Che però la Santità Sua ha ordinato, che con la preſente Lettera, che ſarà Circolare a tutti i Patriarchi, Arciveſcovi, Veſcovi, e altri Ordinarj dell' Italia, e Iſole adiacenti ſuddette, ſi raccomandi efficacemente a V. S. d' inſiſtere col ſuo Paſtorale zelo per l'adempimento delle coſe infraſcritte.

Primieramente ricorda la Santità Sua a V. S. l' eſatta oſſervanza di quanto con altra ſimile Lettera Circolare le fu già preſcritto intorno alla venerazione, e riſpetto dovuto alle Chieſe, ſopra di che per molto, che già ſi foſſe fatto, o ſi foſſe detto a tenore della Lettera ſuddetta, non però ſi farà mai fatto, nè detto a baſtanza; tan-

tanto più che il vederſi preſentemente porre in uſo dalla Maeſtà Divina que' gaſtighi, co' quali la medeſima ſuole ſpecialmente punire l' irreverenza alle Chieſe, fa manifeſtamente conoſcere quant' oltre ſi foſſe avanzato l' inconveniente predetto.

Secondo. Vuole, che V. S. invigili ſingolarmente alla Santificazione delle Feſte, con fare intendere al Popolo, quanto grave torto ſi faccia alla Maeſtà del Signor' Iddio, impiegando quei giorni riſervati ſpecialmente al ſuo onore, in opere non ſolamente ſervili, ma quel ch' è peggio, peccaminoſe. Procuri dunque di far ben riflettere al Popolo, che le dette opere ſervili ſono vietate ne' giorni feſtivi, non perchè ſi ſtia in ozio, ma affinchè ci ſia maggior tempo, e comodità di frequentar le Chieſe, di aſſiſtere agli Oficj Divini, di aſcoltar la Divina Parola, di riſtorar le Anime colle Orazioni, e SS. Sagramenti, e coll'eſercizio di altre opere di pietà, ed in ſomma d'attendere più di propoſito all'unico, ed importantiſſimo negozio dell'eterna ſalute, ſecondo il detto dell' Apoſtolo: *Rogamus vos, ut abundetis magis, & operam detis, ut quieti ſitis, & ut veſtrum negotium agatis*. (1. *Theſſ.* 4. 11.) Dal che ſi vede quanto ſia diſdicevole l'abuſo pur troppo frequente di quelli, che non ſi vergognano d'impiegare i giorni conſacrati a Dio in traffichi, giuochi, crapule, amoreggiamenti, ed altre vanità mondane. Onde pare, che le Feſte ormai ſiano reſe oggetto d'abominazione al Signor' Iddio, ſecondo l'eſpreſſione terribile, che ne fa per il ſuo Profeta: *Odi, & projeci feſtivitates veſtras; & non capiam odorem cœtuum veſtrorum*; (*Amos* 5. 21.) Anzi ſi muove giuſtamente da ſimili profanazioni l'ira Divina a mandar pubblici flagelli di Guerre, Inondazioni, Terremoti, Peſtilenze, e ſimili, dichiarandoſi lo ſteſſo Dio: *Sabbata mea violaverunt vehementer; dixi ergo, ut effunderem furorem meum ſuper eos, & conſumerem eos*. (*Ezech.* 20. 13.)

Terzo. Conſiderando in oltre la Santità Sua, che una gran parte della depravazione de' coſtumi del Criſtianeſimo procede dalla mala educazione de' Figliuoli per la pochiſſima cura, che ſi pigliano i Padri, e Madri di allevargli nel timor ſanto di Dio, ordina eſpreſſamente a V. S. d' invigilare, acciocchè i Capi di Famiglia adempiſcano l'obbligo ſtrettiſſimo, che hanno di educargli bene, con iſtruirgli, correggergli; e ſoprattutto dar loro buon' eſempio, il che ſe faceſsero, come devono, ſi vedrebbe grandiſſimo miglioramento nel Criſtianeſimo, eſsendo veriſſimo, che i figliuoli mantengono quei coſtumi, che apprendono da fanciulli: *Adoleſcens, juxtà viam ſuam, etiam cum ſenuerit non recedit ab ea*. (*Prov.* 22. 1.)

Am-

Ammoniſca però ſeriamente i medeſimi Padri, e Madri del gran conto, che renderanno a Dio, ſe traſcureranno di tener lontani i loro figliuoli dalle cattive compagnie, e gli laſceranno aſſuefare ad abiti vizioſi, e l'iſteſſo inculchi, e faccia inculcare da' Predicatori, e da' Confeſſori a' Padroni, riſpetto a' loro Servitori, facendo a' medeſimi ben ponderare la graviſſima ſentenza dell'Apoſtolo: *Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior*. (1. *Timot.* 5. 8.)

Quarto. Dovrà V. S. ſpecialmente invigilare, che da' Maeſtri di Scuola, e molto più da' Parochi s'inſegni con tutta diligenza, e particolarmente le Feſte la Dottrina Criſtiana, e che ſi ſpieghino con chiarezza i principali Miſterj della Santa Fede; al che ſaranno di grande ajuto anco altre perſone pie, che a tal'effetto potrebbero deputarſi, come con tanto frutto praticò nella ſua Chieſa di Milano S. Carlo, che ne preſcriſſe regolamenti sì utili anco per l'altre Dioceſi. Ed affinchè i Fanciulli colla dovuta frequenza, e applicazione attendino a queſta sì neceſſaria iſtruzione, V. S. non laſci d'avvertire ſeriamente i Padri, e altri, che ne hanno cura, dell'obbligo di far loro imparare le coſe neceſſarie alla ſalute, ordinando a' Confeſſori di non aſſolvergli, ſe in ciò ſi troveranno notabilmente colpevoli, e contumaci.

Quinto. E perchè pur troppo ſpeſſo ſi vedono più biſognoſi d'iſtruzione gli Adulti, che i Fanciulli medeſimi, dovrà V. S. ricordarſi dell'obbligo, che ha inſieme con tutti i ſuoi Parochi di paſcere per ſe ſteſſa, o in caſo di legittimo impedimento, per mezzo de' Predicatori colla Divina Parola i popoli a ſe commeſſi *non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis*, (1. *Cor.* 2. 4.) ma con proporre, e ſpiegare maſſime utili, e adattate alla capacità degli Uditori, affinchè ognuno reſti informato delle obbligazioni del proprio ſtato, ed eccitato ad adempirle colla dovuta eſattezza. A tal'effetto non laſci d'inculcare a' Parochi, che ſopra ogni altro ſi vagliano del tanto neceſſario, ed util Libro del Catechiſmo Romano; invigilando ſpecialmente, che i medeſimi, ſecondo che vien loro preſcritto dal Sacro Concilio di Trento *nella Seſſ.* 24. *de Reform. cap.* 7. *Inter Miſſarum ſolemnia, aut divinorum celebrationem ſacra eloquia, & ſalutis monita vernaculâ linguâ ſingulis diebus Feſtis, vel ſolemnibus explanent, eademque in omnium cordibus poſtpoſitis inutilibus quæſtionibus inſerere, atque eos in lege Domini erudire ſtudeant*. Riſpetto poi a' Predicatori abbia particolar cura, che eſercitino il loro ufizio con quello ſpirito di pietà, e con quel decoro, che ſi

deve ad un Miniſtero sì Sacroſanto, e perciò uſi tutta l'attenzione tanto in eleggere, quanto in procurare, che da quelli, a' quali appartiene, ſiano eletti a tal carico Soggetti, non meno per l'integrità della vita, che per la ſodezza della dottrina in tutto degni d'amminiſtrarlo, accadendo pur troppo ſpeſſo, maſſime ne' Caſtelli, e Luoghi piccoli, che una licenza, un mal' eſempio, un neo del Predicatore, non ſolo tolga tutto quel frutto, che egli aveſſe potuto mai fare colle ſue Prediche, ma poſitivamente ſia cagione di molti ſcandali, e di molti diſordini.

Seſto. Gioverà anco ſommamente al profitto ſpirituale del ſuo Gregge, ſe V. S. introdurrà non ſolo ne' Borghi, e Ville della ſua Dioceſi, ma anco ne' Luoghi più nobili, e popolati l'uſo della Sacre Miſſioni, sì per potere con queſto mezzo più liberamente, e più utilmente riprendere quegli abuſi, che talora nel ſuo popolo foſſero maggiori, ed in conſeguenza più biſognoſi di rimedio, come per ſupplire con ciò alla penuria, che ſi trova bene ſpeſſo nella Città medeſima della parola di Dio, che da molti non viene predicata con la dovuta ſemplicità, e chiarezza; Avendo moſtrato l'eſperienza anco ultimamente in Roma, che quando ſi ſpiegano familiarmente, ed in forma adattata al frutto per l'anima le coſe di Dio, il popolo le ſente con guſto, concorre con frequenza, e ne riporta grande utile con emendazione de' coſtumi, e edificazione univerſale. Non potrà però eſſere ſe non ottimo conſiglio, che V. S. cominci preſentemente a valerſi di tal mezzo per meglio preparare i Fedeli di coteſta ſua Dioceſi all'acquiſto del Giubbileo, e ſpecialmente, perchè ſiano bene iſtruiti, e pazientemente ajutati a fare una buona Confeſſione Generale, ad effetto d'applicare in tal guiſa l'opportuno, e neceſſario rimedio al pur troppo grave, e frequente male di quelle Confeſſioni, che poteſſero per l'addietro aver fatte invalidamente.

Settimo. Si raccomanda ſpecialmente a V. S. la paterna cura delle Monache, che eſſendo *illuſtrior portio gregis Chriſti*, devono come Spoſe care al Signore eſſere in maggior pregio tenute, e con più ſollecitudine cuſtodite. Procuri perciò V. S., che ne' Monaſterj non s'introduchino rilaſſamenti nell'oſſervanza Regolare, e ſopra tutto, che vi ſi oſſervi la dovuta ritiratezza, togliendo a tal effetto alle Monache la frequenza inutile delle Grate, perchè non ſiano divertite dal divino ſervigio, al quale ſi ſono dedicate, e facendo loro eſattamente oſſervare quanto a' colloquj con perſone di fuori, tanto Secolari, quanto Regolari, quel che ſopra di ciò ſi diſpone

da'

da' Sacri Canoni, dalle Coſtituzioni Apoſtoliche, e da varj Decreti, e dichiarazioni delle Sacre Congregazioni in diverſi tempi emanate, e pubblicate. Procuri altresì, che ſiano provvedute di Confeſſori dotti, d'età provetta, di vita irreprenſibile, zelanti, e diſintereſſati; ed a ſuo tempo di Predicatori eſemplari, e ferventi, che le eſortino con efficacia a mantenerſi fedeli a quel Signore, che fra tante altre le ha elette ad un sì grand'onore, e ad una vocazione sì ſublime. Si ricordi in oltre di far puntualmente oſſervare quel che dalla ſa. me. di Papa Innocenzio XI. fu ordinato, cioè, che tutte quelle, che vogliono farſi Monache in qualſivoglia Monaſtero, anco ſoggetto a' Regolari, ſiano tenute fare gli Eſercizzj Spirituali per dieci giorni avanti, che ricevino l'Abito, e ſiano ammeſſe al Noviziato, e che i medeſimi Eſercizzj ſi ripetino per l'iſteſſo ſpazio di dieci giorni avanti che ſiano ammeſſe alla Profeſſione. E perchè l'iſteſſo Pontefice ordinò parimente, che ſi procuraſſe con tutte le diligenze poſſibili, ma con modi ſoavi, e diſcreti, che ancora tutte le Monache Profeſſe una volta l'anno almeno per qualche tempo, che ſi foſſe ſtimato opportuno, faceſſero i medeſimi Eſercizzj per la rinnovazione dello ſpirito, tanto neceſſaria a perſone del tutto conſacrate a Dio, vuole perciò la Santità Sua, che s'intenda rinnovato anche tal'ordine, e quando fin'ora non ne foſſe ſtata introdotta la pratica in coteſta Dioceſi, incarica ſpecialmente a V. S. di procurarne l'introduzione in tempo, e con l'occaſione del preſente Giubbileo.

Ottavo. Quello poi, in che V.S. deve premere maggiormente ſi è il vivere regolato degli Eccleſiaſtici, affinchè tanto nella decenza dell'abito, e portamento eſteriore, (nel che da molti ſi manca notabilmente,) quanto nella vita, e oneſtà de' coſtumi ſpirino nella Chieſa d'Iddio quell'odore di ſantità, con cui poſſano tirar tutti ſoavemente, ed efficacemente all'amore della virtù, ſiccome richiede la loro profeſſione, e l'obbligo, che gli viene impoſto dal loro grado. Si ricordino d'eſſere nella Chieſa di Dio in alto luogo per eſſer conſiderati da tutti, come regola del ben vivere. Perchè come parla il Concilio di Trento: *In eos tamquam in ſpeculum reliqui oculos coniiciunt, ex iiſque ſumunt, quod imitentur; (Seſſ. 22. cap. 1.)* Che però è neceſſario, che in tutte le coſe: *Nil niſi grave, moderatum, ac religione plenum præſeferant*. Precedendo a tutti coll'eſemplarità della vita, e confermando coll'opere quello, che devono ad altri inſegnare colle parole.

Nono. E perchè è certiſſimo, che quelle ſteſſe Orazioni, che

 fatte

fatte con la dovuta religioſità, ed eſattezza ci rendono degni delle celeſti miſericordie, ſe ſi fanno con traſcuraggine, e irreverenza, chiamano ſopra di noi le maledizioni divine, ſecondo ciò che è ſcritto: *Maledictus homo, qui facit opus Domini negligenter*; E ci ſervono non di merito, ma di colpa, conforme all' eſpreſſione del Profeta: *Oratio ejus fiat in peccatum*; Perciò affinchè per ogni parte ſi tolgano, quanto è poſſibile, le cagioni de' pubblici gaſtighi ſopra l' afflitta Criſtianità, e riſplenda nella Chieſa il dovuto decoro, e maeſtà delle Sagre Funzioni, vuole Sua Beatitudine, che V. S. inculchi premuroſamente a' Canonici, Beneficiati, Manſionarj, Cappellani, Cherici, ed altri Serventi, tanto della ſua Cattedrale, quanto delle Collegiate della ſua Dioceſi l'obbligo ſtrettiſſimo, che hanno d'aſſiſtere in Coro con ogni riverenza, ſilenzio, e modeſtia, come conviene alla preſenza della tremenda Maeſtà dell' Altiſſimo, e di ſalmeggiarvi con divozione di cuore, e diſtinzione di voci, ſenza precipitazione, o troncamento di parole, in modo che una parte del Coro non cominci un verſetto prima, che l'altro non ſia finito, e che il Popolo poſſa intendere quel che ſi canta, ed eſſere eccitato a divozione, e compunzione in udire le Divine Lodi; Avvertendogli, che ſe in ciò notabilmente mancano, non adempiſcono il debito del Miniſtero loro, e però ingiuſtamente ne tirano gli ſtipendj, e ſono in conſeguenza tenuti a reſtituirgli. Sopra di che Sua Santità incarica gravemente la coſcienza tanto di V. S., quanto de' Preſidenti del Coro, ſe non faranno le debite diligenze, affinchè ſi oſſervi quanto di ſopra ſi è detto, e quello che di più deve oſſervarſi, ſecondo la forma de' Sagri Canoni, e delle particolari Coſtituzioni di ciaſcheduna Chieſa; Volendo, che i Traſgreſſori ſiano ſeveramente puniti con puntature, e altre pene canoniche, e i Miniſtri, e Serventi amovibili anco colla rimozione. Maggiore poi di qualſiſia eſpreſſione doverà eſſere l'attenzione, ch' ella è tenuta ad uſare, affinchè il tremendo Sacrifizio dell'Altare, di cui non vi è nel Mondo azione più ſanta, nè più divina ſi offeriſca da' ſuoi Sacerdoti, non ſolo con quella interna purità, che conviene a chi quotidianamente dee porgere all'Eterno Padre il Celeſte Olocauſto del ſuo umanato Figliuolo, ma anco con quell' eſterna divozione nell'eſatta oſſervanza delle Sagre Cirimonie preſcritte dalle Rubriche, che ſi ricerca, affinchè chi è poſto tra Dio, e gli Uomini per placare l'ira ſua Divina, non abbia colle proprie traſcuratezze, e negligenze maggiormente ad irritarla.

Decimo. Per ultimo non potendoſi negare, che il gran numero degli

degli Eccleſiaſtici non diminuiſca molto la ſtima della Dignità Sacerdotale preſſo del Popolo, mentre non ſcorge in molti di loro quella prerogativa di merito, che corriſponde al grado, perciò V. S. vada molto circoſpetta nel conferire gli Ordini, ricordevole dell'ammonizione dell'Apoſtolo: *Manus citò nemini impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis*; (1. *Tim.* 5. 22.) guardandoſi dall'ammettere nel Clero alcuno, come avverte S. Leone: *ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante experientiam diſciplinæ*, e rigettando aſſolutamente, e con petto forte coloro, che non per vero deſiderio di ſervire al Signore Iddio, ma per umani intereſſi, e riſpetti vogliono intruderſi nel Santuario del Signore. Oſſervi perciò eſattamente quel tanto, che in queſta materia ſi diſpone da' Sagri Canoni, e ſpecialmente dal Sagro Concilio di Trento, e procuri di fare ſcelta di Miniſtri idonei, e ben forniti di pietà, e di dottrina; Poichè ſe ben queſti ſon pochi: *melius eſt*, (come ſi legge ne' Sacri Canoni, e ſi comprova coll'eſperienza) *Domini Sacerdotium paucos habere Miniſtros, qui poſſint dignè opus Dei exercere, quam multos inutiles, qui onus grave ordinatori adducant.* (*C. Tales diſt.* 23.)

Con l'oſſervanza delle ſopraddette coſe confida la Santità Sua d'aver la conſolazione tanto deſiderata dal ſuo paterno cuore, di vedere, mediante l'eſtirpazione de' principali abuſi, e lo ſtabilimento d'una vera pietà Criſtiana reſa la noſtra Italia libera dalle preſenti calamità, e dalle maggiori, che la Giuſtizia di Dio ci minaccia; e diſpoſta ſemprepiù a ricevere sì nello Spirituale, come nel Temporale gli effetti abbondanti delle Divine miſericordie, &c.

Roma 16. Marzo 1703.

G. Card. di Carpegna Prefetto.

N. Grimaldi Segretario.

Sommario dell'Indulgenze conceſſe a quelli, che inſegnano, e frequentano la Dottrina Criſtiana.

IL Beato Pio Quinto concede a tutti i Fedeli Criſtiani dell'uno, e l'altro ſeſſo, che ſaranno aſcritti nella Compagnia della Dottrina Criſtiana per ogni volta, che, o con inſegnare ad altri, o con imparare ſi occuperanno in queſto ſanto Eſercizio, Indulgenza di anni quaranta.

Queſta da Gregorio XIII. fu confermata, aggiungendovi altri cento anni di vera Indulgenza.

Clemente VIII. ampliando queſti Teſori ſpirituali, conceſſe a quelli, che

che ſaranno in detta Compagnia il primo giorno del loro ingreſſo, confeſſati, e comunicati, Indulgenza Plenaria: E nell'articolo della morte loro, dopo la debita confeſſione, e comunione, e ſe ſaranno impediti, dato alcun ſegno di contrizione, invocando il nome di Gieſù con la bocca, ovvero col cuore, conſeguiranno Indulgenza Plenaria.

Similmente a tutti i Confrati, che eſercitati nell'opere pie di queſta Confraternità, la terza Domenica di qualunque Meſe veramente confeſſi, e contriti ſi comunicheranno, e pregheranno Dio per la concordia de' Principi Criſtiani, per l'eſtirpazione dell' Ereſie, e per l'eſaltazione di S. Chieſa, concede Indulgenza Plenaria.

In oltre a tutti quelli della Compagnia, che ſi troveranno preſenti alle Congregazioni pubbliche, e private di detta Compagnia, ovvero, che inſegneranno la Dottrina Criſtiana, o altri principj della Fede, ogni volta, che in una di queſte coſe ſi occuperanno, concede cento anni d'Ingulgenza.

E a ciaſcheduno, che attualmente inſegnerà, ovvero farà l'aſſiſtente, o coadiutore a tal' eſercizio, ogni volta concede parimente anni cento d'Indulgenza.

A' Padri, Madri, e a chi manderanno putti, o putte a imparare la Dottrina Criſtiana, divotamente recitando cinque Pater noſter, e cinque Ave Marie per l'eſaltazione di Santa Chieſa, per l'eſtirpazione dell' Ereſie, e per la conſervazione, e augumento di queſt' opera, concede cento anni d'Indulgenza: Le quali tutte ſono ſtate grandemente accreſciute da Papa Paolo V. per l'Arciconfraternità della Dottrina Criſtiana di Roma, e per quelle Compagnie, che alla medeſima Arciconfraternità ſaranno aggregate.

CAPUT VI.

De Prædicatione Verbi Dei.

Conſtitutio Clementis PP. X. in qua Regularium Privilegia circa prædicationem Verbi Dei, & Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem declarantur.

Superna magni Patris, &c.

Sanè cùm Sacri Concilii Trid. Decretis providè ſtatutum fuerit, ut Regulares cujuſcumque Ordinis, niſi à ſuis Superioribus de vita, moribus, & ſcientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicare non poſſint; cum qua licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab

& ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant; In Eccleſiis verò, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, ultra licentiam ſuorum Superiorum, etiam Epiſcopi licentiam gratis ab eo dandam habere teneantur, ſine qua in ipſis Eccleſiis non ſuorum Ordinum nullo modo prædicare poſſint; atque ut nullus Secularis, ſive Regularis, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum, contradicente Epiſcopo prædicare præſumat, idemque cùm nullus Sacerdos Regularis poſſit Confeſſiones Secularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneus reputari, niſi aut Parochiale Beneficium obtineat, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur neceſſarium eſſe, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis, & conſuetudine quâcumque non obſtantibus; Innotuit Nobis dubitationes nonnullas circa benedictionem, licentiam, contradictionem, examen, & approbationem ejuſmodi in aliquibus Diœceſibus excitatas fuiſſe, ex quibus controverſiæ, & diſſenſiones permultæ in diem ſubſequi poſſent occaſione privilegiorum, quæ per Sedem Apoſtolicam Religioſis Ordinibus conceſſa fuerunt.

Nos attendentes, quòd aliàs diverſis temporibus prædictæ dubitationes, & controverſiæ nonnullis Prædeceſſorum Noſtrorum Summorum Pontificum Conſtitutionibus, earumque declarationibus definitæ fuerint; ejuſmodi definitiones in unum collectas, ut magis, magiſque diſſenſionum tollantur ſemina, & impoſterum firmior in agro Dominico pax Chriſti floreat, pro ſummo, quo fungimur, Apoſtolatus officio, novis Apoſtolicis Literis muniendas duximus, & roborandas. Itaque de conſilio nonnullorum Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum, pietate, doctrinâ, & prudentiâ præſtantium, & maturâ deliberatione Noſtrâ, atque ex certa ſcientia, hac generali, & perpetuò valiturâ conſtitutione decernimus, ac declaramus.

Regulares, qui in Eccleſiis ſui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Epiſcopo Diœceſano benedictionem petere, prædicare tamen poſſe, quamvis illam non obtinuerint; quòd ſi Epiſcopus benedictionem, nedum non conceſſerit, ſed etiam contradixerit, ne in prædictis quidem Eccleſiis licere Regularibus prædicare, eoſque contravenientes ab illo, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegato, cenſuris, aliiſque pœnis Eccleſiaſticis in vim Conſtitutionis fel. rec. Gregorii XV. Prædeceſſoris Noſtri incipientis: *Inſcrutabili Dei Providentia*, coërceri, & puniri poſſe: Epiſcopum tamen abſque juſta,

& ra-

& rationabili cauſſâ contradicere non debere; & hujuſmodi benedictionem teneri, etiam Regulares petere, ſi in quibuſcumque Oratoriis ſui Ordinis Sermonem coram Populo, vel in Eccleſiis, aut ad Crates Monaſteriorum Sanctimonialium, eorum Juriſdictioni ſubiectarum, licèt clauſis janius, & nullus Secularis ibi interſit, habere voluerint; poſſe autem Epiſcopum licentiam conceſſurum Regularibus in Eccleſiis, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, prædicare volentibus, illos, quamvis ab Univerſitatibus, aut à Magiſtratibus laicis nominatos, etiamſi Epiſcopi Anteceſſores per tempus immemorabile hanc licentiam abſque examine concedere conſueverint, quo ad doctrinam examinare, ſi ità ipſius arbitrio, quod moderatum, & diſcretum eſſe debet, viſum fuerit: Et licentiam prædicandi ſemel iiſdem conceſſam ob rationabiles cauſſas, licet occultas, prædicationem tamen concernentes, ſuſpendere; non poſſe tamen Epiſcopum generatim prohibere Regularibus, quin in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicent:

Ad hæc Religioſos ab Epiſcopo ad Confeſſiones Secularium in ſua Diœceſi audiendas approbatos, non poſſe in alia Diœceſi eas abſque Epiſcopi Diœceſani approbatione audire, quamvis pœnitentes ſubditi ſint ejus Epiſcopi, à quo ipſi Religioſi jam fuerant approbati, & generaliter approbatos ab Epiſcopo ad perſonarum Secularium Confeſſiones audiendas, nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas Confeſſiones Monialium ſibi ſubiectarum, ſed egere quo ad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione, atque approbatos pro audiendis Confeſſionibus Monialium unius Monaſterii, minimè poſſe audire Confeſſiones Monialium alterius Monaſterii; itidemque Confeſſores extraordinarios ſemel deputatos, atque approbatos ab Epiſcopo ad Monialium Confeſſiones pro una vice audiendas, haud poſſe expletâ deputatione in vim approbationis hujuſmodi illarum confeſſiones audire: ſed toties ab Epiſcopo eſſe approbandos, quoties caſus deputationis contigerit: Cæterùm in Monaſteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta Regularia inſtituta vivitur, poſſe tàm Prælatos Regulares, quàm Confeſſores Regularium eorundem Monaſteriorum, ſeù Collegiorum audire Confeſſiones illorum Secularium, qui inibi ſunt verè de familia, & continui commenſales, non autem illorum, qui ipſis deſerviunt; illos autem Religioſos, qui ad Confeſſiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Epiſcopis generaliter quoque, & indiſtinctè, abſque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis perſonarum in Diœceſi propria admittendos: quò ad ceteros verò, qui non adeò

idonei

[illegible] reperientur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui ipſos cum limitata facultate, prout eiſdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere; ſemel autem ſimpliciter approbatos poſſe in Diœceſi Epiſcopi approbantis quovis anni tempore, etiam Paſchali, & quorumcumque etiam Infirmorum Confeſſiones audire abſque ulla Parochorum, vel ipſius Epiſcopi licentia; de qua tamen confeſſione teneri dictos Religioſos eorumdem Infirmorum Parochum illicò certiorem reddere, & hoc poſſe illis ab Epiſcopo, ſub pœna ſuſpenſionis à facultate audiendi Confeſſiones, præcipi; ſufficere tamen, ut certioratio hujuſmodi fiat ſaltem per ſcripturam apud ipſum Infirmum relinquendam.

Et eos, qui dictis Religioſis ſimpliciter approbatis Paſchali tempore confeſſi fuerint, Conſtitutioni, quæ incipit: *Omnis utriuſque ſexus*, quò ad Confeſſionem dumtaxat ſatisfeciſſe cenſendos. Regulares verò ad ejuſmodi Confeſſiones audiendas prævio examine ſimpliciter, & abſque ulla temporis præfinitione ab ipſomet Epiſcopo, (ſecus autem ſi ab ejus Vicario, aut ab Anteceſſoribus Epiſcopis) approbatos, non poſſe ab eodem, qui ſic approbavit, iterum examinari, aut ab eiſdem Confeſſionibus audiendis ſuſpendi, ſeu licentias illis conceſſas revocari, niſi novâ ſuperveniente cauſsâ, quæ ipſas Confeſſiones concernat: De qua tamen haud neceſſarium eſſe, ut in actis conſtet, nec eam teneri Epiſcopum ipſis Regularibus ſignificare; ſed Sedi Apoſtolicæ dumtaxat, ubi eam ſibi aperiri poſtulaverit. Porrò ſi Regulares cum ſcandalo, aut aliàs inhoneſtè vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Epiſcopi Judicio videantur à Confeſſionibus ſuſpendi, in quo ipſius Epiſcopi conſcientiam oneratam eſſe volumus, cum præcipua Miniſtri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas ſit vitæ integritas, ac morum honeſtas, utique eam cauſſam ad Confeſſionis Miniſterium pertinere, ac proindè nihil obſtare, quo minùs ob eam poſſit Epiſcopus Regulares à ſemetipſo approbatos ſuſpendere, aut repellere à Confeſſionibus audiendis: Attamen Confeſſiones audiendi facultatem omnibus ſimul unius Conventus Regularibus Confeſſoribus adimi ab Epiſcopo inconſultâ Sede Apoſtolicâ nullatenus poſſe. Ex facultatibus per mare magnum, aliave privilegia, Regularibus cujuſcumque Ordinis, Inſtituti, aut Societatis, etiam Jeſu, conceſſis, factam eis non eſſe poteſtatem abſolvendi in caſibus ab Epiſcopo ſibi reſervatis: Et per confirmationes dictorum privilegiorum, quas Regulares à Sede Apoſtolica poſt Sacrum Concilium Trid. obtinuerunt, nequaquam reviviſſe privilegia priùs ab eodem Concilio, ac deindè Apoſtolicis

etiam Decretis ſublata, atque extincta, ſi quæ habebant, abſolvendi à Caſibus ab Epiſcopo reſervatis.

Et habentes facultatem abſolvendi ab omnibus Caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, non ideo à Caſibus Epiſcopo reſervatis poſſe abſolvere: Poſſe autem Regularem Confeſſorem in ea Diœceſi, in qua eſt approbatus, confluentes ex alia Diœceſi à peccatis in ipſa reſervatis, non autem in illa, ubi idem Confeſſor eſt approbatus, abſolvere, niſi eoſdem pœnitentes noverit in fraudem reſervationis ad alienam Diœceſim pro abſolutione obtinenda migraſſe; Vigore ſupradictorum privilegiorum nequaquam licere Regularibus, etiam ſatisfactâ parte, abſolvere pœnitentes à cenſuris quoad externum, & Judiciale forum, & abſolutos ab eis in foro pœnitentiali, utique non cenſeri abſolutos in exteriori Judicio, & contentioſo: Quinimò cenſuris Eccleſiaſticis irretitos, & denunciatos, ab Epiſcopis cogi poſſe gerere ſe pro talibus, etiamſi à Regularibus fuerint abſoluti, quoties exhibitis aliquibus Regularium Apoſtolicis privilegiis coram Epiſcopo, ab eo judicetur ipſa non ſuffragari caſui, de quo agitur; ſi dictorum privilegiorum verba obſcura ſint, & ambigua, non eſſe ad Metropolitanum provocandum, ſed cùm ejus ſit interpretari, cujus eſt condere, dictorum privilegiorum interpretationem Sedis Apoſtolicæ Judicio, prout aliàs Conſtitutione Prædeceſſoris Noſtri fel. rec. Clem. IV. ſtatutum fuit, eſſe requirendam.

Decernentes ſi, &c. Nulli ergo hominum, &c.

Datum, &c. 1670. Pontificatus Noſtri Anno 1.

Lettera della S. Congregazione ſopra i Negozzj de' Veſcovi, e Regolari del dì 10. Ottobre 1676.

SOPRA I PREDICATORI.

ERa coſtume d' alcuni Predicatori valerſi di maniere così improprie, tanto circa la ſoſtanza, quanto circa lo ſtile, e modo di predicare la parola di Dio, che in vece di ſomminiſtrare a' Popoli il pane delle Dottrine, e Virtù Criſtiane, ſecondo le Regole, e i Dettami de' Santi Padri, andavano paſcendo gl' intelletti degli Uditori con varie inutili curioſità di deſcrizioni, Paradoſſi, e favoloſi racconti, da che preſero motivo alcune perſone dotate di vero zelo Eccleſiaſtico, d' inſinuare alla ſan. mem. di Clemente X. il poco, o niun frutto, che da tali Predicazioni ſe ne ritraeva, acciò con la ſua paterna provvidenza ſi degnaſse di dare gli ordini opportuni per rimedio di sì grave abuſo: In adempimento di che la Santità Sua comandò a gli Ordinarj de' Luoghi, che avvertiſsero ſeriamente

i Pre-

Digitized by Google

i Predicatori delle loro Dioceſi, anche ſotto gravi convenienti pene ad aſtenerſi da' ſopradderti inutili diſcorſi, ma che con ſpirito ripieno di ſanto zelo procuraſsero d'eccitare ne' cuori de' Popoli l'Amore, e il Timore di Dio, e l'averſione, e odio verſo i peccati; e ſebbene s'è avuto notizia, che tal provvedimento abbia in buona parte ſortito il ſuo effetto, potendoſi nondimeno dubitare, che nel progreſso di tempo ſia per diminuirſene l'eſatta oſservanza; perciò la Santità di Noſtro Signore, quale, come Padre vigilantiſſimo, non ha ſollecitudine maggiore, che di moltiplicare l'Erario della Chieſa di Do, con l'acquiſto delle Anime, ſapendo quanto a queſto effetto ſia valevole la Predicazione Evangelica, con ſentimenti di ſomma pietà ſi è degnato comandarmi, che rinnuovi il medeſimo Ordine a V. S. acciò ammoniſca in nome di Sua Beatitudine con reiterati Precetti quelli, che averanno l'ufizio di predicare in coteſta Città, e Dioceſi, ad evitare onninamente tali inutili diſcorſi, valendoſi di quelle forme, che ſaranno più conferenti per ammaeſtrare i Popoli nelle Verità Cattoliche, infervorargli nell'amore Divino, ed allontanargli da' vizzj; Glielo ſignifico, &c.

Literæ Sacræ Congregationis S. R. E. Cardinalium Sac. Concilii Trid. Interpretum, ſuper Verbi Dei Prædicatione.

De die 6. Iulii 1680.

A Pluribus Chriſtiani Orbis Provinciis, graves, frequenteſque Romam, atque ad ipſam Sanctam Sedem adventant, ſeù delationes, ſeù querelæ adversùs præſentem Prædicationis uſum, tanquam à primævo Apoſtolorum inſtituto prorſus aberrantem. Ac cùm quidem Verbum Dei, quod Apoſtolo teſte, omninò debet eſſe ſanum, ac ſalutare, multipliciter per plures ex ipſis Evangelii Præconibus reddatur infectum; meritò Sanctiſs. D. N. decrevit contagionem iſtam Univerſo gregi tam exitioſam, longeque patentem omni Apoſtolicæ auctoritatis conatu prorſus excindere; nam quæ peſtis eſse, aut cogitari violentior eâ poteſt, quæ cibos ipſos ad vitæ præſidium inſtitutos, ipſaſque medicinas pro morbis depellendis inventas, in mortis inſtrumenta, & præſentiſſima venena converterit? Verbum profectò Dei panis eſt ille vitæ, & intellectus, quo cibari, & aqua ſimul ſalutaris, qua potari Fidelium animas ab ipſis Religionis Chriſtianæ incunabulis Redemptor noſter edocuit. At verò ſi ſal, quod pro Dei Verbo à Sanctis accipitur, per futiles Conciones evanuerit, in quo putreſcentia Mortalium vitia condientur? Quinimò ſi ſal idem, quod Prædicatores apertè ſignificat, per eloquen-

tiam planè ſtultam infatuatum fuerit, revera non ultra valebit, niſi ut conculcetur, & utinam jam non conculcaretur, ab hominibus; quæ enim Myſterio tam ſacro Majeſtas, qui decor, quæ Sanctitas, quæ utilitas ineſt? Quando plurimi, ut Paulus clamat, Verbum Dei adulterantes, aut in jocis tanquam Hiſtriones, aut converſi ad fabulas, uti Poëtæ, auditores prurientes auribus coacervant, aut inanis facundiæ lenocinio, & calamiſtrato, ac meretricio planè ſtylo prædicationis fidem corrumpunt. Mandat ergo Sanctitas Sua zelo verè Apoſtolico accenſa, ut omnes Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, ceterarumque Eccleſiarum Præſides, quorum præcipuum munus eſt Verbum Dei adminiſtrare, gregemque paſcere, tantis corruptelis occurrant, eaſque Concionatoribus opportunè ſub oculis ponant, ut fugiant à facie tot peſtium potiùs, quàm colubrorum, & præſertim universè intelligant, quod per Jeremiam Deus illis indixit; Propheta, qui habet ſermonem meum, loquatur ſermonem meum verè, quid palea ad triticum? numquid verba mea non ſunt ignis, dicit Dominus, & quaſi Malleus conterens Petras? Videlicet oportere Conciones, non paleis refertas eſse ad vanitatem, ſed igne veritatis ſuccenſas: Porrò ſciant non levem eſse culpam, ſed grande piaculum, graviſſimâque pœnâ mulctandi ſunt, ubi per ſcurrilitatem Verbum Dei veluti in ſcenam adducunt, atque Auditoribus deridendum traduxerint: Præterea, neque per quæſtiones curioſas, ac paradoxa tam vana ita ſupra captum Populorum aſſurgant, ut verè querantur, Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis; ſimiliter neque per illecebras inanium verborum res non minùs vanas obtrudant, & per oſtentationem memoriæ, atque pronunciationis præcipitantiam, quaſi præſtigiis, Auditorum animas, aureſque ludificent; quamobrem Antiſtites per ſe, ſi tempus vacaverit, tùm in Cathedralibus, tùm in aliis Eccleſiis feriò animadvertant, & in Diœceſi Vicariis foraneis, aliiſque Miniſtris, probiſque viris, à quibus ea ſuper re relationes exigant, vigilantiam demandent. Ac ſi Concionatores normam hujuſmodi tranſgreſſos compererint, eos à prædicationis munere ad tempus benè viſum ſuſpendant, aliâve ratione pro modo culpæ plectere curent; ſubrogando interim alios, qui ſalutari modo Populo oſtendant vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœleſtem gloriam valeant conſequi. Amplitudo igitur tua, &c.

Vide §. quintum Literæ Circularis S.D.N. Clem.XI. de die 16. Martii 1703. impreſſa ſuperius in Addit. ad Cap. V. De Doctrina Chriſtiana.

CA-

CAPUT VII.

De Judæis.

Conſtitutio 68. Gregorii XIII.

Medici Hebræi, vel Infideles, ad curandos Chriſtianos infirmos non admittantur. Et Medici omnes ſervent Conſtitutionem B. Pii V. in monendis Infirmis ad Confeſſionem peccatorum.

ALiàs piæ mem. Paulus Papa IV. Prædeceſſor Noſter editâ perpetuâ Conſtitutione inter alia ſancivit, ne Medici Judæi, etiam vocati, & rogati, ad Chriſtianorum ægrotantium curam accedere, aut illi intereſſe poſſent.

Quam Conſtit. poſtea Pius Papa V. etiam Prædeceſſor Noſter per ſuas Literas approbavit, innovavit, & confirmavit; & robur perpetuæ firmitatis obtinere decrevit, ac voluit, & ſub interminatione divini judicii præcepit, & mandavit, omnia in eadem Conſtit. contenta in poſterum firmiter obſervari, non ſolùm in Terris, & dominiis S. R. E. ſubjectis, ſed etiam ubique locorum.

Quia tamen Nobis non ſine magna animi Noſtri moleſtia innotuit, ea minimè obſervari, ſed multos adhuc ex Chriſtianis hominibus eſſe, qui dum ſuos corporum languores illicitis mediis, & præcipuè Judæorum, ac aliorum Infidelium operâ ſanari cupiunt, veræ ſalutis animarum ſuarum, & corporum ſimul immemores fiunt, & quod valdè dolendum eſt, in damnationis æternæ maximum ſæpè diſcrimen incidunt, Medicis Judæis, & Infidelibus hujuſmodi ad ipſorum curationem vocatis, & adhibitis: undè fit, ut & Judæis, ac aliis Infidelibus magna detur delinquendi occaſio, & ſimul ſalutare præceptum negligatur, ab Innoc. Papa III. ſimiliter Prædeceſſore Noſtro in Conc. generali quondam emiſſum, & deindè à prædicto Pio V. innovatum, quòd omnes Medici, cùm ad infirmos in lecto jacentes vocati eſſent, ipſos ante omnia monerent, ut idoneo Confeſſori omnia peccata ſua, juxtà ritum S. R. E. confiterentur, neque tertio die ulteriùs viſitarent, niſi longius tempus infirmo Confeſſor ob aliquam rationabilem cauſſam, ſuper quo ejus conſcientia onerabatur, conceſſiſſet, & eis per fidem Confeſſoris in ſcriptis factam conſtaret, quod Infirmi peccata ſua confeſſi fuiſſent.

Idcircò Nos, tàm Judæos, qui adverſus mandata hujuſmodi Apoſt. committere audeant, quàm Chriſtianos, qui illos ad ſe accerſunt, vel medendi licentiam concedunt, & viam ad delinquendum eiſdem aperiunt, coërcere volentes, ſupradictas Prædeceſſorum Noſtrorum Con-

Conſtitutiones, auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium approbamus, confirmamus, & innovamus, ac inviolabiliter obſervari mandamus, atque hanc Noſtram in perpetuum valituram Conſtitutionem, eiſdem Conſtitutionibus, & præceptis, pro firmiori illorum obſervatione addentes, univerſis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus diſtrictè inhibemus, & interdicimus, ne poſthac Judæos, vel alios Infideles ad ipſorum Chriſtianorum ægrotantium, & infirmorum curam vocent, ſeu admittant, aut vocari, admittivè faciant, concedant, vel permittant.

Mandantes propterea omnibus, & ſingulis venerabilibus Fratribus Noſtris, Patriarchis Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, necnon dilectis filiis aliis Locorum Ordinariis, & quibuſvis Parochis, aliiſve animarum curam habentibus, & exercen. ſub indignationis Noſtræ, ac aliis arbitrio Noſtro infligendis pœnis, ut præſentes Noſtras Literas in ſuis Eccleſiis, quæ in illis Civitatibus, vel Diœceſibus conſtitutæ ſunt, in quibus Hebræi, vel alii Infideles moram trahunt, quamprimum ad eos perlatæ fuerint, & deindè ſingulis annis initio Quadrageſimalis jejunii publicent, aut publicari faciant.

Et quòd, ſi quis poſt earum publicationem etiam quomodolibet exemptus, ac cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ exiſtens adverſus illa facere auſus fuerit, Sacramenta ei Eccleſiaſt. nullatenus miniſtrentur, nec etiam à Regularibus exemptis, & ſic decedens Eccleſiaſticâ careat ſepulturâ, quæ quidem omnia Parochi ægrotantibus ſignificare apto tempore non omittant, præſertim cum Judæum, vel Infidelem Medicum ab eis admiſſum eſſe cognoverint, & aliàs ipſi locorum Ordinarii contra hujus mandati tranſgreſſores debita animadverſione procedant, Judæoſque ipſos nihilominus, juxtà Pauli, & Pii Pont. prædictorum Literas contra illos editas pro earum tranſgreſſione puniant.

Non obſtant. Conſtit. & Ordinat. Apoſt. ac omnibus illis, quæ idem Paulus, & Pius in ſuis Literis prædictis voluerunt non obſtare, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſt. quibuſvis perſonis, etiam Regularibus, privilegiatis, & exemptis, eorumve Ordinibus, & Congregationibus, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, etiam Marimagno, ſeu Bulla aurea nuncupata, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua mentio, ſeù quævis alia expreſſio

preſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervandu foret, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & formâ in illis traditâ obſervatâ, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, contrariis quibuſcumque, ſeu ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per Literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Et quia difficile, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 30. Martii 1581. Pont. Noſtri Anno 9.

Vide ſupra Cap. III. De Cathecumenis, & Neophytis Conſtitutionem D. N. D. Clementis XI. Propagandæ per Univerſum, &c.

CAPUT XI.

De Sortilegis, Maleficis, & Superſtitioſis.

Contra Aſtrologos, &c. Conſtitutio 68. Xiſti PP. V. quæ incipit

COeli, & Terræ, &c.

Nos igitur, qui pro Noſtro Paſtoralis officii munere fidei integritatem inviolatam conſervare debemus, & animarum ſaluti proſpicere, quantum divinâ gratiâ adjutrice poſſumus, ex paternæ charitatis viſceribus optamus, damnantes, & reprobantes omne genus divinationum, quæ Diabolo auctore ad Fidelium deceptionem à prædictis curioſis, vel perditis hominibus fieri ſolent. Cupientes præterea ſanctam illam Chriſtianæ Religionis ſimplicitatem, præſertim ubi agitur de ſumma Creatoris Dei poteſtate, ſapientia, & providentia, ab omni erroris labe integram atque incorruptam, ut par eſt, retineri. Volentes quoque prædictæ falſæ credulitati, ac hujuſmodi illicitarum divinationum, & ſuperſtitionum deteſtabili ſtudio, & execrandis flagitiis, atque impuritatibus occurrere, ut de Chriſtiano populo meritò dici poſſit, quod de antiquo Dei populo ſcriptum eſt: Non eſt augurium in Jacob, neque divinatio in Iſrael, hac perpetuò valiturâ conſtitutione, Apoſt. auctoritate ſtatuimus, & mandamus, ut tàm contra Aſtrologos, Mathematicos, & alios quoſcumque dictæ Aſtrologiæ artem, præterquam circa agriculturam, navigationem, & rem magicam, in poſterum exercentes, aut facientes judicia, & nativitates hominum, quibus de futuris contin-

tingentibus, ſucceſſibus, fortuitiſque caſibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid eventurum affirmare audent, etiamſi id ſe non certò affirmare aſſerant, aut proteſtentur, quàm contra alios utriuſque ſexus, qui ſupradictas damnatas, vanas, fallaces, & pernicioſas divinandi artes, ſive ſcientias exercent, profitentur, & docent, aut diſcunt, quive hujuſmodi illicitas divinationes, ſortilegia, ſuperſtitiones, veneficia, incantationes, ac præmiſſa deteſtanda ſcelera, & delicta, ut præfertur, faciunt, aut in eis ſe quomodolibet intromittunt, cujuſcumque dignitatis, gradus, & conditionis exiſtant, tàm Epiſcopi, & Prælati, Superiores, ac alii Ordinarii Locorum, quàm Inquiſitores hæreticæ pravitatis ubique gentium deputati, etiamſi in pleriſque ex his caſibus antea non procedebant, aut procedere non valebant, diligentiùs inquirant, & procedant, atque in eos ſeveriùs Canonicis pœnis, & aliis eorum arbitrio animadvertant.

Prohibentes omnes, & ſingulos libros, opera, & tractatus hujuſmodi Judiciariæ Aſtrologiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, Artis Magicæ, aut in quibus ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, execrabiles incantationes, ac ſuperſtitiones continentur, ac, ut ſupra in memorato Indice, interdictos ſub cenſuris, & pœnis in eo contentis, à quibuſcumque Chriſtifidelibus legi, aut quomodolibet retineri, ſed illos Epiſcopis, & Ordinariis Locorum, vel Inquiſitoribus prædictis præſentari, & conſignari debere. Et nihilominus eâdem auctoritate ſtatuimus, & mandamus, ut contra ſcienter legentes, aut retinentes libros, & ſcripta hujuſmodi, ſeu in quibus talia continentur, ſimiliter iidem Inquiſitores liberè, & licitè procedant, ac procedere, & pœnis condignis punire, & coërcere poſſint.

Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Ut autem præſentes Noſtræ Literæ ad communem omnium notitiam faciliùs deducantur, jubemus illas in valvis Baſilicarum S. Joan. Lateranen. & Principis Apoſtolorum de Urbe, ac in acie Campi Floræ affigi, ſeu appendi, eiſque detractis ipſarum exempla, etiam impreſſa eiſdem in locis affixa relinqui.

Et inſuper univerſis, & ſingulis Venerabilibus Fratribus Noſtris Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Locorum Ordinariis, & Prælatis, necnon Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis ubilibet conſtitutis, per hæc committimus, & in virtute ſanctæ Obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, ut per ſe, vel alium, ſeu

alios

alios eaſdem præſentes Literas, poſtquam eas receperint, ſeu earum notitiam habuerint, in ſuis, & ſingulis Parochialibus Eccleſiis, dum in eis populi multitudo ad divina convenerit, deindè verò ſemel in anno; & quoties eis expedire videbitur, vulgari ſermone publicent, aut publicari faciant.

Quia verò difficile, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnat. Dominicæ 1586. nonis Januarii, Pont. Noſtri Anno 1.

Conſtitutio 46. Gregorii PP. XV. contra Maleficos, & Sortilegos cum Diabolo pactum facientes, à Fideque apoſtatando alios lædentes; Quæ incipit:

Omnipotens Dei, &c.

Sanè nonnulli ſuæ conditionis obliti, & ſolemnis ſponſionis ab iis factæ, cùm in Chriſti gregem per ſacrum regenerationis lavacrum adſciti fuerunt, Sathanæ, cui renunciarunt, artibus, maleficiis, ſuperſtitionibus, ac nefariis inventis operam dare non verentur, quinimò magiſtrum imitantes, qui capitali odio, quo humanum genus proſequitur, hominibus inſidiari numquam ceſſat, proximum variis modis lædere, animas verò ſuas perdere non timent.

Quapropter, ut tam exitioſa ſcelera à Chriſtifidelibus arceantur, gravioribus pœnis vindicanda duximus. Motu itaque proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium decernimus, præcipimus, & mandamus, ut conſtito, quòd aliquis pactum cum Diabolo fecerit, & à Fide apoſtatando, maleficiis, ſive ſortilegiis unam, ſeù plures perſonas ita læſerit, ut ex maleficio, vel ſortilegio mors ſecuta ſit, etiam primo lapſu Curiæ ſæculari tradatur, debitis pœnis puniendus; qui verò, ſimiliter apoſtatando, pactum cum Diabolo, ut præfertur, fecerit, & maleficium, ſeu ſortilegium commiſerit, licèt mors ſecuta non ſit, infirmitas tamen, divortia, impotentia generandi, ſive animalibus, frugibus, vel aliis fructibus damnum notabile provenerit, muro claudi, ſive perpetuis carceribus in Sancto Inquiſitionis Officio, ubi ille exiſtit, fabricandis mancipari debeat.

Qui verò ſimilium delinquentium notitiam habuerint, eos Epiſcopo, ſive Inquiſitori denunciare teneantur.

Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 20. Martii 1623, Pontificatus Noſtri Anno 3.

CAPUT XII.

De Blaſphemis.

Conſtitutio 5. B. Pii PP. V. Continet Ordinationes circà obſervantiam Divini cultus in Eccleſiis, & venerationem Feſtivitatum, necnon etiam contra Simoniacos, Blaſphematores, Sodomitas, & Concubinarios.

PIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

CUm primum Apoſtolatus officium divinâ Nobis diſpoſitione commiſſum ſuſcepimus, ſtatim omnem curam, & cogitationem Noſtram in Dominici gregis Fidei noſtræ crediti ſalute defiximus, & Chriſtifideles Deo juvante ita dirigere ſtatuimus, ut à vitiis, & peccatis abſtinentes, iter, quod ad vitam æternam ducit, inſiſtant.

§. 1. Cùm autem ad omnia, quæ Divinam Majeſtatem aliquo modo poſſent offendere, removenda mentis noſtræ aciem intenderimus, ea primùm, & ſine mora emendare decrevimus, quæ Deo præter cetera diſplicere, & iram ejus provocare, cùm divinæ docent Scripturæ, tùm graviſſima exempla declarant, nempè divini cultus neglectum, ſimoniæ labem, blaſphemiæ crimen, & libidinis naturæ contrariæ vitium execrandum, propter quæ populi, & nationes, bellorum, famis, & peſtilentiæ calamitatibus juſtâ Dei ultione ſæpè plectuntur. Etſi autem contra eos, qui tam gravia crimina admiſerint, multæ à Prædeceſſoribus Noſtris Conſtitutiones editæ fuerunt, tamen quia parum eſt leges edere, niſi ſint, qui eas debitis temporibus exequantur.

§. 2. Idcircò, ne qui forſan ex tolerantia ſperare impunitatem audeant, ſcientes pleroſque pœnarum gravitate magis, quàm Dei timore arceri ſolere à voluntate peccandi, omnes, & ſingulas ſententias, cenſuras, & pœnas contra eos, qui talia deliquerint, latas confirmamus, & Apoſtolicâ auctoritate innovamus, nec de earum rigore quicquam relaxamus, admonemuſque eos, qui talia perpetrare veriti non fuerint, non ſolùm ſubituros eas pœnas, quæ ſacris ſunt Canonibus conſtitutæ, ſed eas etiam, quas leges civiles comminantur, & Noſtri quoque arbitrii diſcretio pro perſonarum qualitate conſtituet.

§. 3. Mandantes Civitatum, & Locorum Status Noſtri Eccleſiaſtici pro tempore Ordinariis, & Gubernatoribus, illis quidem ſub pœna ſuſpenſionis à Divinis, his verò ſub pœna excommunicationis

latæ

Digitized by Google

latæ ſententiæ, ut quos debitum Deo cultum in Eccleſiis non tribuere, aliiſque nefandis criminibus pollutos eſſe compererint, comprehendi curent pœnis afficiendos competentibus. Scituris etiam ipſis Judicibus, quòd ſi poſt hanc Noſtram Conſtitutionem in caſtigandis hujuſmodi delictis negligentes fuerint, primùm quidem Dei Omnipotentis judicio obnoxii erunt, deindè Noſtram quoque incurrent indignationem. Ut autem pœnarum certitudo cunctis faciliùs innoteſcat, nonnullas hìc duximus exprimendas, aliis nihilominus contra hujuſmodi criminum reos à jure ſtatutis in ſuo robore manentibus.

§. 4. Ut igitur Deo Optimo Maximo, Glorioſæ Virgini, & Sanctis omnibus debitus honor deferatur, Gregor. X. Prædeceſſoris Noſtri Conſtitutionem innovantes, ac ſtatuta in Tridentino Concilio obſervari volentes, ſtatuimus, & ordinamus, ut ad Eccleſias ſit humilis, & devotus ingreſſus, quieta converſatio, devotis orationibus inſiſtant, & omnes genibus flexis Sanctiſſimum Sacramentum adorent, ad Nomen JESU CHRISTI Domini Noſtri cum exhibitione reverentiæ caput inclinent; nullus in dictis Eccleſiis ſeditionem faciat, tumultum excitet, clamores moveat, impetumve committat; ceſſent vana, fœda, & profana colloquia, riſus immoderati, & ſtrepitus omnes judiciorum, & alia quæcumque, quæ Divinum Officium perturbare poſſunt. Nullus intra Eccleſias deambulare audeat, ſive præſumat, dum celebrantur ſacra Miſſarum Myſteria, & alia Divina Officia. Qui verò prædicta petulanti animo contempſerint, præter divinæ ultionis acrimoniam, Noſtri quoque arbitrii pœnas incurrent, quæ omnia Locorum quoque Ordinarii in ſuis Eccleſiis facient obſervari. Quicumque verò in Eccleſiis, dum ibi Sacrificium Miſſæ, & Divina celebrantur Officia, aut Verbum Dei prædicatur, deambulare, vociferari, aut verſo tergo ad Sanctiſſimum Sacramentum irreverenter ſedere, aut aliquid, quod ſcandalum generet, aut Divina perturbet Officia, facere præſumpſerit, pœnam vigintiquinque ducatorum incurret, præter alias arbitrio Noſtro imponendas, & moderandas pœnas, & qui non habebit in ære, luet in corpore, aut exilio mulctabitur. Qui verò in Eccleſiis cum mulieribus impudicis, ſive etiam honeſtis colloquium ſcurrile habuerit, aut alios inhoneſtos actus fecerit, vigintiquinque ducatorum penam incurrat, & carceris per menſem. Qui in Eccleſiis, ut ſupra, obſcœnis, & inhoneſtis verbis, aut ſignis uſus fuerit, aut alia fœda colloquia cum perſonis quibuſcumque habuerit, decem aureorum pœnâ mulctetur, aut aliàs corporaliter puniatur. Mandamus præterea

omnibus, & ſingulis Cathedralium, Collegiatarum, & Parochialium Eccleſiarum Capitulis, Rectoribus, Vicariis, Sacriſtis, Oſtiariis, & aliis ipſarum Cuſtodibus, quatenus præfatos omnes in Eccleſiis delinquentes admoneant, & ut in eis vetita fieri non permittant, vel ſaltem ipſis Ordinariis, vel Officialibus Noſtris puniendos deferant: quod ſi facere neglexerint, pœnam duorum aureorum vice qualibet incurrent.

§. 5. Pauperes quoque mendicantes, ſeu eleemoſynas petentes per Eccleſias tempore Miſſarum, Prædicationum, aliorumque Divinorum Officiorum ire non ſinant, ſed eos ad valvas Eccleſiarum ſtare faciant, ſub pœna duorum aureorum Capitulis infligenda pro qualibet vice, niſi eos eiici curaverint, & Parochis dimidii aurei. Religioſis etiam Clauſtralibus, ſive Regularibus præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, ut in Eccleſiis ſuis deputent aliquem, qui tales eiiciat, & ſi negligentes fuerint, graviſſimè ab Ordinario corripiantur; quòd ſi illi parere recuſaverint, graviſſimas pœnas incurrent, & pro qualitate perſonarum, etiam corporaliter punientur arbitrio Noſtro, ſive Superiorum.

§. 6. Et ut in Eccleſiis nihil indecens relinquatur, iidem provideant, ut capſæ omnes, & depoſita, ſeu alia cadaverum conditoria ſuper terram exiſtentia omninò amoveantur, proùt aliàs ſtatutum fuit, & defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur.

§. 7. Cùm verò dierum Feſtorum obſervatio ad Dei cultum maximè pertineat, & in Lege Divina præcipiatur, cupientes abuſus pravos, qui ex eorum inobſervantia invaluerunt, omninò corrigere, & antiquorum Canonum ſtatuta renovantes, mandamus, ut omnes dies Dominici, & præcipuè in honorem Dei, B. Mariæ Virginis, Sanctorum Apoſtolorum feriati, cum omni veneratione obſerventur, omnes in diebus præfatis Eccleſias frequentent, divinis officiis devotè intendant, ab omni illicito, & ſervili opere abſtineant, mercatus non fiant, profanæ negotiationes, & judiciorum ſtrepitus conquieſcant. Qui verò in diebus præfatis opus aliquod illicitum feciſſe deprehenſus fuerit, præter divinam ultionem, & amiſſionem animalium, quibus ad vecturam utetur, etiam graves pœnas incurret arbitrio Noſtro, ſeu Vicarii Noſtri in Urbe, in aliis autem locis arbitrio Ordinariorum, vel aliorum Magiſtratuum, itaùt præventioni locus ſit. Quibus omnibus diſtrictè præcipimus, ut hæc diligenter obſervari procurent; illas etiam Feſtivitates, quæ juxtà conſuetudinem locorum ſolemniter celebrari conſueverunt, juxtà

lauda-

laudabilem conſuetudinem debita cum reverentia obſervari faciant, ſub pœnis arbitrio ipſorum imponendis, & moderandis.

§. 8. Et ut Simoniacæ pravitatis labes prorſus aboleatur, Conſtitutiones Anteceſſorum Noſtrorum contra Simoniacos editas, & præſertim Pauli II. inviolabiliter obſervari mandamus, & delinquentes, tàm in Sacrorum Ordinum receptione, quàm in Beneficiorum aſſecutione, ſtatutis etiam inferiùs pœnis Noſtra auctoritate affici volumus. Quicumque igitur deteſtabile crimen Simoniacæ pravitatis commiſiſſe convictus fuerit in conſequendis Ordinibus, eo ipſo ſit ab illorum executione per decennium ſine ſpe diſpenſationis ſuſpenſus, & per annum carceribus mancipetur. Qui dignitates Eccleſiaſticas ſimoniacè acquiſiverit, illis ſit ipſo jure privatus, & in futurum inhabilis ad eas, & quaſcumque alias obtinendas. Qui beneficium, aut officium Eccleſiaſticum ſimoniacè adeptus fuerit, illis ſimiliter ſit ipſo jure privatus, & ad fructuum omnium, quos perceperit, reſtitutionem teneatur, & perpetuò ſit inhabilis ad ea, & quæcumque alia Beneficia Eccleſiaſtica obtinenda. Si quis autem tale crimen pluries commiſiſſe convictus fuerit, præter ſupradictas pœnas, etiam corporaliter puniatur, & ab Ordinibus Eccleſiaſticis degradatus, à Fidelium conſortio eiiciatur. Qui verò Ordines, vel Beneficia ſimoniacè contulerint, pœnis à jure ſtatutis puniantur, cujuſcumque gradus, conditionis, & dignitatis, etiamſi Epiſcopi, Archiepiſcopi, vel majores fuerint.

§. 9. Caveant præterea quicumque, ne in Sacramentorum exhibitione Simoniacum aliquid faciant, alioquin graviſſimè puniantur per locorum Ordinarios, qui hujuſmodi criminis reos cum maxima ſeveritate coërcere procurent, juxtà Concilii Tridentini ſtatuta.

§. 10. Ad abolendum verò nefarium, & execrabile blaſphemiæ ſcelus, quod in antiqua lege Deus morte puniri mandat, & Imperialibus quoque legibus receptum eſt, nunc autem propter nimiam Judicum in puniendo ſegnitiem, vel potius deſuetudinem, ſupra modum invaluit, Leonis X. Prædeceſſoris Noſtri in noviſſimo Lateranen. Concilio ſtatuta innovantes, decernimus, ut quicumque laicus Deum, & Dominum Noſtrum JESUM CHRISTUM, vel Glorioſam Virginem Mariam ejus Genitricem expreſsè blaſphemaverit, pro prima vice pœnam vigintiquinque ducatorum incurrat: pro ſecunda, pœna duplicabitur, pro tertia autem centum ducatos ſolvet, & ignominia notatus, exilio mulctabitur. Qui verò plebejus fuerit, nec erit ſolvendo, pro prima vice manibus poſt tergum ligatis ante fores Eccleſiæ conſtituetur per diem integrum, pro ſe-

cunda

cuada fuſtigabitur per Urbem, pro tertia lingua ei perforabitur, & mittetur ad triremes. Quicumque Clericus in hoc blaſphemiæ crimen incurrerit, pro prima vice fructibus unius anni omnium, & quorumcumque Beneficiorum ſuorum, pro ſecunda Beneficiis ipſis privetur, pro tertia omnibus etiam dignitatibus exutus deponatur, & in exilium mittatur. Quòd ſi Clericus nullum obtinuerit Beneficium, pœnâ pecuniariâ, vel corporali pro prima vice puniatur, pro ſecunda carceribus mancipetur, pro tertia verbaliter degradetur; & ad triremes mittatur. Qui reliquos Sanctos blaſphemaverit, pro qualitate blaſphemiæ, atque perſonæ, arbitrio Judicis puniatur.

§. 11. Si quis crimen nefandum contra naturam, propter quod ira Dei venit in filios diffidentiæ, perpetraverit, Curiæ ſeculari puniendus tradatur, & ſi Clericus fuerit, omnibus Ordinibus degradatus ſimili pœnæ ſubiiciatur.

§. 12. Monemus præterea omnes Locorum Ordinarios, & in virtute ſanctæ obedientiæ eis præcipimus, ut ſtatuta Tridentini Concilii contra Concubinarios, tàm Clericos, quàm Laicos edita, diſtrictè faciant obſervari, reddituri Deo, ac Nobis, ſi id omiſerint, rationem.

§. 13. Et ut præmiſſorum delictorum ſimoniæ, blaſphemiæ, ac ſtupri nefandi notitia faciliùs habeatur, volumus, quòd in ſingulis caſibus, non ſolùm per accuſationem, & inquiſitionem, ſed etiam ad ſimplicem, & ſecretam denuntiationem procedatur per quoſcumque Judices, aliàs tamen de jure competentes, tàm ratione delicti, quàm perſonarum, ita quòd inter eos locus ſit præventioni.

§. 14. Monemus præterea omnes, & ſingulos, ut ſolum Dei timorem præ oculis habentes, & non aliâ animi pravâ affectione ducti, culpabiles tantùm deferant, innocentes non vexent. Quod ſi aliqui ex calumnia aliquos denuntiaſſe comperti fuerint, eos ad pœnam talionis teneri volumus, & mandamus.

§. 15. Multæ autem pecuniariæ applicabuntur pro duabus partibus Locis Piis arbitrio Noſtro in Urbe, extra verò, Ordinariorum: pro tertia Accuſatori, qui delinquentes detulerit.

§. 16. Mandamus autem Principibus, Comitibus, & Baronibus omnibus, S. R. E. feudatariis, ſub pœna privationis feudorum, quæ ab ipſa Eccleſia Romana obtinent. Reliquos verò Principes Chriſtianos, & Terrarum Dominos hortamur in Domino, & in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, ut pro divini nominis reverentia, & honore præmiſſa omnia in ſuis Dominiis, ac Terris exactiſſimè ſervari faciant, uberrimam ab ipſo Deo mercedem pro tam bonis operibus recepturi.

§. 17.

Digitized by Google

§. 17. Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac exemptionibus, privilegiis, indultis, facultatibus, & literis Apoſtolicis quibuſvis Capitulis, Conventibus, Militibus, Ordinibus, & perſonis, cujuſcumque qualitatis, & conditionis exiſtentibus, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritationibus, & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, etiam Motu proprio, & aliàs quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 18. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo alicujus Prælati munitis eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

§. 19. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ innovationis, relaxationis, admonitionis, confirmationis, mandati, ſtatuti, decreti, ordinationis, præcepti, monitionis, voluntatis, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1566. Kal. April. Pontific. Noſtri Anno 1.

Editto Generale del Sant' Ufizio di Firenze, ſolito pubblicarſi ogni Anno, citato ſopra nel Capitolo VII. De Judæis.

DEſiderando, come ricerca il carico di queſto S. Ofizio a Noi impoſto, che la Sacroſanta Fede Cattolica, ſenza la quale è impoſſibile piacere a Dio, in queſta noſtra Giuriſdizione ſi conſervi immacolata, e pura da ogni Ereticale contagio, con Autorità Apoſtolica a Noi conceſſa, in virtù di sant' Obbedienza, e ſotto pena di Scomunica, oltre l' altre pene da' Sacri Canoni, Decreti, Conſtituzioni, e Bolle de' Sommi Pontefici impoſte, comandiamo a tutti, ed a ciaſcuna perſona della noſtra Giuriſdizione di qualunque condizione, ſtato, grado, o dignità, così Eccleſiaſtica, come mondana, ſia quanto ſi voglia grande, che fra dodici giorni proſſimi, de' quali i primi quattro aſſegnamo per il primo, gli altri quattro immediati per il ſecondo, e gli ultimi quattro per il terzo, ultimo, e perentorio termine, debbano rivelare, e notificare al S. Ofizio di queſta Città, o all' Ordinario, tutti, e ciaſcuno di quelli, de' quali ſappiano,

o ſi-

o ſapranno, abbiano, o avranno notizia, che ſiano Eretici, o ſoſpetti, o diffamati d' Ereſia, o credenti, o fautori, o ricettatori, o difenſori loro, o che abbiano aderito, o che aderiſchino a' Riti de' Gentili, Giudei, o de' Maomettani, o de' Saraceni, o abbiano apoſtatato dalla S. Fede Criſtiana, o in qualunque modo eſpreſſamente, o tacitamente abbiano invocato, o invochino il Demonio, o gli abbiano preſtato, o preſtino onore, ovvero abbiano avuta parte, o ſi ſiano ingeriti, o ingeriſchinſi in qualunque eſperimento ſi ſia di Magìa, o di Negromanzia, Incanteſimi, o altre ſimili ſuperſtizioſe azioni, e maſſime con abuſo di coſe Sacre.

Che eſſendo Giudei, induceſſero, o aveſſero indotto Criſtiani a vivere conforme a' Riti loro, o ſi ſervino, o ſerviſſero di eſſi in quelle coſe, ed azioni, che ſono proibite da' Sacri Canoni, e Coſtituzioni Pontificie, e che impediſchino altri Giudei a battezzarſi, o inſegnaſſero Ereſie, o Incanteſimi, ed altre coſe contro gli Articoli della Santa Fede, che ſono comuni a noi, e a loro.

Che con ſacrilego ardire, non eſſendo Sacerdoti, s'abbiano uſurpato, o s' uſurpino di celebrar Meſſa, o abbiano preſunto, o preſumino d' amminiſtrare il Sagramento della Penitenza a' Fedeli di Criſto, o che l' abbiano abuſato, o abuſino, o ſollecitati i Penitenti, contro i Decreti, e Coſtituzioni Apoſtoliche, e ſingolarmente della S. Mem. di Gregorio XV.

Che abbiano celebrato, o celebrino occulte conventicole in materia di Religione.

Che contro Dio, e ſuoi Santi, e particolarmente contro la Beatiſſima Vergine Maria, proferiſcono beſtemmie ereticali.

Che abbiano impedito, o impediſchino per ſe, o per altri in qualſivoglia modo l' Ofizio della S. Inquiſizione, ovvero ſuoi Ofiziali nell' eſequire alcun' Atto, Cattura, Proceſſo, o Sentenza, pertinente a quello, o abbiano offeſo, o offendino, o minaccino d' offendere nella roba, nella perſona, o nell' onore alcun Teſtimonio, o Denunziatore, o Miniſtro di eſſo S. Ofizio; o gli abbiano chiamati, o chiamino col nome di Spia, o altri nomi odioſi, infami, o che conſiglino, o eſortino, o abbiano conſigliato, o eſortato alcuna perſona a non confeſſare, a tacere, o a naſcondere in qualſivoglia altro modo la verità al S. Ofizio.

Che ne' giorni proibiti dalla S. Chieſa abbiano mangiato, o mangino, o abbiano dato, o diano a mangiare, ſenza la debita licenza, cibi interdetti dalla detta S. Chieſa.

Che abbiano avuto, o che abbino Libri, o ſcritti, che contenghino

Digitized by Google

ghino Ereſie, o Libri d' Eretici, che trattano di Religione, ſenza l'autorità della S. Sede Apoſtolica, che gli abbiano letti, o tenuti, o ſtampati, o fatti ſtampare, o difeſi, o gli legghino, o tenghino, o ſtampino, facciano ſtampare, o difendino ſotto qualſivoglia preteſto, ò colore; ovvero tenghino Libri di Negromanzia, Magía, o contenenti Incanteſimi, Sortilegj, e ſimili ſuperſtizioni, maſſime con abuſo di coſe Sacre, ed altri contenuti nominatamente, o virtualmente, eſplicitamente, o implicitamente, così nel Sacro Indice Romano, come in altri Editti del S. Ofizio, e quegli, i quali ſimilmente abbiano introdotto, introduchino, o facciano introdurre nella noſtra Giuriſdizione, o eſtrarre da eſſa i predetti, o altri ſimiglianti Libri.

Dichiarando, che per la predetta eſpreſſione de' Caſi da Noi ſpecificati, da rivelarſi, come di ſopra, non eſcludiamo gli altri Caſi ſpettanti al S. Ofizio, che per altro ne' Sacri Canoni, Decreti, Coſtituzioni, e Bolle de' Sommi Pontefici ſono compreſi.

Avvertendo, che a queſti Noſtri Precetti non ſoddisfaranno, nè s'intendono ſoddisfare quegli, che con Bullettini, o Lettere ſenza nomi, e cognomi degli Autori, o in altra maniera incerta, delle quali niun conto ſi tiene nel S. Ofizio, pretendeſſero rivelare i delinquenti.

E dalla detta Scomunica, e Pene, nelle quali i diſubbidienti incorreranno, non potrà alcuno eſſere aſſoluto, che da Noi, o dal Supremo Tribunale del S. Ofizio di Roma; nè ſarà aſſoluto, ſe prima, giuridicamente rivelando i detti Eretici, o ſoſpetti d'Ereſia, come di ſopra, non averà ſoddisfatto.

Altri Ordini particolari.

PER ovviare ad ogni inconveniente, che poteſſe accadere a cauſa d'introduzione, eſtrazione, o retenzione di Libri, revochiamo tutte le Licenze, che poteſſero eſſere ſtate date da' Noſtri Predeceſſori, di tener Libri proibiti, e vogliamo, che tutti quegli, che averanno sì fatti Libri, gli portino effettivamente al S. Ofizio, ſotto pena di Scomunica, ſe ſpirato il ſopraddetto termine di 12. giorni, non gli averanno conſegnati, dalla quale non poſſino eſſere aſſoluti, ſe non da Noi, o dal Supremo Tribunale del S. Ofizio di Roma, includendo anco nell' iſteſſa pena gli Stampatori, e Librai.

Ordiniamo a' Doganieri, e Guardiani delle Porte, Librai, Mercanti, e a qualunque altra ſorte di perſone, che non ardiſchino d'introdurre, nè di ricever reſpettivamente Libri portati da altre parti,

e maſſime in Balle, o in Fagotti, e introdotti, non gli sballino, nè ſleginò, ſenza noſtra licenza, o de' noſtri Deputati, ſotto pena della perdita di eſſi Libri, ed altre a Noſtro beneplacito; e comandiamo, che non s' eſtragghino Libri alcuni da queſta ad altre Città, Terre, e Luoghi di queſta Noſtra Giuriſdizione, o fuori di eſſa, ſenza Noſtra licenza, o de' Noſtri Deputati in iſcritto.

Confermiamo, ed innoviamo tutti gli ordini fatti da' Noſtri Anteceſſori per i Librai, Stampatori, Intagliatori, Pittori, Eredi, ed Eſecutori dell' ultime Volontà, circa gli Studj, o Librerie de' Defunti, conforme alla regola decima de' Libri proibiti; ordinando, che neſſuno poſſa vendere, o far vendere ſotto Portici con banchetti, o in panieri, o in ceſte, o ne' Mercati, o nelle Piazze, o per le Vie, a modo di Rivendugliolo, o in qualunque altro modo, in queſta Noſtra Giuriſdizione, Libri, Storie, Figure, Carte, e qualſivoglia altra coſa ſtampata, benchè minima, ſenza Noſtra licenza, o de' Deputati da Noi, ſotto pena della perdita de' Libri, Storie, &c. ed altre a Noi arbitrarie.

A' Ciarlatani, Cantimbanchi, ed altre Perſone vagabonde, comandiamo ſotto pena della perdita delle Robe, ed altre da imporſi a Noſtro arbitrio, che non ardiſchino vendere, donare, o preſtar Libri, Scritture, o Carte ſtampate, o ſcritte a mano, ovvero Figure, in queſta Noſtra Giuriſdizione, ſenza Noſtra licenza, o de' Noſtri Deputati in iſcritto.

Comandiamo, che niuno ſotto le pene dovute a' fautori d' Eretici reſpettivamente, ardiſca trattare, ragionare, ſcrivere, o mandar lettere, polizze, bullettini, avviſi, ambaſciate, inſtruzioni; nè far cenni, nè con voce, nè con zufoli, nè in qualunque modo a' Carcerati del S. Ofizio, nè procurar di ſapere da eſſi qualſivoglia coſa in pregiudizio delle Cauſe di detto S. Ofizio. Siano avvertiti tutti i Superiori di qualſivoglia Ordine, Religione, Congregazione, o Compagnia, &c. di pubblicare ogni Anno il Decreto d' Urbano VIII. di F. M. *de publicandis Conſtitutionibus ſpectantibus ad S. Officium* nel giorno prefiſſo in eſſo, ſtato poſcia prolungato per tutto il Meſe d' Agoſto, e l' altro d' Aleſſandro VII. pure di F. M., che comincia: *Licèt alias, &c.* da pubblicarſi ogni primo giorno di Marzo, e preſentino in queſto S. Ofizio, o mandino al Supremo Tribunale del S. Ofizio di Roma, Fede autentica della pubblicazione di eſſi, e non ſoddisfacendo puntualmente alle loro obbligazioni, ſi procederà alle pene contenute in quegli.

E quegli, i quali ſanno, hanno avuta, o hanno notizia di qualſi-

voglia

voglia coſa ſpettante al S. Ofizio, e maſſime d'Ereſia, ſono tenuti, come di ſopra, ſotto l'iſteſſe pene, e cenſure, a denunziargli; nè ſono ſcuſati da qualſivoglia condizione, o lunghezza di tempo, onde s' ingannano quegli, che penſano, che per eſſer traſcorſi 10. ò 15. o 20. anni, o più, non eſſer più obbligati a denunziare i caſi del S. Ofizio, che s' intende di quegli, che non hanno mai ſoddisfatto, o denunziato.

E però avviſiamo, e nel Signore ammoniamo tutti i Fedeli a Noi ſoggetti, che avendo cognizione di qualſivoglia caſo, ſpettante al S. Ofizio, per zelo dell'onor Divino, per difeſa della S. Fede, e per l' eſtirpazione dell' Ereſie, delle quali non v' è coſa peggiore, e per l' obbligo delle Cenſure, e Scomuniche (come di ſopra) voglino caritativamente denunziargli, deponendo il vano timore d'eſſer chiamati Accuſatori, Spie, o con altri titoli ingiurioſi introdotti dal Demonio, e da' ſuoi ſeguaci, nemici della S. Fede, ad effetto, che non ſiano gaſtigati i profanatori dell' iſteſſa, e ſi vadia ſemprepiù radicando, ed eſtendendo la peſte dell'Ereſia, conſiderando, che ſiccome a chi avviſaſſe il ſuo Principe, quando nella Città vi foſſe ſoſpetto di peſte, non ſi deve altro titolo, che di buon Suddito, e di Cittadino difenſore del ben pubblico; così chi avviſa il S. Ofizio, ne' caſi ſuddetti, non merita altro titolo, che di buon Criſtiano, difenſore della S. Fede Cattolica, per la quale il vero Criſtiano è obbligato a ſpargere il ſangue, e cooperatore alla ſalute dell'Anime redente col Sangue prezioſo del Noſtro Signor Gieſù Criſto; oltrechè poſſono aſſicurarſi, che i loro nomi non ſaranno mai pubblicati nè al denunziato, nè ad altra perſona.

E perchè dall'opera de' Confeſſori in queſti particolari depende grandemente il ſervizio di Dio, ed il bene privato, e pubblico; comandiamo a tutti i Reverendi Confeſſori, che nell'amminiſtrare il Sagramento della Penitenza, uſino con i loro Penitenti diligenza d' interrogare ſopra quei capi, che ſtimeranno reſpettivamente neceſſarj alle perſone, così de' principali delinquenti, come partecipi, e conſapevoli in qualſivoglia modo di eſſi delitti, avviſandogli, che non denunziandogli, come ſopra, non gli poſſono aſſolvere.

E finalmente con affetto paterno, e caritativamente eſortiamo tutti quegli, che per fragilità umana, o per ſuggeſtione del Demonio, o per altra cauſa aveſſero errato, o difettato in qualſivoglia delle ſuddette coſe ſpettanti al S. Ofizio, a volere quanto prima ſpontaneamente comparire avanti queſto S. Tribunale, denunziando loro ſteſſi, ed i complici, come ſopra, aſſicurandogli, che ſaranno rice-

vuti, e trattati con pietà, e miſericordia, e ſaranno tenuti ſegretiſſimi, ed in queſta maniera sfuggiranno quelle pene, le quali ſarebbero loro inevitabili, quando da altri foſſero denunziati.

Ed affinchè queſti Ordini noſtri venghino a notizia di tutti, e neſſuno poſſa pretendere ignoranza, comandiamo in virtù dello Spirito Santo, e di santa Obbedienza, e ſotto pena della ſoſpenſione à Divinis, a tutti i RR. Propoſti, Arcipreti, Pievani, Priori, Rettori, o Economi di Chieſe ſottopoſti alla noſtra Giuriſdizione, che devino pubblicare tre volte l' Anno il preſente Editto, cioè nella Feſta del Santiſſimo Sagramento, in una Domenica dell' Avvento, ed in un'altra della Quareſima, in tempo, che ſia in Chieſa maggior concorſo, e numero di popolo: le quali coſe comandiamo ancora ſotto pena della privazione de' loro Ofizzj a tutti i RR. Abati, Priori, Guardiani, Prepoſti, Rettori, Correttori, Preſidenti, o Vicarj, ed altri Superiori de' Regolari, o Confeſſori di Monache, che reſpettivamente eſequiſchino con i Sudditi loro nel luogo ſolito a pubblicarſi ſimili Ordini.

E tutti i predetti, ſotto le ſuddette pene reſpettivamente, termine quindici giorni dentro Firenze, dovranno dar Fede in iſcritto a queſto S. Ofizio d' aver fatta tal pubblicazione, e termine un Meſe fuori di Firenze, e di più fare attaccare alla Porta principale delle loro Chieſe una copia di queſt' Editto, in modo, che non ſi poſſa rimuovere, nè diſtaccarſi facilmente, ed un' altra nella Sagreſtia, o altro pubblico luogo loro.

In oltre tutti i Predicatori, ſotto pena della privazione del loro Ofizio, dovranno ogni Anno fare l' accennata pubblicazione in una Domenica dell' Avvento, ed in una della Quareſima.

Ed in fede, &c. Dato nel S. Ofizio di Firenze, luogo della noſtra Reſidenza nel Convento di S. Croce li 18. Giugno 1693.

FRA LODOVICO PETRONIO DA LODI INQUISITOR GENERALE DI FIRENZE.

Fra Franceſco Antonio Frati Cancell. del S. Ofizio di Firenze.

CAPUT XIII.

De Sanctorum invocatione, veneratione, Reliquiis, & Imaginibus.

Decretum Generale de Reliquiis inſignibus.

CUm Sac. Rituum Congregationi innotuerit, quamplures abuſus irrepſiſſe circa recitationem Officii, ſub prætextu Decreti ab eadem Congregatione evulgati de anno 1630., & in Breviario Ro-

Digitized by Google

Romano impreſſi, in quo permittitur poſſe in Eccleſia recitari Officia, & Miſſas celebrari de illis Sanctis, quorum Corpora, aut Reliquiæ inſignes in ea aſſervantur: Eminentiſſimi Patres eidem Sac. Congregationi Præpoſiti, iiſdem abuſibus evellendis præcipuè intenti, inhærendo Decretis aliàs in ſimilibus editis, declararunt prædicta Officia Sanctorum, ratione Corporis, ſeu inſignis Reliquiæ recitanda, intelligi debere de Sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano deſcriptis, & dummodò conſtet de identitate Corporis, ſeu Reliquiæ inſignis illiuſmet Sancti, qui reperitur in Martyrologio Romano deſcriptus. De ceteris autem Sanctis in prædicto Martyrologio non deſcriptis, aut quibus à Sancta Sede non fuit ſpecialiter conceſſum, Officia recitari, & Miſſas celebrari vetuerunt, non obſtante quòd ipſorum Corpora, vel inſignes Reliquiæ in Eccleſiis aſſerventur: Quibus tamen ab Ordinariis Locorum approbatis, debitam Fidelium venerationem, (proùt hactenus ſervatum eſt) exhibendam eſſe cenſuerunt, ſed abſque Officio, & Miſſa, ſub pœnis de non ſatisfaciendo præcepto recitandi Officium, aliiſque in Conſtitutione B. Pii V. contentis die 11. Auguſti 1691.

Et facta de prædictis Sanctiſſimo per me Secretarium relatione, Sanctitas Sua hujuſmodi Decretum approbavit, ac ut debitæ exequutioni demandetur, Locorum Ordinariis injungendum eſſe præcepit die 19. Octobris ejuſdem anni 1691.

Declaratio ejuſdem Sac. Congregationis.

PEtitum fuit à Sac. Rituum Congregatione declarari, an Epiſcopus poſſit ſtatuere diem Dominicam ad celebrandum Feſtum alicujus Sancti Martyris, de quo aſſervetur Reliquia inſignis in Eccleſia. Et an Tibia ſit Reliquia inſignis? Et Sac. Congr. reſpondit quoad primum negativè, imò neque poſſe de eo celebrari Officium, & Miſſam in die ipſa Martyrii, vel obitus, niſi Reliquia ſit de Sancto deſcripto in Martyrologio Romano, & conſtet de identitate Reliquiæ ejuſdem Sancti. Ad ſecundum pariter negativè, juxtà Rubricas in Miſſali, & Breviario Romano impreſſas. Die 3. Junii 1662.

Ita reperitur in Regiſtris Congregationis Sac. Rituum, in quorum fidem, &c. Hac die 31. Maii 1681. *Bernardinus Caſalius Sec.*

Conſtitutio Urbani VIII. circa formam, & habitum Sacrarum Imaginum.

SAcroſancta Tridentina Synodus, optimè agnoſcens non leve ſcandalum afferre poſſe, ſi quid inordinarium, aut præpoſt[illegible]

com-

commodatum, vel profanum in Eccleſiis appareat, ſtatuit nemini licere ullo in loco, vel Eccleſia, etiam quomodolibet exempta ullam inſolitam Imaginem ponere, vel ponendam curare, niſi ab Epiſcopo approbata fuerit.

§. 1. Cùm autem ſicut accepimus ex prædicti Decreti inobſervantia varii abuſus irrepſerint, idcircò Nos abuſus hujuſmodi tollere pro debito Paſtoralis Officii Noſtri volentes, re etiam cum Ven. Fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus Sacris Ritibus Præpoſitis communicatâ, & maturè conſideratâ, & diſcuſſâ, inhęrendo dictę diſpoſitioni Sacroſanctæ Tridentinæ Synodi, motu proprio, & ex certa ſcientia Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ne quis cujuſcumque gradus, qualitatis, ordinis, ſtatus, vel conditionis, ac dignitatis, & præeminentiæ, etiam Eccleſiaſticæ, etiam individuâ, ac ſpeciali expreſſione dignæ exiſtat, Imagines Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & Deiparæ Virginis Mariæ, ac Angelorum, Apoſtolorum, Evangeliſtarum, aliorumque Sanctorum, & Sanctarum quorumcunque ſculpere, aut pingere, vel ſculpi, aut pingi facere, aut ante hàc ſculptas, aut pictas, aut aliàs quomodolibet effictas tenere, ſeu publico aſpectui exponere, aut veſtire cum alio habitu, & forma, quàm in Catholica, & Apoſtolica Eccleſia ab antiquo tempore conſuevit, nec etiam cum habitu peculiari alicuius Ordinis Regularis tenore præſentium prohibemus, ac ut Imagines aliter pictæ, vel ſculptæ ab Eccleſijs, & alijs locis quibuslibet amoveantur, vel deleantur, vel reducantur, & reformentur ad habitum, & formam in Eccleſia Catholica, & Apoſtolica ab aliquo tempore conſuetam, ut veneratio, & cultus ſic dictis Imaginibus augeatur, & quæ oculis fidelium ſubiiciuntur, non inordinata, nec inſolita appareant, ſed devotionem pariant, & pietatem. Et ne exponantur in Eccleſiis quibuſlibet, ac quomodolibet qualificatis, & earum Frontiſpiciis, & Atriis imagines profanæ, vel aliàs indecentiam, & inhoneſtatem præleferentes, cum Domum Dei deceat ſanctitudo, præcipimus. Quo circa quibuſcumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Locorum Ordinariis, ac Noſtris, & Apoſtolicæ Sedis Nunciis, ac Legatis etiam de Latere ſub oſtentatione Divini judicii mandamus, ut prædicta inviolabiliter, & exactè obſervent. Mandantes inſuper omnibus Capitulis Eccleſiarum etiam Cathedralium, & maiorum, ac Univerſitatibus, etiam Studiorum, Monaſteriis, ac Collegiis, & perſonis quibuſcumque, etiam Eccleſiis Secularibus, & Regularibus cujuſcunque Ordinis etiam Ciſtercien. Inſtituti, Congregationis, & Societatis etiam Jeſu, etiam Militibus, etiam

Digitized by Google

etiam Hoſpitalis S. Joannis Jeroſolimytani, aliarumque Militiarum, & ceteris quibuſcumque quomodolibet qualificatis, ac eâdem individuâ expreſſione, & ſpeciali notâ dignis, ac Monialibus etiam Regularium gubernio ſubiectis, & etiam Sedi Apoſtolicæ immediatè ſuppoſitis, ut in eorum Eccleſiis, & locis omnia, & ſingula præmiſſa obſervent, & obſervari faciant.

§. 2. Quatenus verò ipſi, præſertim Regulares, & Moniales præſentibus literis, ac omnibus in eis contentis parere neglexerint, poſſint, & debeant Epiſcopi, & Locorum Ordinarii, Metropolitani, Primates, Patriarchæ, Nuncii, & Legati Apoſtolici de Latere miſſi, tanquam in hoc à Sede Apoſtolica ſpecialiter delegati, contra omnes, & ſingulos prædictos, & quoſcumque alios quomodolibet inobedientes, & tranſgreſſores procedere, & quacumque appellatione, recurſu, reclamatione, aliiſque Juris, & facti remediis ordinariis, & extraordinariis penitus, & omninò remotis, ad omnimodam obſervantiam illos prævià unicâ monitione, cenſuris Eccleſiaſticis, & aliis eorum arbitrio, & præſertim quoad loci Superiores, etiam privationis officii, & vocis activæ, & paſſivæ pœnis compellere, &c. Non obſtantibus, &c.

Datum, &c. hac die 15 Martii anno 1642. Pontificatus Noſtri 19.

CAPUT XIV.

De Indulgentiis.

Decretum Sacræ Congregationis circa validitatem Indulgentiarum.

CUM à Sac. Congr. Indulgentiis, Sacriſque Reliquiis præpoſita Cameracenſis Archiepiſcopus quæſiviſſet, quæ vis, & Sententia clauſulæ, quæ hodie Brevibus Indulgentiarum apponi ſolet (*volumus autem, ut ſi aliàs Chriſti Fidelibus dictam Eccleſiam qualibet anni die viſitantibus aliqua alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapſum duratura, conceſſa fuerit, præſentes nullæ ſint*) S. Congr. re diligentiùs examinatâ, clauſulam ſic explicandam cenſuit, ſi videbitur Sanctiſs. D. N. eâ minimè contineri Altaria Privilegiata pro Defunctis, neque Indulgentias, aut certo perſonarum generi conceſſas, ut Confraternitati, Regularibus, & Capitulo, aut certum pium opus in ipſa Eccleſia peragentibus, ut Litanias, aliaſve hujuſmodi preces recitantibus, ac iis, qui Chriſtiana Doctrina erudiuntur, & qui Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti expoſitioni, cùm Orationi quadraginta horarum interſunt, neque Stationum Urbis, & ſeptem Altarium Indulgentias, inſtar ſeptem Altarium Baſilicæ Vaticanæ con-

cellas,

ceſſas, neque demum quæ pro unica vice conceduntur; ceterùm ſi alia Indulgentia, ſive Plenaria, ſive non Plenaria, in perpetuum, vel ad tempus, tùm ab eodem, tùm ab alio Romano Pontifice generatìm Chriſtifidelibus Eccleſiam, vel aliquod ejus Altare, ſeu Capellam viſitantibus eodem anni die, vel diverſo conceſſa fuerit, de qua non fiat in Litteris Apoſtolicis mentio, has literas ob adiectam clauſulam eſſe prorſus irritas, ac nullas. Datum die 23. Junij 1676.

De his autem facta relatione ad Sanctiſſ. D.N. die 18. Martij 1677. Sententiam Congregationis approbavit.

C. Cardinalis Maximus.

Loco ✠ Sigilli. *Michael Angelus Riccius Secr.*

Decretum Sac. Congreg. ſuper Indulgentiis quoad ingreſſum in Clauſtra Regularium.

PRopoſito Dubio: An verba Pontificii Brevis concedentis Indulgentiam omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, Capellam intra Clauſtra Regularium ſitam viſitantibus, ſic accipi poſſint, ut comprehendant Capellam in ipſo Dormitorio conſtructam, Sac. Congr. reſpondit minimè illam comprehendere, nullamque tribui facultatem Mulieribus ingrediendi Clauſtra. Dat. Romæ die 2. Maii 1679.

A. Card. Homodeus.

Michael Angelus Riccius Secr.

Conſtitutio 176. Alex. PP. VII. quoad Miſſas de Requiem celebrandis in Altari Privilegiato.

CReditæ Nobis cœlitùs diſpenſationis officium ſalubriter exequi adjuvante Domino jugiter ſatagentes, quamplurima dubia in diverſis Mundi partibus orta, & in Congregatione Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum deducta, occaſione Decreti ejuſdem Congregationis, die 5. Auguſti 1662. editi, ac à Nobis approbati, de non celebrandis Miſſis de Requiem in duplicibus, tollere, atque dirimere cupientes.

§. 1. De memoratorum Cardinalium conſilio, auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium approbamus in primis aliud Decretum prædictæ Congregationis editum in una Novarienſi, die 22. Novembris 1664. quo declaratum fuit, Anniverſaria, & Miſſas cantatas de Requiem, relictas ex diſpoſitione Teſtatorum quotannis in die ipſorum obitus, etiam in duplici majori contingentis, non comprehendi in dicto Decreto,

§. 2.

§. 2. Ulteriùs quoad Altaria perpetuò privilegiata, & in quibus proindè quotidiè, etiam in duplicibus celebrandæ ſint Miſſæ de Requiem ex obligatione, auctoritate, & tenore prædictis declaramus, per celebrationem Miſſarum de Feſto currenti ſatisfieri dictis obligationibus, & ſuffragari cùm ejſdem Indulgentiis, perindè ac ſi eſſent celebratæ Miſſæ de Requiem, ad formam privilegiorum: ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis auctoritate ſupradictæ Congregationis.

§. 3. Decernentes eaſdem præſentes literas, &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 22. Januar. 1667. Pontificatus Noſtri An. duodecimo.

Conſtitutio 39. Clemen. IX. quâ extenditur ſupradicta Conſtitutio Alex. VII.

CUm felic. rec. Alexander Papa VII. Prædeceſſor Noſter dubia in diverſis mundi partibus, occaſione Decreti Congregationis tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum die 5. Auguſti 1662. emanati, & ab ipſo Alexandro Prædeceſſore approbati, de non celebrandis Miſſis Defunctorum in Feſtis ritus duplicis, exorta dirimere cupiens, aliud ejuſdem Congregationis Decretum in una Novarienſi, die 22. Novembris 1664. editum approbaverit, quo declaratum fuerat, Anniverſaria, & Miſſas Defunctorum cùm cantu ex diſpoſitione Teſtatorum quotannis recurrente ipſorum obitus die celebrandas, tametſi dies obitus hujuſmodi in Feſtum ritus duplicis majoris incideret, non comprehendi in primodicto Decreto.

§. 1. Ac ulteriùs quoad Altaria privilegio Apoſtolico pro Animabus Fidelium Defunctorum in perpetuum decorata, & in quibus proindè quotidiè, etiam in Feſtis ritus duplicis, celebrandæ eſſent Miſſæ Defunctorum ex obligatione, declaraverit per celebrationem Miſſarum de Feſto currenti ſatisfieri injunctis obligationibus, & Indulgentias per ejuſmodi privilegia Apoſtolica conceſſas Animabus Fidelium Defunctorum in Purgatorio exiſtentibus ſuffragari, perinde ac ſi celebratæ fuiſſent Miſſæ Defunctorum ad formam dictorum privilegiorum, & aliàs, prout in ejuſdem Alexandri Prædeceſſoris Literis deſuper in ſimili forma Brevis, die 22. Januarii 1667. expeditis, quarum tenorem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſo, & inſerto haberi volumus, uberiùs continetur.

§. 2. Cumque, (ſicut ad aures noſtras pervenit) etiam dubitetur, utrum dictarum literarum diſpoſitio quoad Altaria pariter quidem privilegiata, ſed non in perpetuum, nec pro omnibus hebdo-

madæ diebus, & ad quæ Miſſæ non ex obligatione, ſed ex ſola Fidelium devotione celebrantur, locum habeat...

§. 3. Hinc eſt, quòd Nos dubitationes hujuſmodi ex injunctæ Nobis cœlitùs Paſtoralis ſolicitudinis munere dirimere pariter, atque decidere cupientes, de Venerabilium Fratrum Noſtrorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum; qui rem maturè perpenderunt, conſilio, declarationem à memorato Alexandro Prædeceſſore, ſicut præmittitur, editam, ad Altaria, ut præfertur, non in perpetuum, ſed ad ſeptennium, ſeu aliud brevius, vel longius tempus, ac non in omnibus, ſed aliquo, vel aliquibus tantùm hebdomadæ diebus, nunc, & in futurum quandocumque privilegiata, auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium extendimus. Et proindè, ut Miſſæ, quæ ibidem de Feſto currenti, in quo Miſſæ Defunctorum celebrari non poſſint, ſive ex obligatione, ſive ex ſola Fidelium devotione celebrantur, ſuffragentur, itaùt animæ Chriſtifidelium, pro quibus celebratæ fuerint, Indulgentias per privilegia hujuſmodi conceſſas conſequantur in omnibus, & per omnia, perindè ac ſi Miſſæ Defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebratæ fuiſſent, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus.

§. 4. Decernentes pariter eaſdem præſentes literas, &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 23. Septemb. 1667. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

Declaratio prædictarum Conſtitutionum Innocentii PP. XI.

ALiàs poſtquam fel. rec. Alexander PP. VII. Prædeceſſor Noſter per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis die 22. Januarii 1667. expeditas literas dubia in diverſis Mundi partibus, occaſione Decreti Congregationis tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum, die quinta Auguſti 1662. emanati, & ab ipſo Alexandro Prædeceſſore approbati, de non celebrandis Miſſis Defunctorum in Feſtis ritus duplicis, exorta dirimere cupiens, inter cætera quoad Altaria Privilegio Apoſtolico pro Animabus Fidelium Defunctorum in perpetuum decorata, & in quibus proinde quotidiè etiam in Feſtis ritus duplicis celebrandæ fuiſſent Miſſæ Defunctorum ex obligatione, declaraverat per celebrationem Miſſarum de Feſto currenti ſatisfieri injunctis obligationibus, & Indulgentias, per ejuſmodi privilegia Apoſtolica conceſſas, Animabus Fidelium Defunctorum in Purgatorio exiſtentibus ſuffragari, perindè ac ſi celebratæ fuiſſent Miſſæ Defunctorum, ad formam dictorum privilegiorum: rec. mem. Clemens Papa IX. pariter Prædeceſſor Noſter aliam ſubindè

ortam

ortam dubitationem, utrum, ſcilicet, dictarum Alexandri Prædeceſſoris literarum diſpoſitio quoad Altaria pariter quidem privilegiata, ſed non in perpetuum, nec pro omnibus hebdomadæ diebus, & ad quæ Miſſæ non ex obligatione, ſed ex ſola Fidelium devotione celebrarentur, locum haberet, ſimiliter tollere deſiderans, declarationem à memorato Alexandro Prædeceſſore, ſicut præmittitur, editam, ad Altaria, ut præfertur, non in perpetuum, ſed ad ſeptennium, ſeù aliud brevius, vel longius tempus, ac non in omnibus, ſed aliquo, vel aliquibus tantùm hebdomadæ diebus, tunc, & in futurum quandocumque privilegiata, auctoritate Apoſtolicâ extendit, & proindè, ut Miſſæ, quæ ibidem de Feſto currenti, in quo Miſſæ Defunctorum celebrari non poſſent, ſive ex obligatione, ſive ex ſola Fidelium devotione celebrandæ eſſent, ſuffragarentur, itaùt Animæ Chriſtifidelium, pro quibus celebrarentur, Indulgentias per privilegia hujuſmodi conceſſas conſequerentur in omnibus, & per omnia, perindè ac ſi Miſſæ Defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebratæ fuiſſent, eâdem auctoritate conceſſit, & indulſit, & aliàs, proùt in ipſius Clementis Prædeceſſoris literis, etiam in forma Brevis die 23. Septembris 1669. deſuper expeditis, quarum, & præfatarum Alexandri Prædeceſſoris literarum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis haberi volumus, uberiùs continetur. Cum autem poſtmodum, ſicut accepimus, novum circa præmiſſa excitatum fuerit dubium, videlicet, an ſupradictæ Alexandri, & Clementis Prædeceſſorum declarationes ſibi pariter locum vindicarent, etiam in diebus Dominicis, & infra Octavas Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti, aliiſque anni diebus, quibus, licèt à Feſto duplici non impediantur, adhuc tamen Miſſæ Defunctorum, juxtà ritum, & morem Eccleſiæ celebrari nequeunt, quatenus nimirùm Miſſæ, quas iiſdem diebus celebrare licet, ſervatâ ceteroqui dictorum privilegiorum formâ, ad præfata Altaria privilegiata celebrarentur; Noſque dubium huiuſmodi Congregationi Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccl. Card. Sac. Ritibus Præpoſitorum examinandum commiſerimus, ac ead. Card. Congr. re maturè diſcuſſâ, nuper per ſuum Decretum die 3. Aprilis proximè præteriti editum, præfatas Alexandri, & Clementis Prædeceſſorum declarationes intelligendas eſſe pro omnibus diebus, quibus, juxtà Rubricas, Miſſæ Defunctorum celebrari non poſſunt, reſponderit. Hinc eſt, quod Nos, ex commiſſæ Nobis cœlitùs diſpenſationis munere, Fidelium Defunctorum Animarum in Purgatorio exiſtentium ſuffragiis peramplius conſulere

 cu-

cupientes, Decretum hujuſmodi à memorata Card. Congr. editum, ut præfertur, Apoſtolicâ auctoritate tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus, ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis auctoritate ſuprad. Congr. Card. Decernentes, &c.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die quartâ Maii, milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo octavo, Pontificatus Noſtri Anno duodecimo.

I. F. Albanus.

Decretum Sac. Congreg. quoad Indulgentias, quibus fruuntur Sanctiſſimi Sacramenti Confraternitates canonicè erectæ.

LIcèt S. M. Paulus Papa III. per binas ſuas Conſtitutiones conceſſerit, ut Sanctiſs. Corporis Chriſti Confraternitates omnes, & ſingulæ ubivis Locorum inſtitutæ, ac inſtituendæ iiſdem Privilegiis, Conceſſionibus, Indulgentiis, Gratiis, & Indultis, quæ Confraternitati Sanctiſs. Sacramenti in Eccleſia S. Mariæ ſuper Minervam de Urbe erectæ largitus fuerat, ac in poſterum largiretur, uti, potiri, & gaudere poſſent, ac deberent, qui tamen per nonnullas Apoſtolicas Conſtitutiones, & Ordinationes, quæ deinceps emanarunt, præſertim verò per Sanct. Mem. Clementis VIII. Conſtitutionem de Aggregationibus editam, facultates, & Indulgentiæ, tàm ſupradictæ S. Mariæ de Minerva, quàm ceteris omnibus Confraternitatibus ante conceſſæ, aut abrogatæ, aut ſaltẽ moderatæ comperiuntur, aliaque hoc de genere Decreta ſunt, in quibus in dubium revocari poſſe videtur, an hujuſmodi Pauli III. conceſſiones priſtinum ſuum robur adhuc retineant.

Cong. Eminentiſs. & Reverendiſs. S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, ſacriſque Reliquiis Præfectorum, optans ſummoperè Sacratiſſimi Sacramenti venerationem, & cultum in dies magis augeri, & ob eam cauſſam hujuſmodi Societatem in omnibus Eccleſiis Parochialibus erigi, atque ad id Chriſtifideles præcipuis gratiis excitari, ſpeciali ordine habito vivæ vocis oraculo à Sanctiſs. D. N. Clemente Papa X. fel. rec. Pauli V. veſtigiis inhærente, decernit, ac declarat, juxtà eaſdem Pauli III. Conſtitutiones, Confraternitates omnes, & ſingulas Sanctiſs. Corporis Chriſti, ubique Terrarum hactenus Apoſtolicâ auctoritate erectas, aut poſt hac erigendas, abſque nova, aut peculiari alia conceſſione, communicatione, vel aggregatione fore, & eſſe debere participes quorumcumque Privilegiorum, conceſſionum, Indulgentiarum, facultatum, gratiarum, & in-

& indultorum ab eodem Paulo V. Archiconfraternitati Sanctiſſimi Sacramenti de Minerva per Breve datum Romæ apud S. Petrum die 3. Novembris 1606. nominatim, & expreſsè conceſſorum, ac in poſterum à Sede Apoſtolica concedendorum, illiſque omnibus, & ſingulis uti, potiri, gaudere poſſe, ac debere, ſtatim atque Confraternitatum earumdem erectio Apoſtolicâ, vel ordinariâ auctoritate facta fuerit, ſervatâ tamen in reliquis omnibus prædictâ Clem. VIII. Conſtitutione; Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis de Indulgentiis ad inſtar non concedendis, nec aliis contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ die 23. Aprilis 1676.

C. Cardinalis Maximus.

Loco ✠ Sigilli. *Michael Angelus Riccius Secr.*

Decretum de Indulgentiis.

DElatæ ſepiùs fuere ad Sacram Congregationem Indulgentiis, ſacriſque Reliquiis præpoſitam Indulgentiæ quædam confictæ, & omninò falſæ, quæ per diverſas Orbis Chriſtiani partes circumferuntur; aliæ verò examinandæ, quæ adhibito ſtudio inventæ ſunt, vel apocryphæ, vel à Romanis Pontificibus revocatæ, vel nullæ, quod datum eis tempus præteriiſſet, quarum quidem plurimæ, cum non facilem cognitionem habeant Chriſtifideles harum rerum, minus peritos fallunt, qui ſpe Indulgentiæ, remiſſioniſque peccatorum ſuorum conſequendæ fruſtrantur. Quamobrem eadem Sac. Congr. vehementer cupiens huic malo magis in dies ſerpenti occurrere, animarum profectui, & Indulgentiarum dignitati conſulere, plures illarum ſingulari diligentiâ colligi, & in Indicem referri curavit.

Tales in primis ſunt illæ, quæ aſſeruntur conceſſæ à Joanne II., & Sixto IV. recitantibus Orationem charitatis Jeſu Chriſti Domini Noſtri: *Precor te piiſſime Domine, &c.* ab Urbano II. Eccleſiæ S. Mariæ, ut vulgò dici ſolet, *Campagnolæ*, & S. Victoriæ, ab Eugenio III. Revelationi de plaga in humero Jeſu Chriſti factæ S. Bernardo, ab Innocentio III. Archiconfraternitati, & Ordini Redemptoris, à Bonifacio IX. viſitantibus Capellam S. Nicolai de Tolentino in ejus die Feſto, à Joanne XXII. oſculantibus menſuram plantæ pedis Beatæ Mariæ Virginis, ab Alexandro VI. Imagini B. Mariæ, vulgo dictæ, *Laghetti*, à Leone X. geſtantibus funiculum S. Franciſci, primùm in Urbe impreſſæ, deindè Mediolani anno 1665. (ſuas tamen habent, & veras Confratres Archiconfraternitatis Cordigerorum S. Franciſci)

reci-

Item, quod ex receptiſſima conſuetudine, ex jure communi proveniente, per totam Noſtram Diœceſim in omnibus jejuniis, (excepto Quadrageſimali) licet omnibus ovis, & lacticiniis veſci.

CAPUT XVII.

De Legatis Piis adimplendis.

Conſtitutio moderatoria Facultatum Rev. Fabricæ S. Petri de Urbe, circa Legata Pauperibus in genere facta.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Superni diſpoſitione conſilii vices illius gerentes in terris, qui pauperum curam Fidelibus ſuis præcipiens, quod uni ex illis fieret ſibi factum aſſeruit, in his Paſtoralis officii Noſtri partes affectu paterno libenter interponimus, per quæ eorumdem pauperum, & præſertim per vicos, & plateas mendicantium, neceſſitatibus opportunè conſuli arbitramur. Cùm itaque retroactis temporibus fel. rec. Julius II., Leo X., Clemens VII., Paulus III., & alii forſan Romani Pontifices Prædeceſſores Noſtri, ut in honorem Principis Apoſtolorum Baſilica, opere ſupra ceteras magnifico, & eleganti, in hac alma Urbe Noſtra conſtrueretur, perpendentes ſuas, & Apoſtolicæ Sedis facultates ad id minimè ſuffecturas, Fabricæ dictæ Baſilicæ, ſeu ejus Collegio inter alias plures gratias, facultates, & privilegia, applicaverint legata pauperibus in genere, ſine ſpeciali determinatione, & propriis nominibus perſonarum non expreſſis, relicta; cumque, hujus applicationis ratione, pauperes, & potiſſimùm mendicantes, legatis ſibi relictis privati remaneant, multique pii Fideles retrahi, vel ſaltem tepidiores reddi poſſint ad relinquendum legata pia, quæ aliàs in eorumdem pauperum commodum relicturi eſſent, dubitantes irritas, & inanes evaſuras ſimiles eorum diſpoſitiones, & in prædictæ

Fabricæ utilitatem ob privilegia præfata ceſſuras: Nos, licet ad abſolutam Fabricæ dictæ Baſilicæ terminationem, illiuſque ornatum à die Noſtræ ad Summum Apoſtolatum aſſumptionis mentem direxerimus, conſiderantes nihilominus ejus admirabilem ſtructuram ad optatum ferè finem eſſe perductam, ac proindè longè minorem pecuniarum quantitatem nunc pro ejus perfectione, & conſervatione, quàm de tempore conceſſionis antedicti, & aliorum ejus privilegiorum eſſe neceſſariam, æquum, & rationi conſentaneum eſſe cenſemus, ut, ſublato privilegii hujuſmodi impedimento, Chriſti pauperes in poſterum legata ſibi relicta, & pro tempore relinquenda plenè, & liberè capiant, & conſequantur. Motu itaque proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac Noſtrâ perpetuò valiturâ conſtitutione ſtatuimus, decernimus, & declaramus legata pauperibus in genere ubicumque Locorum relicta, & pro tempore quandocumque, & quomodocumque relinquenda non amplius ſub legatorum incertorum nomine in beneficium dictæ Fabricæ, juxtà prædicta ejus privilegia, converti, neque ſub ejus facultatibus comprehendi, ſed illa omnia, veluti alia certa pia legata, in commodum, & beneficium pauperum, qui ſub tali nomine, ſecundum juris interpretationem, comprehenduntur, plenè, & integrè, juxtà pias legantium diſpoſitiones, cedere, ac iiſdem pauperibus ab hæredibus, aliiſque obligatis, ſeu à teſtamentariis Exequutoribus, vel aliis, quibus legatorum prædictorum ſolutio, ſeu exequutio commiſſa fuit, & erit pro tempore, eadem legata, ſive in pecunia, ſive in frumento, pane, vino, aliiſque ad humanum uſum neceſſariis conſiſtant, modis, temporibus, ac diebus à Teſtatoribus, ſeu Legantibus præſcriptis, ſolvi, & conſignari debere. Quod ſi ob moram, ſeu negligentiam hæredum, aut Exequutorum, ſeu aliorum obligatorum, vel etiam ob mortem eorum, quibus pauperum nominatio, & electio, ſeu aliàs legatorum exequutio commiſſa fuerit, eorumdem legatorum ſolutionem, ſeu conſignationem ultra debitum tempus differri, vel impediri contingat, volumus, & mandamus, ut Locorum Ordinarii, & illis deficientibus, Commiſſarii, & Miniſtri prædictæ Fabricæ in caſibus, in quibus aliàs præmiſſorum exequutio de jure, & ſecundum facultates ejuſdem Fabricæ ad eos devolvitur, voluntatem Teſtatorum, & relinquentium legata hujuſmodi ad commodum, & beneficium eorumdem pauperum dumtaxat, prout ſervatur in aliis legatis certis, exequantur. Porrò, quoad legata pro piis operibus in genere, etiam ad arbitrium, nominationem, electionem, ſeù declarationem certorum

Exe-

Exequutorum, ſeu aliorum ſpecificandis, & declarandis relicta, nullum præſenti Noſtra Conſtitutione eidem Fabricæ præjudicium inferre, nihilque ſuper iis de novo ſtatuere intendimus, quinimò omnia, & ſingula ejus jura, & privilegia per Summos Pontifices Prædeceſsores Noſtros hactenus in præmiſſis conceſsa præſervamus, in caſibus tamen, in quibus Exequutores, ſeu alii præfati, quibus competit facultas, (quam per hujuſmodi privilegia Fabricæ nullatenus impediri volumus) illam exercere, & ad nominationem, electionem, ſeu declarationem devenire nolint, vel nullâ factâ declaratione deceſserint. Hanc verò Conſtitutionem, tàm in caſibus futuris, & deinceps contingentibus, quàm in præſentibus, & præteritis, præterquàm in ijs legatis, & relictis, quæ hactenus à præfata Fabrica, ſeu ejus Miniſtris agnita, acceptata, & incorporata fuerunt, etiam ſi ſuper illis in quacumque inſtantia lis pendeat indeciſa, ſervari, & locum habere volumus, & declaramus. Ceteris autem ejuſdem Fabricæ, ſeù illius Collegii privilegiis, gratiis, & facultatibus in iis, quæ præſentibus non adverſantur, nullum ne minimum quidem præjudicium per præſentes illatum, aut illis derogatum eſse, ſeu intelligi, dici, vel cenſeri poſse, ſed illas, & illa in ſuo robore, & firmitate remanere debere decernimus itidem, & declaramus. Decernentes etiam præſentes literas, & in illis contenta nullo unquam tempore, etiam ex eo, quod Oeconomus, & alii Officiales præfatæ Fabricæ, ceterique in præmiſſis intereſse habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, ad ea vocati, vel auditi, cauſæque, propter quas eędem præſentes emanarunt, adductæ, vel ſufficienter, aut etiam ullatenus juſtificatæ non fuerint, de ſubreptionis, obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quovis alio, quantumvis ſubſtantiali defectu, notari, vel ex quocumque alio capite, etiam in corpore juris clauſo, impugnari, reſcindi, invalidari, ad terminos juris reduci, in jus, vel controverſiam vocari, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, vel aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, ſeu etiam motu ſimili conceſſo, quempiam judicio, vel extra illud uti poſſe, ſed eaſdem præſentes ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, neque ſub ſimilium, vel diſſimilium conſtitutionum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas eſſe, & cenſeri, ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios,

rios,

rios, & Delegatos, ac etiam quoſlibet S. R. E., & Collegii Fabricæ præfatæ Cardinales, necnon cauſſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & quoſvis alios quacumque auctoritate, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtan. præmiſſis, ac quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Collegii præfati, etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, gratiis, facultatibus, & literis Apoſtolicis per prædictos, & quoſvis alios Romanos Pontifices etiam Prædeceſſores Noſtros, in favorem ejuſdem Fabricæ, ac illius Collegii, etiam per viam Contractus jurati, & ſub quibuſvis verborum tenoribus, & formis, ac etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam conſiſtorialiter, & cum quibuſcumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, & inſolitis clauſulis, & decretis, etiam irritantibus, in genere, vel in ſpecie, & aliàs quomodolibet emanatis, conceſſis, ac etiam pluries approbatis, & confirmatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio facienda, aut quævis alia exquiſita, & inſolita forma ad hoc ſervanda eſſet, illorum omnium, & ſingulorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis, formamque in illis traditam pro ſervata habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice ad effectum præmiſſorum dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè, motu, ſcientiâ, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 30. Auguſti 1655. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

G. Gualterius.

Fer-

Digitized by Google

Formula Teſtamenti pro Parochis in abſentia Notariorum.

IN Nomine Domini. Amen. Anno Nativitatis ejuſdem . . . .
Die . . . Menſis . . . .
Dom., ſeu Honeſtus Vir N. N. habitator Terræ, ſeu Oppidi, aut Communis . . . . corpore ægrotus, animo vero, menteque ſanus, ne inteſtatus ab hac vita migraret, in defectu Publici Notarii, ne infraſcriptum ſuum Parochum obnixè rogavit, ut Teſtamentum, & ultimæ ſuæ voluntatis manifeſtationem ſcribere vellem, quod & feci, ut infra, vernaculâ tamen linguâ, &c.

Primieramente raccomandò l' Anima ſua all' Onnipotente Dio, alla B. V., e a tutta la Curia Celeſte, e volle, che il ſuo Corpo, quando l' Anima ne ſarà ſeparata, ſia ſepolto, &c. Quì s' eſprima la Chieſa, di qual luogo, e con che accompagnamento, Meſſe, e Cera.

Item per ragione di legato laſciò all' Opera di S. Maria del Fiore della Città di Firenze la ſolita ricognizione d' una mezza piaſtra di lire ſette Fiorentine.

Quì ſi ſeguiti a ſcrivere quello, che il Teſtatore vorrà, con chiarezza e diſtinzione.

Dopo d' avere ſcritto tutte le volontà dell' Infermo nel modo, e forma, che averà egli dettato, ſoggiungerà.

E queſta diſſe eſſere la ſua ultima volontà, che volſe dover' avere vigore, ſe non per ragione di Teſtamento, almeno per ragione di Codicillo, o di Donazione inter vivos, e in ogni miglior modo, e forma, colla quale valer poſſono l' ultime volontà de' Defunti.

Tanto ho ſcritto dentro la Caſa . . . . . . alla preſenza degl' infraſcritti Teſtimonj ſpecialmente chiamati. In fede di che Io N. N. Paroco della Chieſa di . . . . . ho ſcritto di mia propria mano e aſſermo eſſere tutto vero.

Quì avvertaſi, che almeno due Teſtimonj ſi ſottoſcrivano, ſe ſapranno ſcrivere, e aſſeriſcano d' eſſere ſtati preſenti, e aver ſentito tutto, e ſe non ſapranno ſcrivere, procuri che almeno ognun di loro faccia con la penna una Croce, e il Paroco dirimpetto a ciaſcuna Croce ſcriva: ✠ *Croce di N. N. Teſtimone.*

Subito poi, che vi ſarà comodità di Notaio pubblico, deponga il Paroco in primo luogo d' aver tutto ciò ſcritto, e ne riconoſca la mano, e depongano parimente i Teſtimonj d' aver ſentito quelle coſe dall' Infermo, e viſte ſcrivere dal Paroco, e ciaſcuno di eſſi riconoſca, o la ſua ſottoſcrizione, o la ſua Croce, e di ciò ſe ne farà Rogito per maggior validità dell' atto.

TITULUS II.

CAPUT III.

De Sacramento Euchariſtiæ.

Decretum S. Congreg. Concilii de Communione Quotidiana.

CUm ad aures SS. D. N. fide dignorum Teſtimonio pervenerit in quibuſdam Diœceſibus vigere uſum quotidianæ Communionis, etiam in Feria ſexta Paraſceve, & ſimul affirmari, eamdem quotidianam Communionem præceptam eſse à jure Divino, quinetiam in illius adminiſtratione aliquos abuſus inoleviſse, videlicet, quòd aliqui, non in Eccleſia, ſed in privatis Oratoriis, & Domi, imò cubantes in lecto, & non laborantes ullà gravis infirmitatis notâ, ſumant Sacroſanctam Euchariſtiam, quam argentea theca incluſam in crumena, aut ſecretò illis deferunt Sacerdotes Seculares, aut Regulares, aliique in Communione accipiant plures formas, ac Particulas, vel grandiores ſolito; ac tandem quis confiteatur peccata venialia ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario. Cùm autem hæc Sanctiſſimus conſideranda commiſerit Sacræ Congregationi Cardinalium Concilii interpretum, eadem Sacra Congregatio, prævià maturà diſcuſſione ſuper prædictis, unanimi ſententià ità cenſuit; Et ſi frequens, quotidianuſque Sacroſanctæ Euchariſtiæ uſus à SS. Patribus fuerit ſemper in Eccleſia probatus, numquam tamen, aut ſæpiùs illam percipiendi, aut ab ea abſtinendi certos ſingulis menſibus, aut hebdomadis dies ſtatuerunt, quos, nec Concilium Tridentinum præſcripſit, ſed quaſi humanam infirmitatem ſecum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet tantùm indicavit, cùm inquit: Optaret quidem Sacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis Fideles adſtantes Sacramentali Euchariſtiæ perceptione communicarent; idque non immeritò; multiplices enim ſunt conſcientiarum receſsus, variæ ob negocia ſpiritus alienationes, multæ è contrà gratiæ, & Dei dona parvulis conceſsa, quæ cum humanis oculis ſcrutari non poſsumus, nihil certi de cujuſque dignitate, atque integritate, & conſequenter de frequentiori, aut quotidiano Vitalis Panis eſu poteſt conſtitui, & propterea, quod ad negociatores ipſos attinet, frequens ad Sacram alimoniam percipiendam acceſsus Confeſsariorum ſecreta cordis explorantium judicio eſt relinquendus, qui ex conſcientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem proceſsu Laicis negociatoribus, & Conjugatis, quod proſpicient eorum ſaluti profuturum, id illis præſcribere debebunt.

In

Digitized by Google

In Conjugatis autem hoc amplius animadvertant, cùm B. Apoſtolus nolit eos invicem fraudari, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, ut vacent Orationi, eos feriò admoneant, tantò magis ob Sacratiſſimæ Euchariſtiæ reverentiam continentiæ vacandum, purioriquemente ad Cœleſtium epularum Communionem eſſe conveniendum. In hoc igitur Paſtorum diligentia potiſſimum invigilabit, non ut à frequenti, aut quotidiana Sacræ Communionis ſumptione unicâ præcepti formulâ aliqui deterreantur, aut ſumendi dies generaliter conſtituantur, ſed magis quid ſingulis permittendum per ſe, aut Parochos, ſeù Confeſſarios ſibi decernendum putet, illudque omninò provideat, ut nemo à Sacro Convivio, ſeù frequenter, ſeù quotidiè acceſſerit, repellatur, & nihilominus det operam, ut unuſquiſque dignè pro devotionis, & præparationis modò, rariùs, aut crebriùs Dominici Corporis ſuavitatem deguſtet: Itidem Moniales quotidiè Sacram Communionem petentes, admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis inſtituto præſtitutis communicent; Si quæ verò puritate mentis eniteant, & fervore ſpiritus ità incalverint, ut dignæ frequentiori, aut quotidianâ Sanctiſſimi Sacramenti perceptione videri poſſint, id illis à Superioribus permittatur. Proderit etiam, præter Parochorum, & Confeſſariorum diligentiam, operâ quoque Concionatorum uti, & cum eis conſtitutum haberi, ut cum Fideles ad Sanctiſſimi Sacramenti frequentiam, (quod facere debent) accenderint, ſtatim ad illud ſumendum de magna præparatione orationem habeant, generatimque oſtendant eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam ſalutiferi cibi ſumptionem devoto ſtudio excitantur, debere, ſivè Laici negociatores ſint, ſivè Conjugati, ſivè quicumque alii, ſuam agnoſcere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac Divini judicii fortitudine diſcant Cœleſtem Menſam, in qua Chriſtus eſt, revereri, & ſi quando ſe minùs paratos ſenſerint, ab ea abſtinere, ſeque ad majorem præparationem accingere. Epiſcopi autem, in quorum Diœceſibus viget hujuſmodi Devotio ergà Sanctiſſimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipſo adhibito prudentiæ, & judicij temperamento alere debebunt, & ab eorum officio poſtulari ſibi maximè perſuadebunt, nulli labori, aut diligentiæ parcendum, ut omnis irreverentia, & ſcandali ſuſpicio in veri, & Immaculati Agni perceptione tollatur, virtuteſque, ac dona in ſumentibus augeantur; quod abundè continget, ſi ii, qui devoto hujuſmodi ſtudio, Divina præſtante gratia, tenentur, ſeque Sacratiſſimo Pane frequentiùs reficiunt, ſuas vires expendere, ſeque probare cum timore, & charitate aſſueverint, quibus Chriſtum

Dominum, qui ſe Fidelibus manducandum, & ſe pretium in morte tradidit, atque in Cœleſti Regno ſe præmium eſt daturus, precatur Sacra Congregatio, ut ſuam opem, & dignam præparationem, & ſumptionem largiatur. Porrò Epiſcopi, & Parochi, ſeu Confeſſarii redarguant aſſerentes Communionem quotidianam eſſe de jure Divino: doceant in Eccleſiis, ſeu Oratoriis privatis, ex diſpenſatione, ſeu privilegio Pontificis, de manu Sacerdotis ſumendam Sanctiſſimam Euchariſtiam, nec eam ullo modo deferendam in crumena, aut ſecretò ad exiſtentes domi, vel cubantes in lecto, præterquam ad infirmos, qui ad illam ſuſcipiendam ad loca prædicta accedere non valeant, & ad eos, ſi ab Eccleſia deferatur publicè, & cum pompa, juxtà formam Ritualis Romani, ſi verò ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, ut circa Communionem in Feria ſexta in Paraſceve Miſſalis Rubricæ, & Eccleſiæ Romanæ uſus ſervetur; inſuper admoneant nulli tradendas plures Euchariſtiæ formas, ſeu particulas, neque grandiores, ſed conſuetas; non permittant, ut venialium Confeſſio fiat ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario. Si Parochi, & Confeſſarii, etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes ſecus egerint, ſciant Deo Optimo Maximo rationem reddituros eſſe, neque defuturam Epiſcoporum, & Ordinariorum rigoroſam animadverſionem in Contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jeſu, facultate ipſis Epiſcopis, & Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apoſtolicam ſpecialiter attributâ.

Et factâ de prædictis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas Sua approbavit, ac præſens Decretum typis dari, ac publicari voluit. In quorum, &c. Dat. Romæ 12. Februarii 1679.

F. Cardinalis Columna Præf.

S. Archiep. Brancaccius Epiſc. Viterbien. Secr.

Conſtitutio 45. Innoc. XII. qua confirmantur Indulgentiæ ab Innoc. PP. XI. conceſſæ pro comitantibus Sanctiſſimum Sacramentum, dum ad Infirmos pro Viatico defertur, & aliæ quoque conceduntur.

DEbitum Paſtoralis officii, quo Catholicæ Eccleſiæ Regimini Divinâ diſpoſitione præſidemus, exigit, ut ad augendam Fidelium religionem, promovendamque Animarum ſalutem piâ charitate intenti, ſpiritualium gratiarum conceſſiones, quæ à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris, ad incitandam, fovendamque eorumdem Fidelium erga Sanctiſſimum, Auguſtiſſimumque Corporis,

Digitized by Google

poris, & Sanguinis Domini Noſtri Jeſu Chriſti Sacramentum, pietatem, atque devotionem providè, & ſalubriter emanaſse noſcuntur, Apoſtolici muniminis Noſtri patrocinio roboremus, ejuſdemque Sanctiſſimi Sacramenti cultum uberiori cœleſtium munerum elargitione, quantum Nobis ex alto conceditur, ampliare ſtudeamus. Aliàs ſiquidem felicis recordationis Innocentius Papa XI. Prædeceſſor Noſter omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, tàm in Alma Urbe Noſtra, tunc ſua, quàm alibi ubicumque Locorum degentibus, qui præfatum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, cùm ad Infirmos pro Viatico deferretur, devotè comitati fuiſsent, ac pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effudiſsent, quacumque vice id egiſsent, ſi cum lumine, ſeptem annos, & totidem quadragenas, ſi verò ſine lumine illud, ut præfertur, comitati fuiſsent, quinque annos, & quinque quadragenas reſpectivè de injunctis eis, aut aliàs quomodolibet per eos debitis pœnitentiis, in forma Eccleſiæ conſueta, ſub certis modo, & forma tunc expreſſis, miſericorditer in Domino relaxavit, & aliàs, proùt in ipſius Innocentii Prædeceſsoris literis deſuper in ſimili forma Brevis die primâ Octobris 1678. expeditis, quarum tenorem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſso, ac de verbo ad verbum inſerto haberi volumus, uberiùs continetur. Nunc autem Nos, memorati Sanctiſſimi Sacramenti venerationem in dies magis, magiſque augeri, piumque, ac laudabilem, quem benedicente Domino in Urbe præfata, ex qua bonorum operum exempla in omnes Chriſtiani Orbis partes diffunduntur, Sacratiſſimum hoc ſalutis noſtræ pignus, cùm ad infirmos defertur, decentiùs comitandi morem, certis deſuper dilecti filii Noſtri in eadem Urbe Vicarii in Spiritualibus Generalis auctoritate præſcriptis regulis, inſtitui curavimus, ubique Locorum, & Gentium extendi, & propagari ſummoperè cupientes, conceſſionem à memorato Innocentio Prædeceſsore, ſicut præmittitur, factam, ac deſuper expeditas ejus literas præfatas, auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium approbamus, confirmamus, & innovamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus. Prætereà omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, ubicumque exiſtentibus, qui legitimo aliquo impedimento detenti, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſupradictum, cùm illud ad infirmos deferri contigerit, perſonaliter comitari nequiverint, ſed tamen lumen, ſeù facem per alios eâ occaſione deferendam miſerint, & ut præfertur, oraverint, quacumque vice id egerint, tres annos, & totidem quadragenas

de injunctis eis, ſeu aliàs quomodolibet per eos debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta harum ſerie relaxamus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeù exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem, prorſus fides tàm in Judicio, quàm extra illud ubique Locorum habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 5. Januarii 1695. Pontificatus Noſtri Anno quarto.

I. F. Card. Albanus.

Sommario di dette Indulgenze.

CHi accompagna il Santiſſimo Viatico agl'Infermi con lume acceſo, guadagna anni ſette d'Indulgenza, ed altrettante quarantene.

Chi accompagna ſenza lume, anni cinque, ed altrettante quarantene.

Chi legittimamente impedito, manda la Torcia, o Candela per altri, o la conſegna in Parrocchia, perchè ſia da altri portata, anni tre, ed altrettante quarantene.

Chi ſimilmente impedito, reciterà un Pater noſter, ed un'Ave Maria, giorni cento d'Indulgenza.

La medeſima è conceduta alle Donne, che ſenza uſcire di Caſa, dicono ſimilmente un Pater noſter, ed un'Ave Maria, pregando il Signore per la Perſona Inferma, che ſi comunica.

Declaratio S. Congregationis Rituum, quod deferentes Viaticum ad Infirmos uti nequeunt Pileolo ſub prætextu infirmitatis.

QUæſitum fuit à Parochis Urbis, an ipſis miniſtraturis Sanctiſſimum Sacramentum Infirmis, liceat de die, vel ſaltem de nocte uti parvo Pileolo in delatione ejuſdem per Civitatem, ſub prætextu alicujus infirmitatis, abſque ſpeciali licentia hujus Sacræ Rituum Congregationis. Et eadem Sacra Congregatio reſpondit negativè. Die 13. Auguſti 1695.

Inſtruzione, e Ordini da oſſervarſi per far l'Orazione continua in forma di Quarantore.

AVendo la Santità di N. S. Papa Innocenzio XI. conceduto alla Città di Firenze l'Indulgenza Plenaria per l'Eſpoſizione con-

continua del Santiſſimo Sagramento per Breve della Santità Sua, ſotto il dì 31. Luglio 1681., la quale fu poi confermata dagli altri Sommi Pontefici ſuoi Succeſſori, ed ultimamente da N. S. Papa Clemente XI. Regnante, ſotto il dì 30. Agoſto 1709., ed avendo inſieme i Noſtri Predeceſſori fatto pubblicare alcuni Ordini, ſecondo l'Inſtruzione da oſſervarſi in Roma, concernenti il decoro di ſimil Funzione: Noi ad effetto di confermarne ogni più eſatta oſſervanza, e per provvedere al buono indirizzo di queſt' Opera, comandiamo, e vogliamo, che inviolabilmente ſi pratichi quanto ſi preſcrive appreſſo.

In ciaſcun luogo deputato ſtia il Santiſs. Sagramento eſpoſto due giorni, e due notti continue, e non ſi deponga da un luogo, ſe prima non è eſpoſto nell'altro; e perchè ciò ſegua, infallibilmente s'oſſerverà queſta regola, che chi l'eſpone, procuri che ſia eſpoſto avanti al ſuono dell'Ave Maria di Mezzo giorno, e non dopo; e chi lo depone, lo deponga mezz' ora dopo l'Ave Maria, e non prima; e ciò s'oſſervi con tutto rigore.

Si metterà ſopra la Porta della Chieſa, dove ſarà l'Eſpoſizione, un Segno del SS. Sagramento ornato con feſtoni, o altro ſimile, ſiccome a capo della Strada vicina, perchè ſia noto a chi paſſa, eſſere ivi l'Orazione delle Quarantore.

Si tenga alla Porta della medeſima Chieſa dalla parte di dentro, o di fuori, come torna più comodo, un Tappeto, o Portiera grande ben fermata, che faccia forma di buſſola, con laſciare ſpazio adeguato da' lati per entrare, e uſcire il Popolo, e ſtia in forma tale, che non ſi poſſa mai vedere il Santiſs. Sagramento dalla Strada, con tenere in eſſa, o vicino ad eſſa in luogo patente la Liſta delle Quarantore, acciò ognuno vedendola, poſſa ſucceſſivamente ſapere il luogo, dove ſi farà tal'Orazione. Ed una ſimil Liſta tenghino ſempre eſpoſta al pubblico tutte le Chieſe di Firenze per informazione de' Popoli.

La ſera avanti l'Eſpoſizione, dopo le ore 24. ſi ſuonino le Campane a Feſta per avviſo del Popolo, e per eccitarlo alla devozione; e l'iſteſſo ſi faccia la mattina prima, che ſi debba cominciare la Meſsa dell'Eſpoſizione: Siccome la mattina, che doverà terminare l'Orazione, avanti la Meſſa della Depoſizione, per convocare il Popolo ad intervenire a tal funzione.

L'Altare ſopra del quale dovrà ſtare il Santiſſimo Sagramento eſpoſto, (che per quanto è poſſibile ſia l'Altar Maggiore) deve eſſere ornato di Lumi, e parato quanto più ſolenne ſi potrà, con il ſuo

Pa-

Paliotto bianco, avvertendo di coprire l'Immagine, o Statua, che vi ſia, e che gli Apparati da metterſi nella Tribuna, e per Chieſa non ſieno Iſtorie, o coſe profane; e per render maggior devozione, ſi procuri, che vi ſia un poco d'oſcurità, ma non tanto, che rechi inciampo a chi entra ad orare.

Sopra il medeſimo Altare ſia un Tabernacolo, o Trono con il ſuo Baldacchino proporzionato di color bianco, e Corporale, o Palla da porvi ſopra il Santiſſimo nel ſuo Oſtenſorio, il di cui giro deve eſſer pieno di raggj, avvertendoſi, che il Santiſſimo ſtia nel luogo più eminente, e che non vi ſia appreſso ornamenti, che ne impediſcan la viſta, nè vi ſian' attorno Reliquie di Santi, nè Statue de' medeſimi, non eſcludendo però quelle degli Angioli, e molto meno vi ſi ponghino Figure dell'Anime del Purgatorio di qualſivoglia materia in quelle Eſpoſizioni, che ſi fanno in ſuffragio di quelle Anime.

Ardano ſempre avanti di eſso almeno ſedici Lumi di cera, quattro ſul piano dell'Altare, ſei avanti all'Oſtenſorio, e ſei nel primo grado, e dove, ſecondo la poſſibilità, s'accenderanno in maggior numero, ſi procuri al poſſibile, che ſtieno tutti continuamente acceſi, fuor che la notte, nella quale ſe ne terranno acceſi almeno dieci. E ſu la ſera per la Chieſa ſi mettano Lumi ſufficienti per evitare la confuſione.

All'Altare, dove ſtarà il Santiſſimo eſpoſto, non ſi doveranno celebrare altre Meſse, che quelle, colle quali ſi doverà principiare, e finire l'Orazione, e tanto l'una, che l'altra deve dirſi del Santiſſimo, la quale, ſe ſarà Solenne, ſi dirà come Votiva pro re gravi, colla Gloria, e col Credo, ſenza alcuna Commemorazione, e ſi potrà cantare qualſiſia giorno, toltine quei pochi eccettuati dalle Rubriche, cioè: La Domenica prima dell'Avvento: Il giorno di Natale di N. Sig., e dell'Epifania: Il primo giorno, e la prima Domenica di Quareſima: la Domenica delle Palme, con tutta la Settimana Santa: La Domenica di Reſurrezione, e della Pentecoſte, con i due giorni ſuſseguenti, e il giorno dell'Aſcenſione, a' quali s'aggiugne la Feſta del Titolo, e della Dedicazione della Chieſa (ſe però non ſe ne cantaſsero due, cioè una della Feſta, e una del Santiſs. Sagramento) ne' quali giorni cantandoſi la Meſsa, ſi canterà la corrente, con la commemorazione del Santiſſimo, la qual commemorazione ſi farà ſempre in tutte le Meſse nel tempo dell'Orazione. Dove poi non ſi canta la Meſsa, ſi dirà la Votiva del Santiſſimo, ſenza Gloria, e ſenza Credo, con le dovute commemorazioni, e ſimili ſarebbe lodevole, che fuſsero tutte l'altre; e ne' giorni, ne' quali non ſi poſsono dire Meſse Votive private, che ſono le Domeniche,

i giorni

i giorni doppj, e i giorni dentro l'Ottave dell'Epifania, della Reſurrezione del Signore, e della Pentecoſte, e ſua Vigilia, con quella della Natività del Signore, ſi dirà la corrente, con la commemorazione del Santiſſimo, da farſi dopo le altre Orazioni, che corrono o di Precetto, o di Rubrica, e così in tutte l'altre durante l'Orazione. In quei luoghi poi, dove è obbligo di Meſsa Conventuale, e che per l'Eſpoſizione ſi deve, e può cantarſi la Meſsa del Santiſſimo, quella in tal mattina s'anticipi, e ne' due giorni ſuſseguenti ſi canti ad altro Altare, non dovendoſi far Coro all'Altare del Santiſſimo eſpoſto.

Si proibiſce ancora dalla Sacra Congregazione de' Riti, con Decreto de' 2. Dicembre 1684. che nel tempo dell'Eſpoſizione regolarmente ſi celebrino Meſse di Requiem, e ſi cantino Anniverſarj, quantunque l'Ufizio di quel giorno per altro ammetteſse tali Meſse. E ciò s'oſservi ancora con tutta vigilanza in tutte l'altre Eſpoſizioni ſtraordinarie.

Venuta l'ora d'incominciare la funzione dell'Eſpoſizione, ſi procuri di dar principio alla Meſsa in tempo, che, come ſi è detto, al ſuono dell'Ave Maria di Mezzo giorno il Santiſſimo ſia eſpoſto ſul Trono: E conſecrate due Oſtie, avanti che il Celebrante abbia preſa la Purificazione del Calice, aperto dal Diacono, o altro Sacerdote con Stola l'Oſtenſorio, e fatta prima genufleſſione, collocherà in eſso colle ſue mani il Santiſſimo Sagramento, e genufletrendo di nuovo, e ſerrandolo il medeſimo Diacono dentro i ſuoi ſoliti criſtalli, lo ſituerà nel mezzo dell'Altare ſopra il Corporale, tirando da parte il Calice verſo la banda dell'Epiſtola, proſeguendoſi poi dal Celebrante la Meſsa, con raccogliere i frammenti, e porgli nel Calice, e ſe in eſso vi ſieno ſpecie unite del Sangue, reverentemente le pigli prima di ricevere il Vino della purificazione. E finita la Meſsa con quelle ceremonie, che ſono inſegnate da'buoni Autori, il Sacerdote, fatta nel mezzo dell'Altare la genufleſſione, ſcenda nel piano del Presbiterio, e fatta in mezzo con i Miniſtri Sacri genufleſſione utroque genu, venga con eſſi da parte in cornu Epiſtolæ, e quivi preſe da eſſi le Tonacelle bianche ſenza Manipoli (occorrendo mutarle) e dal Celebrante il Piviale, fermandogliene dinanzi il Diacono, ritornino in mezzo a far nuova ſimile genufleſſione, e ſaliti, il Celebrante ſull'ultimo ſcalino, venendo l'Accolito, che ſi porrà genufleſſo con il Turibolo, metta l'Incenſo in tre volte, cioè nel mezzo, dalla parte deſtra, e dalla ſiniſtra del Turibolo, ſenza benedirlo, porgendogli ſenza oſculi il Cucchiajo il Diacono inchinato, con tenere la Navicella. Ciò fatto, s'inginocchi nell'iſteſſo luogo ſulla Predella,

e ri-

e ricevuto il Turibolo per mano del Diacono, il quale non bacia nè il Turibolo, nè la mano del Sacerdote, incenſi il Santiſſimo con tre incenſate, facendo profonda reverenza innanzi, e dopo, alzandogli in quel mentre i Miniſtri il fregio del Piviale da ambe le parti, ſtando già genufleſſi un gradino più baſſo. Ripreſo il medeſimo Diacono il Turibolo di mano al Sacerdote, i Cantori intoneranno l'Inno *Pange lingua*, e dopo la terza ſtrofa, o prima, l'iſteſso Diacono ſi rizzerà, e ſalito all'Altare farà nel mezzo la genufleſſione, e preſo l'Oſtenſorio col Santiſſimo, procurerà d'averlo meſso al ſuo luogo deſtinato prima che ſi canti il *Tantum ergo*, *&c.* e non vi eſsendo il Diacono, per eſsere ſtata la Meſsa piana, preſo dal Celebrante il Piviale, farà tutte le ſopraddette coſe un Sacerdote veſtito di Cotta, che nel prendere il Santiſſimo uſerà la Stola. Poſto al ſuo luogo il Santiſsimo, terminato l'Inno, e dettoſi da' Cantori il ℣. e dal Celebrante l'Orazione, intoneranno quelli le Litanie de' Santi, le quali compite, dirà il Celebrante le Preci genufleſso, e le Orazioni ritto, le quali ordinariamente ſaranno quelle, che ſeguono dopo le medeſime Litanie, ſe per qualche inſtante neceſsità da Noi, o Noſtro Vicario non ſaranno ordinate altre Preci particolari. Finite tutte le Orazioni, e terminato ſempre con i Verſetti *Dominus vobiſcum. Exaudiat nos, &c. & Fidelium Animæ*, ſtarà il Celebrante genufleſſo ad orare per qualche breve tempo, dipoi, facendo nel piano del Presbiterio la genufleſsione utroque genu, tornerà in Sagreſtia, non coprendo la teſta prima d'eſsere uſcito del Presbiterio, o alquanto lontano dall'Altare.

In quelle Chieſe poi, dove è numero competente di Sacerdoti, e capacità di luogo, ſi permette fare la Proceſsione col Santiſsimo dentro però alla medeſima Chieſa, e queſta ſi faccia almeno dalla Metropolitana, e da quella, che finirà il Giro, nel qual caſo finita la Meſsa Cantata, preſe da' Miniſtri Sacri le Tonacelle bianche ſenza Manipoli, biſognando variarle, e dal Celebrante il Piviale con le ſolite genufleſsioni, come ſopra, e meſso l'Incenſo in due Turiboli, ed incenſato col primo il Santiſsimo, ſi porrà il Velo bianco ſopra le ſpalle del Celebrante da un' Accolito con l'ajuto de' Miniſtri, e il Diacono ſi rizzerà, e fatta la genufleſsione in mezzo dell'Altare, piglierà il Santiſsimo in piedi, porgendolo al Sacerdote genufleſso, e intonando in quel mentre i Cantori il *Pange lingua*, da cantarſi con pauſa proporzionata, ſi darà principio alla Proceſsione dalla parte dell'Evangelio, per tornare da quella dell'Epiſtola. Riportato il Santiſsimo all'Altare, il quale lo porgerà il Sacerdote

in piedi

in piedi al Diacono genufleſso ſulla Predella, che lo poſerà ſulla Menſa, e depoſto il Velo umerale, e incenſatolo, il medeſimo Diacono porterà il Santiſsimo al ſuo luogo ſul Trono alla pubblica Adorazione, ſonandoſi frattanto l'Organo, e allora ſi canterà il *Tantum ergo, &c.* e a ſuo tempo da' Cantori il ℣. *Panem de Cœlo*, al quale s' aggiunga l' *Alleluia* nel Tempo Paſquale, e in tutta l'Ottava del Corpus Domini, e dal Celebrante l'Orazione: e dipoi le Litanie, come ſopra.

In tal Proceſsione s' uſi ſempre Baldacchino bianco, portato dalle Perſone più degne, con Torcetti, e Lumi in numero ſufficiente, e ſi oſservino tutte le coſe preſcritte dagli Autori nella Proceſsione ſolenne del Corpus Domini.

In tutto il tempo delle Quarantore aſsiſtino di continuo due Sacerdoti con le Cotte, e Stole, benchè ſiano Regolari, a piedi degli ſcalini dell' Altare, orando inceſsantemente tanto di giorno, che di notte, con cambiarſi ad ogni ora, e nelle Compagnie de' Secolari, ſebbene v' aſsiſteranno d' ora in ora due, o più Confratri veſtiti delle loro Cappe, con iſtar ſempre in ginocchioni con molta reverenza, per dar buon' eſempio a quelli, che vengono all' Orazione, e orando con voce baſsa, per non impedire gli altri, ad ogni modo vi ſia ſempre pronto almeno un Sacerdote, e un Cherico, per provvedere a quello poteſse occorrere, e l'iſteſso s' oſservi nelle Chieſe di Monache, benchè le medeſime Religioſe ſtiano a vicenda continuamente in orazione.

Si tenga in Sagreſtia di ciaſcun luogo un Orivolo a polvere, per avviſare a tempo la muta de' Sacerdoti, e Confratri per aſsiſtere la loro ora, e ſarebbe anco lodevole dar ſegno ad ogni ora colla Campana minore della Chieſa, tanto di giorno, come di notte.

Niun Secolare, benchè veſtito con Sacco di qualſivoglia Compagnia, ardiſca d'andare d' intorno all'Altare per aggiuſtare Lumi, o far altro, che occorra, ma dovrà eſsere un Sacerdote, o almeno un Cherico con Cotta, colla quale, ſopra il proprio Abito, dovranno comparire anco i Regolari tutti. Avvertiamo di più, che ogni perſona di qualſivoglia condizione, o Ordine, per Decreto della Sacra Congregazione de' Riti 19. Aug. 1651. avanti il Santiſsimo Sagramento eſpoſto, accoſtandoſi, o partendoſi da eſso, deve fare la genufleſsione con ambe le ginocchia piegate.

In ordine poi alla perſona del Sacerdote, che celebra la Meſsa privata nelle Chieſe, che hanno l' Eſpoſizione delle Quarantore, s' inſinua eſservi Decreto della medeſima Sac. Congreg. 6. Sept. 1638.

Digitized by Google

che mentre paſsa avanti l' Altare, in cui ſta eſpoſto il Sagramento, dopo fatta l' adorazione colla genufleſsione ſcoperto il capo, alzandoſi lo ricopra.

Nel tempo della predetta Orazione, o in altre Eſpoſizioni, dovendoſi fare, ſecondo le Licenze ottenute, qualche Predica, o breve Diſcorſo, il Predicatore ſtia ſempre col capo ſcoperto, e in piedi al poſsibile, non approvandoſi il coprire con Velo l' Oſtia Sacra, eſsendo, come dice il *Bauldrì par.* 1. *cap.* 10. *n.* 14. contro la Rubrica.

Si proibiſce eſpreſsamente tanto agli Uomini, che alle Donne di qualſivoglia condizione, e ſotto qualunque preteſto, l'entrare nel Presbiterio, o dentro i Balauſtri dell' Altare, dove ſia eſpoſto il Santiſſimo, convenendo, che detto luogo reſti del tutto libero per i Sacerdoti, e Confratri deſtinati per aſsiſtere all' Orazione, e queſto s' oſservi in qualſivoglia eſpoſizione, che ſi faccia anco per breve tempo, con legittima facoltà, in qualunque altra occaſione.

Celebrandoſi le Meſſe agli Altari, che ſono in viſta di quello, dove è eſpoſto il Santiſſimo, o vicino a quello, i Cherici, che ſervono, non ſuonino il Campanello al *Sanctus*, e all' Elevazione, per non diſturbare quelli, che ſtanno attualmente intenti all' adorazione del medeſimo Sagramento,

Le Chieſe, dove ſarà l' Orazione delle Quarantore, doveranno la ſera ſtare aperte, fintanto vi ſarà il Popolo per orare; ma perchè non può darſi in ciò un' ora determinata, ci rimettiamo alla devota prudenza de' Sagreſtani, i quali anco di notte potranno permettere l' ingreſso agli Uomini; non lo permettendo in modo alcuno alle Donne, dopo che ſarà paſſata la mezz' ora di notte.

Non ſi tengano in Chieſa Bacili, o Caſſette per le Limoſine, nè vadano Cherici, Confratri, o altri accattando per Chieſa; e molto meno i Poveri, i quali doveranno ſtare alquanto fuor della Porta della Chieſa; e ſia cura de' Superiori, e Sagreſtani di tener perſone, che aſſiſtino alle Porte, per evitare in ogni modo così grande inconveniente.

La mattina, che ſi doverà terminare l' Orazione delle Quarantore, avanti che ſi cominci la Meſſa, ſi ſuonino le Campane ſolennemente, come ſopra; avvertendo però, che non ſi termini tal funzione prima che ſia paſſata la mezz' ora dopo il ſuono dell' Ave Maria di Mezzo giorno, come ſi è detto di ſopra.

Finita la Meſſa, e con le dovute ceremonie, e genufleſſioni preſo dal Sacerdote in cornu Epiſtolæ il Piviale bianco, e tornato nel mezzo dell' Altare, s' inginocchierà ſulla Predella del medeſimo, con i Miniſtri al ſuo luogo: Allora s' intoneranno da' Cantori le Litanie, le quali

Digitized by Google

le quali finite colle ſue Preci, e Orazioni, ſenza dire il ℣. *Fidelium Animæ*, il Sacerdote, meſso l'Incenſo nel Turibolo, incenſerà al ſolito il Santiſſimo; e quello incenſato, s'intonerà il *Pange lingua*, e il Diacono, o altro Sacerdote calerà il Santiſſimo in tempo, che ſia ſull' Altare, quando ſi canta il *Tantum ergo*, e detta in fine dal Sacerdote l' Orazione, riceverà genufleſso il Velo ſulle ſpalle, e rizzandoſi, e ſalendo all' Altare, volterà l'Oſtenſorio, pigliandolo colle mani velate, e voltandoſi al Popolo dalla parte dell' Epiſtola, darà ad eſso col Santiſſimo la Benedizione, con terminare in poſarlo ſull' Altare il circolo dalla banda del Vangelo, facendo unico genu innanzi, e dopo la genufleſſione. Dipoi genufleſso deporrà il Velo, e ſtarà quivi finchè dal Diacono, o altro Sacerdote ſia ripoſto il Santiſſimo nel Ciborio quivi, o fiſso, o amovibile per tal' effetto, dentro del quale doverebbe eſsere una Piſſide per collocarvelo, mentre però il Ciborio non ſia così capace, che comodamente capiſca l'Oſtenſorio. Oſſervando il Diacono nel riporlo, che, ſe è capace dell'Oſtenſorio, ſi devono fare due ſole genufleſſioni, cioè, prima di pigliarlo, e avanti di ſerrare il Ciborio: Se poi queſto non fuſse capace, ſe ne faranno quattro, una ſalito che ſarà, l' altra dopo avere aperto il Ciborio, la Piſſide, e i Criſtalli dell' Oſtenſorio, la terza dopo aver preſo il Sagramento, e poſtolo in detta Piſſide prima di ſerrarla, e l' ultima prima di ſerrare detto Ciborio.

Dove poi ſi doverà fare la Proceſſione, terminate le Litanie colle ſue Preci, e Orazioni, ed incenſato, e appreſſo calato, e poſato il Santiſſimo ſull' Altare, e meſſo il Velo alle ſpalle del Sacerdote, ſi porgerà dal Diacono il Santiſſimo in mano all'iſteſſo, nel medeſimo modo, che ſopra, e ſonandoſi frattanto l' Organo, e intonando i Cantori l' Inno, ſi comincerà la Proceſſione; oſſervandoſi in eſſa quanto ſi è detto in quella dell' Eſpoſizione, e in fine ripoſto ſull' Altare il Santiſſimo, rimeſſo l'Incenſo, e incenſatolo, ſi dica il *Tantum ergo, &c.* e detta che averà il Sacerdote l'Orazione, darà la Benedizione.

Non ardiſca alcun Rettore, Curato, o Sagreſtano, tanto Secolare, che Regolare, fuori dell' ordine aſſegnato delle Quarantore, d'eſporre, o fare eſporre il Santiſſimo Sagramento, ſotto qualſivoglia preteſto, o conſuetudine, nè per cauſe gravi, o per Infermi, ſenza eſpreſſa Licenza ſottoſcritta, o da Noi, o dal Noſtro Vicario, con oſſervare il tempo, che doverà durare l' Eſpoſizione, da aſſegnarſi nelle ſuddette Licenze, e non altrimenti.

Nell' Eſpoſizioni poi private in cauſa d'Infermi non s'eſponga il Sagramento fuori del Tabernacolo, ma ſi ponga alla bocca del me-

deſimo, o la Piſſide coperta di Velo bianco, o un piccolo Oſtenſo-ſorio coperto ancor' eſſo in maniera, che non ſi poſſa vedere l'Oſtia Sagra, per Decreto della Sac. Congr. de' Riti 27. Maggio 1603., come nel Sinodo Fiorentino del 1637.

Tutti i ſopraddetti Ordini devono inviolabilmente oſſervarſi, con tutto quello di più poteſſe occorrere alla giornata al Noſtro Deputato, ſotto gravi pene, da imporſi a Noſtro arbitrio.

TOMMASO ARCIVESCOVO FIOR.

Decretum Sac. Rituum Congreg., quo prohibentur Miſſæ Votivæ infra Octavam Sanctiſſimi Corporis Chriſti.

EMinentiſſimi Sac. Rituum Congreg. Præpoſiti, ob ſummam, ac debitam venerationem, qua Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum proſequuntur, & ad augendum ejus cultum in toto Terrarum Orbe, cenſuerunt prohibendum eſſe, ne in poſterum infrà Octavam Sanctiſſimi Corporis Chriſti Miſſæ Votivæ quæcumque, vel pro Defunctis celebrentur, ſi Sanctiſs. placuerit. Hac die 21. Junii 1670.

Et factâ de prædictis Sanctiſſimo Relatione per me Secretarium, Sanctitas Sua ſenſum ejuſdem Sac. Congregationis approbavit, & præfatum Decretum edi mandavit, eâdem die ejuſdem Menſis, & Anni 1670.

Decretum S. Congregationis de non admittendis Armenis ad Sacramenta ſine teſtimonialibus emiſſæ Profeſſionis Fidei.

Illuſtriſs. e Reverendiſs. Signore.

SI è riſoluto in queſta Sac. Congregazione, con l'approvazione di Sua Beatitudine, che ſi proibiſca a' Sacerdoti Latini, ed a chi altro biſogna, d'amminiſtrare i Sagramenti a quelli Armeni, i quali non giuſtificheranno in autentica forma d'aver fatta la profeſſione della Fede. Queſta determinazione dovrà V. S. premere con i modi, che le ſuggerirà il proprio zelo, e la propria prudenza, di farla puntualmente eſequire ne' Luoghi di coteſta ſua Nunziatura, con dar poi avviſo di quanto avrà operato; ed il Signore la feliciti.

Roma 25. Maggio 1669.

Di V. S. *Come Fratello Affezionatiſs.*

Il Card. Barberino.

Ab extra.

All' Illuſtriſs. e Reverendiſs. Sig. Monſig. Pallavicino Arciveſcovo d' Efeſo Nuncio Apoſtolico. Fiorenza.

C A-

CAPUT V.

De Sanctiſſimo Miſſæ Sacrificio.

Confirmatio Decretorum S. R. E. Cardinalium Conc. Trid. Interpretum ſuper Celebratione Miſſarum, etiam cum Declarationibus, & innovatione Decretorum ab ead. S. Congr. authoritate fel. record. Urbani PP. VIII. deſuper aliàs factorum; unà cum Additionibus Innoc. PP. XII.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

NUper à Congregatione Venerabilium Fratrum Noſtrorum S.R.E. Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, prodierunt Decreta tenoris infraſcripti, videlicet.

Aliàs ſuper celebratione Miſſarum, ac prohibitione illas moderandi, ſeu reducendi, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia, necnon ſuper earumdem oneribus perpetuis ſuſcipiendis, & Religioſorum numero, ultra redditus, & conſuetas eleemoſynas Locorum Regularium, non habendo, emanarunt ab hac Sac. Congr. S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate per fel. record. Urbanum Papam VIII. illi ſpecialiter attributâ, quamplura Decreta tenoris ſequentis.

Cùm ſæpè contingat in quibuſdam Eccleſiis tàm magnum Miſſarum celebrandarum numerum, ex variis Defunctorum relictis, aut piorum eleemoſynis impoſitum eſſe, ut illis pro ſingulis diebus præſcriptis nequeat ſatisfieri, & tamen nova onera Miſſarum in dies ſuſcipiantur; indeque fiat, ut depereant piæ teſtantium voluntates, obſtricta Benefactoribus fides violetur, Defunctorum animæ ſuffragiis priventur, Eccleſiis debitus ſubtrahatur cultus, ac Chriſtifideles, gravi ſcandalo affecti, plerumque à ſimilibus charitatis operibus retrahantur. Cùmque his malis maximum inter cetera fomentum præbeat, aut quòd ii, qui Miſſas ſupra vires celebrandas ſuſcipiunt, ſperent illas brevi ad pauciorem numerum à Superioribus reductum iri; aut quòd Eccleſiis, forte pecuniarium aſſumptâ, plerumque nuda remaneant onera Miſſarum, abſque ullo emolumento, aut quòd eleemoſyna pro illis celebrandis ſit adeo tenuis, ut non facilè inveniantur, qui velint huic ſe muneri ſubiicere, & redditus Eccleſiæ, aut Monaſterii adeo exigui, ut Sacerdos pro neceſſaria ſua ſuſtentatione, novis ſe oneribus obſtringere compellatur. Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, animadvertens

facturam ſe rem Deo gratiſſimam, charitatique, ac juſtitiæ maximè conſentaneam, ſi pro viribus ſatagat hunc teterrimum abuſum è Chriſtiana Republica convellere, atque eradicare; Sanctiſs. D. N. Urbani Divinâ Providentiâ Papæ VIII. auctoritate ſibi ſpecialiter attributâ, infraſcripta Decreta edidit.

Ac primò diſtrictè prohibet, atque interdicit, ne Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquomodo, reducant onera ulla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis, ſed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apoſtolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perſpectâ, id ſtatuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, moderationes, & commutationes hujuſmodi, ſi quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omninò nullas, atque inanes decernit.

Deindè, ubi pro pluribus Miſſis, etiam ejuſdem qualitatis celebrandis, ſtipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, ſive ab una, ſive à pluribus perſonis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Eccleſiis, Capitulis, Collegiis, Hoſpitalibus, Societatibus, Monaſteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus, ac Locis Piis quibuſcumque, tàm Secularibus, quàm Regularibus; Sacra Congregatio ſub obteſtatione Divini judicii mandat, ac præcipit, ut abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint, itaùt alioquin ii, ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant; quinimmò graviter peccent, & ad reſtitutionem teneantur.

Id verò ut deinceps obſervetur exactiùs, Sac. Congregatio eâdem auctoritate revocat prvilegia, & indulta omnia quibuſvis Perſonis, Eccleſiis, ac Locis Piis, tàm Secularibus, quàm Regularibus cujuſcumque Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, quamcumque ob cauſſam conceſſa, quibus indulgetur, ut certarum Miſſarum, vel Anniverſariorum celebratione, aut aliquibus collectis, ſeù orationibus plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.

Ac ſimiliter, omne damnabile lucrum ab Eccleſia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eamdem Miſſam alteri, parte ejuſdem eleemoſynæ ſibi retentâ, celebrandam committat.

Prætereà, ne in Eccleſiis, in quibus onera Miſſarum in perpetuum impoſita ſunt, Sacerdotes in eis, ut par eſt, adimplendis eò tepidiores, ac ſegniores reddantur, quòd onera hujuſmodi cum nulla,

aut

aut parva ſint utilitate conjuncta: ſtatuit, atque decernit, ut pecuniæ, ac Bona mobilia Eccleſiis, Capitulis, Collegiis, Hoſpitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monaſteriis, Conventibus, ac locis omnibus, tàm Secularibus, quàm Regularibus, atque illorum perſonis in futurum ſimpliciter acquirenda, cum onere perpetuo Miſſarum celebrandarum, ab iis, ad quos pertinet, ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, ipſo facto incurrenda à die realis acquiſitionis, ſtatum deponi debeant penès Ædem Sacram, vel perſonam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, ſeu illorum pretium quamprimum inveſtiendi in Bonis immobilibus fructiferis, cum expreſſa, & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur.

Ac ſi eadem Bona immobilia auctoritate Apoſtolicâ deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium, ſub eadem pœna, ut ſupra, deponi, atque in aliis Bonis ſtabilibus itidem fructiferis, cum ejuſdem oneris repetitione, atque annexione converti debeat.

Ad hæc Sac. Congregatio quibuſvis Capitulis, Collegiis, Societatibus, & Congregationibus, necnon omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, ac Piorum Locorum, tàm Secularium, quàm Regularium Superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, diſtrictè prohibet, ne in poſterum onera perpetua ſuſcipiant Miſſarum celebrandarum; Seculares quidem ſine Epiſcopi, vel ejus Generalis Vicarii, Regulares verò ſine Generalis, vel Provincialis conſenſu, & licentia, in ſcriptis, & gratis concedenda: alioquin Secularis, qui hujus prohibitionis tranſgreſſor extiterit, ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus ſit eo ipſo; Regularis verò pœnam privationis omnium Officiorum, quæ tunc obtinebat, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cetero obtinenda, vociſque activæ, ac paſſivæ abſque alia declaratione incurrat.

Eleemoſynas verò manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis, ita demum iidem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, ut nova quoque onera ſuſcipere valeant; alioquin omninò abſtineant ab hujuſmodi eleemoſynis, etiam ſpontè oblatis, in futurum recipiendis, & capſulas auferant ab Eccleſiis, cum inſcriptione illa: ELEEMOSYNÆ PRO MISSIS, vel alia ſimili, ſub iiſdem pœnis ipſo facto incurrendis, ne Fideles hac ratione fruſtrentur.

Epiſcopus verò, ſeu ejus Vicarius, aut Generalis, vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requiſiti, in ſingulis caſibus diligenter inquirant de ſingulis Miſſarum celebrandarum obligationibus, cuique Eccleſiæ, Monaſterio, aut Loco Pio incumbentibus; nec antea aſſenſum hujuſmodi, aut licentiam præbeant,

beant, quàm eis legitimè conſtiterit illius Sacerdotes, tàm novo oneri ſuſcipiendo, quàm antiquis jam ſuſceptis ſatisfacere poſſe; præcipuamque rationem habeant, ut redditus, qui Eccleſiis, & Locis Piis relinquuntur, omninò reſpondeant oneribus adjunctis, ſecundum morem cujuſque Civitatis, vel Provinciæ, intelligantque, ſi in re tanti momenti deſides, aut negligentes fuerint, in noviſſimo die ſe hujus prætermiſſi muneris rationem eſſe reddituros.

Poſtremò Illuſtriſſimi Patres, non ſine gravi animi dolore intelligentes, mala fere omnia, quæ regularem diſciplinam evertunt, ac præcipuè nimiam hanc facilitatem fovent in oneribus Miſſarum ſupra vires ſuſcipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex majori Regularium numero, quàm ferant redditus, & eleemoſynæ cujuſque Monaſterii; inhærentes Summorum Pontificum, ac Sac. Tridentini Concilii Decretis, hac de re editis, Sanctiſs. Domini Noſtri auctoritate præcipiunt, ac mandant omnibus, & ſingulis Generalibus, Provincialibus, Commiſſariis, Miniſtris, Præſidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Guardianis, Vicariis, & quibuſcumque aliis Superioribus Monaſteriorum, Conventuum, ac Domorum Regularium, bona immobilia poſſidentium, vel non poſſidentium, cujuſcumque Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, exiſtentium intra fines Italiæ, & Inſularum adiacentium, ut ſinguli, ad quos pertinet, in qualibet Provincia adhibitis duobus, aut tribus Regularibus ſui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum uſu peritioribus, Bona immobilia, cenſus, redditus, & proventus omnes, conſuetas item eleemoſynas, & obventiones, tàm communes Monaſteriorum, Conventuum, & Domorum ejuſdem Provinciæ, quàm etiam ſingularibus perſonis Religioſis aſſignatas, ſeu permiſſas, in communem uſum deinceps conferendas, decem annorum immediatè præcedentium habitâ ratione, diligenter, & maturè recognoſcant, iis omnibus detractis, quæ reparationes, præſtationes, grandines, ſterilitates, aliave cujuslibet generis onera conſueverunt abſorbere.

Eaque omnia ſcripto fideliter exarata, idem Superior, cujus intereſt, in proximo Capitulo, ſeu Congregatione Generali, vel Provinciali coram tribus Judicibus, ab ipſomet Capitulo, ſeu Congregatione deligendis, proponat, qui computatis hujuſmodi redditibus, eleemoſynis, & obventionibus univerſis, & oneribus, ut ſupra, detractis, ſedulò examinent, quot Religioſi homines, connumeratis etiam laicis, aliiſque neceſſariis ſervientibus in unoquoque Monaſterio, Conventu, & Domo Regulari, juxtà regionis, & proprii inſtituti morem, victum, & veſtitum, & medicinalia in communi habentes,

com-

competenter valeant ſuſtentari. Tùm eorumdem Bonorum, redditūum, eleemoſynarum, & onerum præciſam notam ipſimet Capitulo, ſeu Congregationi exhibeant, ut in illo diligenter omnibus diſcuſſis, cujuſque Familiæ, Monaſterii, Conventus, ac Domus Regularis, in ſingula quaque Provincia, certus earum tantùm perſonarum numerus Patrum Capitularium voto præfigatur, quæ redditibus, eleemoſynis, & obventionibus, ut ſuperiùs, ſufficienter ali poſſint.

Ne verò Superiores, qui id præſtare debent, ſeriùs, aut remiſſiùs, quàm par eſt, ſuo muneri ſatisfaciant; mandat Sacra Congregatio, ut infra annum, poſt proximum Capitulum Generale, vel Provinciale computandum, omnia hoc de genere capitulariter geſta, in authenticam formam redacta, ad Sacram ipſam Congregationem Concilii ſinguli mittant.

Numerumque Familiæ, ſingulorumque Conventuum, Monaſteriorum, & Domorum hujuſmodi Regularium, Capituli, ſeu Congregationis Generalis, vel Provincialis ſententiâ, & auctoritate præfinitum, iidem Superiores, tàm Generales, & Provinciales omnes, quàm locales perpetuò ſervare omninò teneantur, nec poſſint illum quoquomodo augere, etiam prætextu augmenti redditūum, abſque Sacræ ipſius Congregationis licentia. Superiores autem huiuſmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præſtiterint, vel numerum, ut ſupra, præſcriptum quovis modo augere præſumpſerint, privationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebant, vociſque activæ, ac paſſivæ, & ad omnia ſuæ Religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipſo incurrere, atque aliis etiam gravioribus à Sede Apoſtolica infligendis pœnis Sacra Congregatio ſubiacere voluit, & declaravit.

Deinceps verò Monaſterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas Religioſorum, ſeu Regularium nullibi recipiatur, niſi, præter alia ad id requiſita, in ſingulis hujuſmodi Locis duodecim ſaltem Fratres, aut Monachi, ſeu Religioſi degere, & ex redditibus, ac conſuetis eleemoſynis, detractis omnibus, ut ſupra, detrahendis, competenter ſuſtentari valeant, ad præſcriptum Decreti fel. record. Gregorii XV. hac de re editi; alioquin Monaſteria, & Loca hujuſmodi poſt hac recipienda, in quibus duodecim Religioſi, ut ſupra, ſuſtentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitaverint, Ordinarii Loci viſitationi, correctioni, atque omnimodæ juriſdictioni ſubjecta eſſe intelligantur.

Porrò, ne ullo unquam tempore hæc in oblivionem, ſeu deſuetudinem abeant, Superiores locales cujuſque Monaſterii, Conventus,

tus, ac Domus Regularis curare, atque efficere teneantur ſub pœna privationis officii, vociſque activæ, & paſſivæ, ipſo facto incurrenda, ut in perpetuum ſexto quoque Menſe, ideſt Feriâ ſecundâ poſt primam Dominicam Adventus, & Feriâ ſextâ poſt Octavam Corporis Chriſti, præſentes Ordinationes in publica Menſa perlegantur.

Omnibus, tàm Eccleſiaſticis perſonis, cujuſcumque ſint Ordinis, conditionis, & gradus, quàm Laicis, quocumque honore, & poteſtate præditis, præſentia Decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdictâ.

Non obſtantibus, quoad ſupraſcripta omnia, & ſingula in præſentibus Decretis contenta, Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis in favorem quorumcumque perſonarum, atque Ordinum, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam S. Joannis Jeroſolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujuſlibet alterius Inſtituti, etiam neceſſariò, & in individuò exprimendi, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, Hoſpitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcumque, tàm Secularium, quàm Regularium Locorum, necnon illorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam Mari Magno, ſeu Bullâ aureâ, aut aliàs nuncupatis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus Decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, ſpecialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & formâ in illis traditâ obſervatâ, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habens, quibus quoad ea, quæ præſentibus adverſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, Sacra Congregatio Sanctitatis Suæ auctoritate ſpecialiter, & expreſsè derogat, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Et, ne præmiſſorum ignorantia à quoquam prætendi poſſit, voluit eadem Sacra Congregatio, ut præſentes ordinationes in valvis Baſilicarum S. Joannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Urbe,

Digitized by Google

Urbe, ac in acie Campi Floræ, ut moris eſt, affixæ, omnes, ad quos pertinet, ita arctent, & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent.

Utque earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ die 21. Junii 1625.

Coſmus Card. de Torres.

Proſper Fagnanus Sac. Congr. Secr.

EXcitatis autem ſuper præmiſſorum Decretorum intelligentia, ſeu interpretatione infraſcriptis dubiis, prodierunt à memorata Congregatione, ſimili auctoritate illi à præfato Urbano Papa VIII. ſpecialiter attributâ reſponſiones, ſeu declarationes inferiùs apponendæ.

Super primò Sac. Congregat. Decreto de Celebratione Miſſarum, quo prohibetur, ne Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquomodo reducant onera ulla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis.

Quæritur, quid, ſi legatum ſit ita tenue, ut non ſit, qui velit onus illi injunctum ſubire, & ſi recurrendum ſit ad Sedem Apoſtolicam pro moderatione oneris, totum, aut fere totum inſumendum ſit pro expenſis ad id neceſſariis?

Et quid, ſi permittatur Epiſcopo in fundatione, ut poſſit hujuſmodi onera moderari?

Secundò, ſuper ſecundo ejuſdem Congregationis Decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot Miſſæ, quot ad rationem tributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint.

Quæritur, an verba illa (PRÆSCRIPTÆ FUERINT) intelligenda ſint de præſcriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario.

Tertiò, an, cùm Ordinarius præſcripſerit eleemoſynam congruam, juxtà qualitatem loci, perſonarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes ſtipendium minus congruo, teneantur Miſſas illis ab offerente præſcriptas celebrare?

Quartò, an Sacerdotes, qui tenentur Miſsas celebrare ratione Beneficii, ſeu Capellæ, Legati, aut Salarii, poſſint etiam manualem eleemoſynam pro Miſſis Votivis, aut Defunctorum recipere, & unico Miſsæ Sacrificio utrique oneri ſatisfacere?

Quintò, poſito, quòd Teſtator relinquat, ut celebrentur pro ejus Anima centum Miſſæ, abſque ulla præſcriptione eleemoſynæ.

Quæritur, an liberum ſit hæredibus, eleemoſynam ſibi benè viſam præſcribere, an verò eadem eleemoſyna præſcribenda ſit ab Ordinario?

Sextò, ſuper tertio Congregationis Decreto, in quo eadem Congregatio revocat privilegia, quibus indulgetur, ut certarum Miſſarum, vel Anniverſariorum celebratione, aut aliquibus collectis, ſeu orationibus, plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.

Quæritur, an verba (IN FUTURUM SUSCIPIENDIS) intelligenda ſint de oneribus ſuſcipiendis poſt Privilegium?

Septimò, ſuper quartò ejuſdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui ſuſcepit Miſſam celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eamdem Miſſam alteri, parte ejuſdem eleemoſynæ ſibi retentâ, celebrandam committat.

Quæritur, an permittendum ſit adminiſtratoribus Eccleſiarum, ut retineant aliquam eleemoſynarum portionem pro expenſis manutentionis Eccleſiæ, Altarium, inſervientium, paramentorum, luminum, vini, hoſtiæ, & ſimilium?

Octavò, an hoc Decretum habeat locum in Beneficiis, quæ conferuntur in titulum, ideſt, an Rector Beneficii, qui poteſt per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare ſtipendium ad rationem redditaum Beneficii?

Nonò, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemoſyna major ſolitâ pro celebratione Miſſæ, debeant dare eamdem integram eleemoſynam iis, quibus Miſſas celebrandas committunt; an verò ſatis ſit, ut dent Celebrantibus eleemoſynam conſuetam?

Decimò, ſuper quintò ejuſdem Congregationis Decreto, quo inter cetera ſtatuitur in hæc verba: Eleemoſynas verò manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis, ita demum iidem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant; alioquin omninò abſtineant ab hujuſmodi eleemoſynis, etiam ſpontè oblatis, in futurum recipiendis, & capſulas auferant, &c.

Quæritur, an hoc Decretum prohibeat abſolutè, quo minùs accipiant novas eleemoſynas ii, qui acceptis non ſatisfecerunt; & quid, ſi congruo tempore poſſint omnibus ſatisfacere?

Undecimò, quid, ſi offerens eleemoſynas, audito impedimento, conſentiat, ut Sacedos Miſſas celebret, cùm primùm poterit?

Duo-

Duodecimò, an pœna interdicti, & aliæ appoſitæ in eodem Decreto afficiant tàm eos, qui accipiunt eleemoſynas contra formam ibi præſcriptam, quàm eos, qui non auferunt capſulas ab Eccleſiis, ut ibidem præcipitur?

Decimotertiò, an in hoc Decreto comprehendantur illæ capſulæ, quæ apponi ſolent in Eccleſiis in die Commemorationis Omnium Sanctorum, & vulgo dicuntur (CASSE DE' MORTI?)

Decimoquartò, an adminiſtratores Eccleſiæ magnæ devotionis, & concurſus poſſint eleemoſynas pro Miſſis celebrandis accipere, ſi iiſdem Miſſis, nonniſi poſt longum tempus, ſatisfacere valeant, ne aliàs cultus Eccleſiæ, & devotio, ac concurſus Fidelium, ut ajunt, minuantur?

Decimoquintò, quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa ſolis Capitulis, Collegiis, Societatibus, Congregationibus, necnon omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, & Piorum Locorum, tàm Secularium, quàm Regularium Superioribus, de quibus fit expreſſa mentio, non autem privatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur ſub clauſula generali, (& aliis, ad quos pertinet) ſupplicatur pro opportuna declaratione.

Decimoſextò, ſuper ſeptimò ejuſdem Sacræ Congregationis Decreto, quo cavetur, ut in ſingulis Monaſteriis Religioſorum præfigatur numerus, qui ex conſuetis redditibus, aut eleemoſynis commodè poſſit ſuſtentari.

Quæritur, an, ubi hæc præfixio facta jam fuit in vim ſimilis Decreti San. Mem. Pauli V. abſque tamen computatione reddituum cujuſque Religioſi, ſit denuò facienda, necne?

Decimoſextò; an Novitii ad Habitum Regularem admiſſi, poſſint admitti ad Profeſſionem in Monaſteriis, in quibus, habità, ut ſupra, præfixione numeri, commodè ali non poſſunt?

Decimoctavò, ſuper ultimò, quo cavetur, ut nullibi recipiantur Conventus Regularium, niſi, præter alia ad id requiſita, duodecim ſaltem Fratres in eis degere, & competenter ſuſtentari valeant, itaùt alioquin ſubſint juriſdictioni Ordinarij.

Quæritur, an hoc Decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Miſſarum, comprehendat eas Religiones, quæ non conſueverunt onera Miſſarum recipere, ut ſunt Religiones Capuccinorum, ac Societatis Jeſu?

Ultimò, an idem Decretum, ubi diſponit, ut nullibi recipiantur Monaſteria, niſi, &c. habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam eſt reſtrictum Decretum proximè antecedens, an verò etiam extra Italiam.

Decla-

Declarationes, ſeu reſponſiones ad ſupradicta Dubia.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate ſibi à Sanctiſſimo Domino Noſtro attributâ, ad ſingula Dubia ſuperiùs propoſita ad hunc modum reſpondit, videlicet.

Ad primum, etſi legatum ſit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut ſupra impoſiti ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apoſtolicam eſſe adeundam, quæ abſque ulla impenſa id ſtatuet, quod magis in Domino è re eſſe judicaverit. Veruntamen, ſi in ipſa Beneficii erectione expreſsè cautum fuerit, ut liceat Epiſcopo injunctum onus reducere, ac moderari, legem hanc fundationis, quàm Decreta hac de re edita non ſuſtulerunt, eſſe validam, & obſervandam.

Ad ſecundum, eſſe intelligenda de præſcriptione facta ab eo, qui eleemoſynam tribuit, non autem ab Ordinario: Quòd ſi tribuens eleemoſynam numerum Miſſarum celebrandarum non præſcripſerit, tunc tot Miſſas celebrari debere, quot præſcripſerit Ordinarius, ſecundùm morem Civitatis, vel Provinciæ.

Ad tertium, teneri.

Ad quartum, Sacerdotes, quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione Beneficii, ſeu Capellæ, Legati, aut Salarii, ſi eleemoſynas pro aliis etiam Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa utrique obligationi ſatisfacere.

Ad quintum, cenſuit, ubi nullam certam eleemoſynam Teſtator reliquit, eſſe ab Epiſcopo præſcribendam eleemoſynam congruam, quæ reſpondeat oneribus Miſſarum celebrandarum, ſecundùm morem Civitatis, vel Provinciæ.

Ad Sextum, ita eſſe intelligenda.

Ad ſeptimum reſpondit, permittendum non eſſe, ut Eccleſiæ, ac Loca Pia, ſeu illorum adminiſtratores, ex eleemoſynis Miſſarum celebrandarum ullam, utcumque minimam, portionem retineant, ratione expenſarum, quas ſubeunt in Miſſarum celebratione, niſi cùm Eccleſiæ, & Loca Pia alios non habent redditus, quos in uſum earumdem expenſarum erogare licitè poſſint, & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expenſarum, quæ pro ipſomet tantùm Miſſæ Sacrificio neceſſariò ſunt ſubeundæ, & nihilominus eo etiam caſu curandum eſse, ut ex pecuniis, quæ ſuperſunt, expenſis, ut ſupra, deductis, abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot præſcriptæ fuerint ab offerentibus eleemoſynas.

Ad octavum, non habere locum; ſed ſatis eſſe, ut Rector Beneficii, qui

qui poteſt Miſsam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemoſynam congruam, ſecundùm morem Civitatis, vel Provinciæ, niſi in fundatione ipſius Beneficii aliud cautum fuerit.

Ad nonum, debere abſolutè integram eleemoſynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem ſibi retinere poſse.

Ad decimum reſpondit, non prohibere abſolutè; ac propterea, & ſi oneribus jam ſuſceptis non ſatisfecerint, poſſe tamen nova etiam onera ſuſcipere Miſſarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus poſſint omnibus ſatisfacere.

Ad undecimum, quamvis onera ſuſcepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, ſi tamen tribuens eleemoſynam pro aliarum Miſſarum celebratione id ſciat, & conſentiat, ut illæ tunc demum celebrentur, cùm ſuſceptis oneribus ſatisfactum fuerit, Decretum non prohibere, quò minùs eo caſu eleemoſyna accipiatur pro iiſdem Miſſis, juxtà Benefactoris conſenſum celebrandis.

Ad duodecimum, has pœnas non habere locum, niſi in ſuſcepturis onera perpetua Miſſarum celebrandarum, ſine licentia Epiſcopi, vel ejus Generalis Vicarii, aut Generalis, vel Provincialis.

Ad decimumtertium, comprehendi.

Ad decimumquartum, non poſſe, niſi de conſenſu eorum, qui eleemoſynas tribuunt, ut ſupra, in reſponſione ad undecimum.

Ad decimumquintum, comprehendi etiam privatos Sacerdotes.

Ad decimumſextum, numeri præfixionem eſſe iterum faciendam, ſervatâ formâ ultimi Decreti hac de re editi.

Ad decimumſeptimum, eſſe admittendos ad profeſſionem, ſi aliàs habiles exiſtant, ac deinde in aliquo alio Monaſterio ejuſdem Religionis eſſe collocandos, ubi commodè ali poſſint.

Ad decimumoctavum, cenſuit comprehendere.

Ad ultimum, habere locum extra Italiam.

Coſmus Card. de Torres.

Proſper Fagnanus Sac. Congr. Secr.

CUm autem ſuper præmiſſis diverſi irrepſerint abuſus, illorumque occaſione quamplures querelæ, & recurſus ad Apoſtolicam Sedem pervenerint; cupiens eadem Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, hujuſmodi deteſtabiles abuſus è Chriſtiana Republica pro viribus evellere, ac opportunè providere, ut, ſublatis fraudibus, ac emendatâ negligentiâ, piæ diſponentium, ſeu Benefactorum voluntati fides illibata ſervetur, Defunctorum Animabus integra, & prompta præſtentur ſuffragia, itidemque

Deo

Deo Major Gloria, & Eccleſiis præſtantior cultus reddatur; prævià auctoritate per SS. D. N. Innocentium Divinâ Providentiâ PP. XII. ei ſpecialiter attributâ; infraſcripta Decreta, priùs in particulari nonnullorum ex præfatis Cardinalibus per Sanctitatem Suam deputata, & poſteà in generali hujuſmodi Cardinalium Congregatione maturè, & accuratè diſcuſſa, recognita, & examinata edidit.

In primis, præinſerta Decreta cum præmiſſis illorum declarationibus pleniſſimè, & ampliſſimè approbat, confirmat, & innovat, omniaque, & ſingula ibidem contenta, & expreſſa iterum omni meliori modo decernit, ſtatuit, ac ab omnibus, & ſingulis, etiam ſpeciali, & individuali notâ, ſeu expreſſione dignis, penitus obſervari, & omnimodæ executioni demandari decernit, ſancit, & præcipit.

Inſuper, ut in re tanti momenti conſultiùs, ac majori, ut par eſt, circumſpectione procedatur; ſi qui forſan fuerint, vel ſint, qui ſuis pravis, & erroneis intentionibus, ſeu opinionibus blandiri volentes, Miſſarum celebrationem omittunt, ſub malitioſa, vel irrationabili ſpe earumdem condonationem, vel reductionem à Sede Apoſtolica, vel compoſitionem à Reverenda Fabrica S. Petri de Urbe obtinendi, Congregatio præfata, tùm eoſdem, tùm quoſcumque alios, qui poſthac in adeo deteſtabiles abuſus auſi fuerint offendere, certiores fieri, & monitos eſſe voluit, præfatas condonationes, & reductiones ab eadem Sede, nonniſi ex rationabili cauſſa, ſeu æqua commiſeratione; compoſitiones verò à dicta Fabrica, utente ſuis facultatibus, & privilegiis, nonniſi ex cauſſa pariter rationabili, & cum clauſulis opportunis, præſertim cùm illa, (dummodo malitioſè non omiſerint animo habendi compoſitionem, aliàs gratia nullo modo ſuffragetur) admitti conſueviſſe, & ſolere; quapropter, ut locus omnis in poſterum hiſce prætextibus præcludatur, memorata Congregatio tales intentiones, opiniones, ſeu ſpes, ac eleemoſynarum, ſive in toto, ſive in parte verſiones in alium, quàm præfatarum Miſſarum uſum, ſeu ſatisfactionem, & quaſcumque alias directas, vel indirectas, immediatas, vel mediatas contraventiones, ſeu circumventiones declarat prorſus irrationabiles, injuſtas, & illicitas, illaſque omninò reprobat, damnat, & interdicit.

Cùmque hujuſmodi abſurda ex eo plerumque proveniant, quòd onera Miſſarum ſupra vires ſuſcipiantur; caveant omnes, & ſinguli Rectores, Superiores, & Miniſtri quarumcumque, tùm Secularium, tùm Regularium Eccleſiarum, ſeu illarum Capitula, ne onera, ſeu Miſsas, tùm perpetuas, tùm temporales, tùm etiam manuales, quarum ſatisfactioni impares fuerint, quoquomodo ſuſcipiant;

utque

Digitized by Google

utque id ipſum, quoad fieri poterit, pateat, teneantur iidem conficere, ſemperque in loco magis patenti, & obvio retinere tabellam onerum perpetuorum, & temporalium, literis perſpicuis, & intelligibilibus deſcriptorum, quorum implemento, ſi moraliter, & intra præſcriptum, ſeu breve tempus ſatisfacere non poſſe, ſeu illa dumtaxat, & non ulteriora adimplere poſſe crediderint, ſeu credere debuerint, alias Miſſas, ſive perpetuas, ſive temporales, ſive manuales, per ſe, vel per interpoſitas perſonas quoquomodo recipere, ſeu acceptare omninò deſiſtant, ſeu abſtineant; & ulteriùs tali caſu in eadem tabella ſimiliter exprimant, ſeſe propterea aliis Miſſis acceptandis, & celebrandis impares eſſe.

Iidemque teneantur pariter in Sacrario duos Libros retinere, ac in eorum altero ſingula onera perpetua, & temporalia, in altero autem Miſſas manuales, & tàm illorum, quàm iſtarum adimplementum, & eleemoſynas diſtinctè, & diligenter annotare, & annotandas, ſeu annotanda curare, ſingulisque annis de ſupradictis adimplementis, eleemoſynis, & oneribus pariter exactam rationem ſuis Superioribus reddere, ac omnes, & ſingulas rationes hujuſmodi in præfatis reſpectivè Libris, ſimili diſtinctione, & diligentiâ, tàm præfati, à quibus rationes debent reddi, quàm Superiores, quibus reddendæ erunt, deſcribere, ſeu annotare, ſive deſcribendas, vel annotandas reſpectivè curare.

Quibus ſemper ſalvis, debeant ulteriùs Regulares prædicti, omnes, & quaſcumque eleemoſynas, tùm manualium, tùm perpetuarum, & temporalium Miſſarum reponere in capſa particulari, ſub duabus clavibus, quarum una penès Superiorem localem, altera verò penès alium à Capitulo Conventuali deputandum retineatur, ac de iiſdem eleemoſynis, & celebratione Miſſarum, coram Patribus diſcretis, ſeu conſiliariis, vel alio ſimili modo nuncupatis, ſingulis Menſibus diſtrictam rationem exigere, & reſpectivè reddere.

Quòd ſi prædicti, ad quos cura tabellæ, capſæ, & Librorum præfatorum reſpectivè pertinet, ſeu pertinere debet, ſuam operam præmiſſis, ut præfertur, minimè navaverint, & Superiores, tùm Secularium, tùm Regularium Eccleſiarum rationem prædictam non exegerint, ſeu non invigilaverint, quòd præfati, qui in curam tabellarum, & librorum incumbunt, ſuo muneri, ut præfertur, ſatisfaciant, in ſingulis reſpectivè caſibus Seculares pœnam ſuſpenſionis incurrant, Regulares verò voce activâ, & paſſivâ, ac gradibus, & officiis, quæ obtinent, ipſo facto, & abſque alia declaratione privati ſint, & intelligantur, necnon ad hujuſmodi gradus,

 & of-

& officia obtinenda ſimiliter inhabilitentur, & inhabilitati ſint, & intelligantur.

Porrò, ne ullo unquam tempore omnia, & ſingula Decreta prædicta in oblivionem, ſeu deſuetudinem abeant; Rectores, Superiores, ſeu Capitula Eccleſiarum Secularium illa retineant publicè expoſita in eorum Sacrario; Superiores verò Locales cujuſcumque Monaſterii, Conventus, ac Domus Regularis curare, & efficere teneantur, ſub pœna privationis officiorum, quæ obtinent, vociſque activæ, & paſſivæ, ipſo facto incurrenda, ut in perpetuum ſexto quoque Menſe, ideſt Feriâ ſecundâ poſt primam Dominicam Adventus, & Feriâ ſextâ poſt Octavam Corporis Chriſti, omnes, & ſingulæ præmiſsæ, tùm inſertæ, ſeù confirmatæ, tùm in præſens factæ ordinationes, unà cum dictis declarationibus in publica menſa perlegantur.

Meminerint igitur, & ſatagant Ordinarii, ut à perſonis, & in Eccleſiis quoquomodo, etiam in vim Decretorum Concilii Tridentini ſibi ſubiectis, Miſsæ eâ, quà par eſt, fide, & diligentiâ celebrentur, & cuncta, & ſingula Decreta hujuſmodi omnimodæ executioni demandentur, nedùm juſtitiam recurrentibus, ſeù inſtantibus reddentes, ſed ex officio, tùm in viſitationibus, tùm in alijs actibus, & modis, quos expedire, & convenire toties quoties judicaverint, inquirentes, ne aliud committatur, pervertatur, differatur, vel omittatur, quod his omnibus, & ſingulis Decretis adverſetur.

Caveant etiam reſpectivè omnes Regulares, tùm ſubditi, tùm Superiores quicumque, nedùm Locales, ſed etiam Provinciales, & Generales; ne Miſsarum celebratio, & omnium Decretorum præmiſsórum executio, cum pernicie propriarum animarum, cum præjudicio illarum, quibus Miſſæ ſunt applicandæ, & cum magno Chriſtifidelium ſcandalo quoquomodo omittantur, differantur, negligantur, ſeu pervertantur; alioquin, ultra propriæ conſcientiæ onerationem, pœnam privationis vocis activæ, & paſſivæ, ac graduum, & officiorum, quæ obtinent, necnon inhabilitationis ad hujuſmodi gradus, & officia obtinenda protſus incurrant.

Curent propterea præfati Superiores Regulares, in omnes, & ſingulos contravenientes debitis pœnis diligenter, & promptè, etiam per Inquiſitionem, animadvertere; & inſuper teneantur omnes, & ſinguli Superiores Locales in Provincialibus Capitulis, ſeu Congregationibus exhibere Atteſtationem, ſeu Fidem ab omnibus Sacerdotibus Conventus, Monaſterii, ſeu cujuſcumque Domus Regularis ſubſcriptam, & juratam, quòd omnibus, & ſingulis, tùm perpetuis, tùm

tùm manualibus Miſſarum oneribus, ſeu obligationibus ad limites, & tenorem præſentium Decretorum, tempore eorum regiminis fuerit omninò, & integraliter ſatisfactum, vel deficiente aliquâ modicâ ſatisfactione, poſſit etiam hujuſmodi reſiduali implemento Miſſarum diſtinctè referendarum intra breve tempus moraliter ſatisfieri, eâ adiectâ, & omninò adimplendâ conditione, quod ante præfatæ Atteſtationis exhibitionem, quicumque Superiores Locales prædicti vocem activam, ſeu paſſivam in memoratis Capitulis, ſeu Congregationibus omninò habere non valeant.

Præterea Provinciales, Vicarii, & Viſitatores Provinciarum, ſeu Congregationum debebunt in fine eorum regiminis, Superioribus Generalibus in forma probante oſtendere, quòd executioni præſentium Decretorum ſedulò invigilaverint, & ad eorum tenorem, in omnibus, & ſingulis Conventibus, ſeu Monaſteriis, vel Domibus Regularibus Provinciæ, ſeu Congregationis, de omnibus, & ſingulis oneribus, & obligationibus, ac inſimul ſatisfactionibus Miſſarum exactam, & diligentem rationem exegerint, ac contra delinquentes ad declarationem, & executionem reſpectivè pœnarum in Decretis contentarum proceſſerint, & de adimplemento circa ea, quæ in præmiſſis ad ipſos ſpectant, legitimè docuerint, aliàs ad vocem activam, & paſſivam in Capitulis Generalibus nullatenus admittantur.

Ceterum, quia etiam ad quamplures Archiconfraternitates, Confraternitates, Societates, Congregationes, Hoſpitalia, Altaria, Capellas, Oratoria, & Eccleſias, ac alia Loca, & Opera Pia quomodolibet nuncupata, quæ cuicumque curæ, ſeu regimini, aut adminiſtrationi, vel directioni Laicorum, cujuslibet gradus, ſtatus, conditionis, & præeminentiæ, etiam ſpeciali, & individuali notâ dignorum dumtaxat, vel quorumcumque Eccleſiaſticorum, & Laicorum hujuſmodi mixtim commendata, annexa, ſeu quomodocumque commiſſa, vel attributa ſunt, onus, ſeu cura celebrationis Miſſarum, ſive manualium, ſive ad tempus, vel in perpetuum pertinet; hinc ſalvis ſemper iis, quæ in præinſertis Decretis continentur, omnes, & quicumque hujuſmodi Archiconfraternitatum, Societatum, Congregationum, Hoſpitalium, Altarium, Capellarum, Oratoriorum, & Eccleſiarum, ac aliorum Locorum, & Operum Piorum Rectores, ſeu Adminiſtratores, vel Directores, & alii hujuſmodi Officiales, necnon ii, ad quos cura tabellæ, & librorum in præmiſſis ſpectat, tabellam, libros, & hæc Decreta reſpectivè, juxtà modos ſuperiùs expreſſos, ſimiliter retinere, necnon de oneribus, ac celebrationibus, & eleemoſynis dictarum Miſſarum ſingulis annis

rationem exigere, & reſpectivè iis, ad quos pertinet, reddere, ſub pœnis arbitrio, & in ſubſidium excommunicationis teneantur.

Poſtremò omnibus, & quibuſcumque, tàm Eccleſiaſticis perſonis, cujuſcumque Ordinis, ſtatus, gradus, Regulæ, Congregationis, Societatis, conditionis, & dignitatis exiſtant, quàm Laicis, quocumque honore, ac poteſtate præditis, omnia, & ſingula præmiſſa Decreta interpretandi; necnon Eccleſiaſticis prædictis pœnas in hujuſmodi Decretis relaxandi, ſeu quoquomodo circa præmiſſa diſpenſandi, omnis, & quæcumque facultas ſit penitus interdicta.

Non obſtantibus, quoad ſupradicta omnia, & ſingula in huiuſmodi Decretis contenta, Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis in favorem quarumcumque perſonarum, atque Ordinum, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium; Militiarum, etiam S. Joannis Jeroſolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujuſlibet alterius Inſtituti, etiam neceſſariò, & individuò exprimendi, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, Hoſpitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcumque, tàm Secularium, quàm Regularium Locorum, necnon illorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis Statutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam Mari Magno, ſeu Bullâ aureâ, aut aliàs nuncupatis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus Decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, ſpecialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & formâ in illis traditâ obſervatâ, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habens, quibus, quoad ea, quæ præſentibus adverſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, Sacra Congregatio Sanctitatis Suæ auctoritate ſpecialiter, & expreſsè derogat, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ die 23. Novembris 1697.

Joſeph Card. Sacripantes Præfectus.

Ferdinandus Nuptius Sac. Congr. Secr.

QUocirca, cùm dilectus Filius Noſter Joſeph Tituli S. Mariæ Tranſpontinæ, S. R. E. Presbyter Cardinalis Sacripantes, memoratæ Congregationis Præfectus, præfata Decreta Nobis retulerit, Nos, conſiderantes eadem omnia, & ſingula Decreta, eâ, quâ decet, maturitate digeſta, & examinata, ac in vim Apoſtolicæ auctoritatis, eidem Congregationi ſpecialiter, ut præfertur, attributæ, peracta, perutilia fore cenſentes, illaque propterea perpetuò, & inviolabiliter obſervari, necnon Conſtitutionis Noſtræ munimine roborare volentes, motu proprio, non ad cujuſquam Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, & matura deliberatione, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, præinſerta Decreta, omniaque, & ſingula in eis contenta tenore præſentium, auctoritate Apoſtolicâ confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis, & irrefragabilis Apoſtolicæ firmitatis robur, & efficaciam adiicimus; quinimò motu, ſcientiâ, deliberatione, ac poteſtatis plenitudine ſimilibus, omnia, & ſingula in ſupradictis Decretis contenta de novo ſtatuimus, decernimus, & ordinamus, ac ab omnibus, & quibuſcumque, etiam ſpeciali, & individuâ notâ dignis, omninò exactè, & perpetuò ſervari volumus, ſancimus, & mandamus.

Decernentes præſentes literas, cum omnibus, & ſingulis inibi contentis, ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque, & quomodocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè, & inviolabiliter obſervari, ſicque, & non aliter per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos quâvis auctoritate, præeminentiâ, aut poteſtate fungentes, & functuros, etiam cauſſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apoſtolicæ Nuncios, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quâvis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus omnibus, & ſingulis, quæ præfata Congregatio, auctoritate per ejuſdem record. Urbanum Papam VIII. & reſpectivè per Nos illi ſpecialiter attributâ, decrevit non obſtare, quæ pariter, & iterum Nos tenore præſentium non obſtare decernimus, & mandamus, quibus, omnibus quoàd ea, quæ præſentibus adverſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, etiam harum ſerie pleniſſimè, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Vo-

Volumus autem, ut præſentes literæ in valvis Eccleſiæ Lateranenſis, ac Baſilicæ Principis Apoſtolorum, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque generalis in Monte Citatorio, ac in acie Campi Floræ de Urbe, ut moris eſt, publicentur, & affigantur, ſicque publicatæ, & affixæ, omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt, perindè ita arctent, & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent.

Pariterque, ut earumdem præſentium tranſumptis, impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omninò hominum liceat paginam hanc Noſtram confirmationis, approbationis, Statuti, Decretorum, Ordinationis, Voluntatis, Sanctionis, mandatorum, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſeptimo. Decimo Kalen. Januarii, Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

B. Card. Prodatar. I. F. Card. Albanus.

Viſa de Curia I. Ciampinus.

I. Catallus.

Declaratio Sac. Congr. ſuper Eleemoſyna Miſſarum.

CUm Auctores nonnulli ſcriptis ſuis typis editis aſſeruerint, Sacerdoti pro alio Miſſam receptâ Eleemoſynâ celebranti, licitum eſſe aliam Eleemoſynam accipere ab altero, cui partem illam fructus, ſeu valoris ejuſdem Sacrificii ipſimet Celebranti debitam (ſpecialem nuncupatam) applicet, ac proindè hunc caſum ſub Decreto Sac. Congregationis Concilii prohibente duplex pro unica Miſſa ſtipendium, ſeu Eleemoſynam recipi, non eſſe comprehenſum.

Propterea Sac. Congr. &c. ſub die 25. Januarii 1659. cenſuit, nulli Sacerdoti licitum eſſe præfatâ ratione, ſive prætextu aliam Eleemoſynam accipere, præter illam, quam accipit ab eo, pro quo Miſſam offerre tenetur. Ac proindè caſum hunc eſſe comprehenſum in Decretis, aliàs per eamdem Sac. Congr. Concilii editis, quibus prohibetur, ne duplex ſtipendium pro unica Miſſa recipiatur.

Alia

Alia Declaratio Sac. Congr. ſuper taxa Eleemoſynæ.

QUæſitum fuit die 16. Julii 1689. in Cauſſa S. Severini; An Epiſcopus ſtatuere poſſit Eleemoſynam manualem unius integri julii pro qualibet Miſſa, imponendo pœnam Celebrantibus pro minori quantitate. Sac. Cong. Concil. reſpondit affirmativè quoàd taxationem Elemoſynæ, & in reliquis negativè.

Decretum Sac. Congr. Concilij de diebus licitæ vacationis à celebratione Miſſæ.

MOdernus Epiſcopus Collenſis, Diœceſim viſitando comperit, non ſine maximo conſcientiarum periculo, plures irrepſiſſe abuſus in adimplendo mentem eorum, qui Miſſas celebrari mandarunt. Ad eos ergo tollendos diſcutiendum, atque reſolvendum videtur.

1. An Sacerdotes obligati ratione Beneficii, Capellaniæ, legati, aut ſtipendii celebrare quotidiè Miſſam per ſeipſos, poſſint aliquando à celebratione vacare; & quatenus affirmativè.

2. Quando, & quoties à dicta celebratione vacare poſſint?

3. An diebus licitæ vacationis, poſſint Miſſam pro ſeipſis, vel aliis, præterquam pro Fundatoribus, celebrare? Et quatenus affirmativè.

4. An pro aliis celebrando, poſſint ſtipendium pro hujuſmodi celebratione percipere?

5. An illis diebus, quibus licitè vacant à celebratione, teneantur Miſſam ab aliis celebrari facere, juxtà intentionem Fundatorum?

6. An Sacerdotes, ut ſupra, obligati celebrare Miſſam quotidiè, abſque tamen onere celebrandi per ſeipſos, poſſint aliquando à celebratione vacare?

Die 18. Septembris 1683. S. Congregatio Eminentiſſimorum S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, ad primum, & ſecundum reſpondit affirmativè, concurrente aliquâ rationabili cauſsâ.

Ad 3. & 4. & 6. negativè. Ad 5. diſtulit reſolutionem.

Ita reperitur in Regeſt. autographo Decretorum ejuſdem Sac. Congregat. Lib. 33. fol. 311. In fidem, &c. Hac die 30. Maii 1699.

F. Nuptius S. Cong. Conc. Secretarius.

Decretum Sac. Rituum Congreg. ſuper tribus Miſſis, ac Communione in Nocte Nativitatis Domini.

CUm ſuperioribus diebus conſultâ hâc Sacrâ Rituum Congregatione; An eſſet permittendum celebrari in media nocte Nativitatis

vitatis Domini poſt Miſſam decantatam ſucceſſivè alias duas Miſſas, & in eis Sac. Communionem exhibere Fidelibus illam depoſcentibus, & reſpond. non eſſe permittendum, ſed omnibus utrumque prohibendum. Nihilominus nonnulli Regulares aſſerentes hoc licere, ſupplicarunt audiri, & Sacr. Congregatio ipſis auditis, cum Procuratoribus, & Advocatis, ad relationem Eminentiſſimi Pallotti ſtetit in Decretis, & reſpondit: Iterum prohibendum, tàm Sacerdotibus celebrare volentibus, quàm confluentibus in media nocte ad Eccleſiam, & Communionem depoſcentibus. Die 7. Decembris 1641.

Quæ etiam iterum prohibita fuerunt ab eadem Sac. Congr. denuo conſulta à Patribus S. Caroli Congr. Clericor. Regul. die 20. April. 1664.

Conſtit. 176. *Alex. VII. de non celebrandis Miſſis de Requ. in duplic., exceptis Anniverſariis ex diſpoſitione Teſtatorum relictis.*

CReditæ Nobis cœlitus diſpenſationis officium ſalubriter exequi, adiuvante Domino, jugiter ſatagentes, quamplurima dubia in diverſis Mundi partibus orta, & in Congregatione Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum deducta, occaſione Decreti ejuſdem Congregationis die 5. Auguſti 1662. editi, ac à Nobis approbati, de non celebrandis Miſſis de Requiem in duplicibus, tollere, atque dirimere cupientes.

§. 1. De memoratorum Cardinalium conſilio, auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium approbamus in primis aliud Decretum prædictæ Congregationis, editum in una Novarien. die 22. Novembris 1664. quo declaratum fuit, Anniverſaria, & Miſſas cantatas de Requiem relictas ex diſpoſitione Teſtatorum, quotannis in die ipſorum obitus, etiam in duplici majori contingentis, non comprehendi in dicto Decreto.

§. 2. Ulteriùs, quoad Altaria perpetuò privilegiata, & in quibus proinde quotidie, etiam in duplicibus, celebrandæ ſint Miſſæ de Requiem ex obligatione, auctoritate, & tenore prædictis declaramus, per celebrationem Miſſarum de Feſto currenti ſatisfieri dictis obligationibus, & ſuffragari cum eiſdem Indulgentiis, perinde ac ſi eſſent celebratæ Miſſæ de Requiem ad formam privilegiorum: ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis auctoritate ſupradictæ Congregationis.

§. 3. Decernentes eaſdem præſentes literas, &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 22. Januarii 1667. Pontificatus Noſtri Anno duodecimo.

Con-

Conſtitutio 39. Clementis IX. Extenſio declarationis ab Alexan. VII. circa Altaria privilegiata perpetua edita ad Altaria ejuſmodi privilegio temporaneo, nec omnibus hebdomadæ diebus decorata.

CUm felic. rec. Alexander Papa VII. Prædeceſſor Noſter dubia in diverſis Mundi partibus, occaſione Decreti Congregationis tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum die 5. Auguſti 1662. emanati, & ab ipſo Alexandro Prædeceſſore approbati, de non celebrandis Miſſis Defunctorum in Feſtis ritus duplicis, exorta dirimere cupiens, aliud eiuſdem Congregationis Decretum in una Novarienſi die 22. Novembris 1664. editum approbaverit, quo declaratum fuerat, Anniverſaria, & Miſſas Defunctorum, cantu ex diſpoſitione Teſtatorum quotannis recurrente ipſorum obitus die celebrandas, tametſi dies obitus hujuſmodi in Feſtum ritus duplicis majoris incideret, non comprehendi in primo dicto Decreto.

§. 1. Ac ulteriùs quoad Altaria privilegio Apoſtolico pro Animabus Fidelium Defunctorum in perpetuum decorata, & in quibus proinde quotidie, etiam in Feſtis ritus duplicis, celebrandæ eſſent Miſſæ Defunctorum ex obligatione, declaraverit per celebrationem Miſſarum de Feſto currenti ſatisfieri injunctis obligationibus, & Indulgentias per ejuſmodi privilegia Apoſtolica conceſſas, Animabus Fidelium Defunctorum in Purgatorio exiſtentibus ſuffragari, perinde ac ſi celebratæ fuiſſent Miſſæ Defunctorum, ad formam dictorum privilegiorum, & aliàs, proùt in ejuſdem Alexandri Prædeceſſoris literis, deſuper in ſimili forma Brevis die 22. Januarii 1667. expeditis, quarum tenorem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſo, & inſerto haberi volumus, uberiùs continetur.

§. 2. Cumque, (ſicut ad aures Noſtras pervenit) etiam dubitetur, utrum dictarum literarum diſpoſitio, quoad Altaria pariter quidem privilegiata, ſed non in perpetuum, nec pro omnibus hebdomadæ diebus, & ad quæ Miſſæ, non ex obligatione, ſed ex ſola Fidelium devotione celebrantur, locum habeat.

§. 3. Hinc eſt, quod Nos, dubitationes hujuſmodi ex injunctæ Nobis cœlitus Paſtoralis ſolicitudinis munere dirimere pariter, atque decidere cupientes, de Venerabilium Fratrum Noſtrorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum, qui rem maturè perpenderunt, conſilio, declarationem à memorato Alexandro Prædeceſſore, ſicut præmittitur, editam, ad Altaria, ut præfertur, non in perpetuum, ſed ad ſeptennium, ſeu aliud brevius, vel longius tempus, ac non in omnibus, ſed aliquo, vel aliquibus tantùm

hebdomadæ diebus, nunc, & in futurum quandocumque privilegiata, auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium extendimus. Et proindè, ut Miſſæ, quæ ibidem de Feſto currenti, in quo Miſſæ Defunctorum celebrari non poſſint, ſive ex obligatione, ſive ex ſola Fidelium devotione celebrabuntur, ſuffragentur, itaùt Animæ Chriſtifidelium, pro quibus celebratæ fuerint, Indulgentias per privilegia hujuſmodi conceſſas conſequantur in omnibus; & per omnia, perinde ac ſi Miſſæ Defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebratæ fuiſſent, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus.

§. 4. Decernentes pariter eaſdem præſentes literas, &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 23. Septemb. 1667. Pontificatus Noſtri Anno tertio.

Conſtitutio Innocentii PP. XI. qua confirmantur, & declarantur prædictæ Conſtitutiones.

ALiàs poſtquam fel. rec. Alexander PP. VII. Prædeceſſor Noſter, per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis die 22. Januarii 1667. expeditas literas, dubia in diverſis Mundi partibus, occaſione Decreti Congregationis tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum die 5. Auguſti 1672. emanati, & ab ipſo Alexandro Prædeceſſore approbati, de non celebrandis Miſſis Defunctorum in Feſtis ritus duplicis, exorta dirimere cupiens, inter cetera, quoad Altaria Privilegio Apoſtolico pro Animabus Fidelium Defunctorum in perpetuum decorata, & in quibus proinde quotidie, etiam in Feſtis ritus duplicis, celebrandæ fuiſſent Miſſæ Defunctorum ex obligatione, declaraverat per celebrationem Miſſarum de Feſto currenti ſatisfieri injunctis obligationibus, & Indulgentias, per ejuſmodi Privilegia Apoſtolica conceſſas, Animabus Fidelium Defunctorum in Purgatorio exiſtentibus ſuffragari, perinde ac ſi celebratæ fuiſſent Miſſæ Defunctorum, ad formam dictorum privilegiorum: rec. mem. Clemens Papa IX. pariter Prædeceſſor Noſter aliam ſubinde ortam dubitationem, utrum ſcilicet dictarum Alexandri Prædeceſſoris literarum diſpoſitio, quoad Altaria pariter quidem privilegiata, ſed non in perpetuum, nec pro omnibus hebdomadæ diebus, & ad quæ Miſſæ, non ex obligatione, ſed ex ſola Fidelium devotione celebrarentur, locum haberet, ſimiliter tollere deſiderans, declarationem à memorato Alexandro Prædeceſſore, ſicut præmittitur, editam, ad Altaria, ut præfertur, non in perpetuum, ſed ad ſeptennium, ſeu aliud brevius, vel longius tempus, ac non in omni-

omnibus, ſed aliquo, vel aliquibus tantùm hebdomadæ diebus, tunc, & in futurum quandocumque privilegiata, auctoritate Apoſtolicâ extendit, & proindè, ut Miſſæ, quæ ibidem de Feſto currenti, in quo Miſſæ Defunctorum celebrari non poſſent, ſive ex obligatione, ſive ex ſola Fidelium devotione celebrandæ eſſent, ſuffragarentur, itaùt Animæ Chriſidelium, pro quibus celebrarentur, Indulgentias per privilegia hujuſmodi conceſſas conſequerentur in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi Miſſæ Defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebratæ fuiſſent, eâdem auctoritate conceſſit, & indulſit, & aliàs, prout in ipſius Clementis Prædeceſſoris literis, etiam in forma Brevis die 23. Septembris 1669. deſuper expeditis, quarum, & præfatarum Alexandri Prædeceſſoris literarum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis haberi volumus, uberiùs continetur. Cùm autem poſtmodum, ſicut accepimus, novum circa præmiſſa excitatum fuerit dubium, videlicet, an ſupradictæ Alexandri, & Clementis Prædeceſſorum declarationes ſibi pariter locum vindicarent, etiam in diebus Dominicis, & infra Octavas Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti, aliiſque anni diebus, quibus, licèt à Feſto duplici non impediantur, adhuc tamen Miſſæ Defunctorum, juxtà ritum, & morem Eccleſiæ celebrari nequeunt, quatenus nimirum Miſſæ, quas iiſdem diebus celebrare licet, ſervatâ ceteroquin dictorum privilegiorum formâ, ad præfata Altaria privilegiata celebrarentur. Noſque dubium hujuſmodi Congregationi Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccl. Card. Sac. Ritibus Præpoſitorum examinandum commiſerimus, ac ead. Card. Congr. re maturè diſcuſsà, nuper per ſuum Decretum die 3. Aprilis proximè præteriti editum, præfatas Alexandri, & Clementis Prædeceſſorum declarationes intelligendas eſſe pro omnibus diebus, quibus juxtà Rubricas, Miſſæ Defunctorum celebrari non poſſunt, reſponderit. Hinc eſt, quòd Nos, ex commiſſæ Nobis cœlitus diſpenſationis munere, Fidelium Defunctorum Animarum in Purgatorio exiſtentium ſuffragiis peramplius conſulere cupientes, Decretum hujuſmodi à memorata Card. Congr. editum, ut præfertur, Apoſtolicâ auctoritate tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus, ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis auctoritate ſuprad. Congr. Card. Decernentes, &c.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die quartâ Maii, Milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo octavo, Pontificatus Noſtri Anno duodecimo.

Lettera Circolare di Monſig. Girolamo Mattei Arciveſcovo di Nicomedia, e Nunzio in Toſcana, in cui s' ordina d' invigilare circa i Sacerdoti Foreſtieri.

Illuſtriſs. e Reverendiſs. Sig. mio Sig. Oſſervandiſs.

non autem in deſtructionem cedat: ne alioquin, Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtrorum coarctatâ poteſtate, Sanctæ Matris Eccleſiæ piæ menti contrarius effectus ſubſequatur. Prohibet etiam, ne ſibi ſuperfluè reſervent Caſus in Bulla die Cœnæ Domini legi conſueta contentos, neque alios Sedi Apoſtolicæ ſpecialiter reſervatos. Facultatem verò, & licentiam abſolvendi à Caſibus reſervatis, quam in ſcriptis tantùm concedi permittebatur, etiam ſolà vivâ voce concedi poſſe declarat. Ceterum, ne quis Sacerdotum Secularium, aut Regularium, ſub prætextu, quòd per primum dictum Decretum non fuerit ſufficienter eorum ſpecialibus privilegiis derogatum, eidem Decreto ſic, ut præfertur, declarato contravenire audeat, Sanctitas Sua Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis omnibus, in favorem quorumcumque Ordinum, ſeu Inſtitutorum Regularium, aut Sacerdotum, tàm Secularium, quàm Regularium editis, necnon eorumdem Ordinum, ſeu Inſtitutorum, ac etiam Eccleſiarum, & Monaſteriorum, & aliorum Secularium, ſeu Regularium Locorum quorumcumque etiam juramento, confirmatione Apoſtolicà, vel quavis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam Mari magno, ſeu Bulla Aureâ, aut aliàs nuncupatis, eiſdem Ordinibus, ſeu Inſtitutis, ac etiam Eccleſiis, & Monaſteriis, & Secularibus, ſeu Regularibus Locis, aut perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis Decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeù extenſionis conceſſis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut alia exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis traditâ obſervatâ, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habens, quoàd ea, quæ præſentibus adverſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogat, contrariis quibuſcumque non obſtantibus. Romæ die 26. Novembris 1602.

Alexander Card. Floren. Epiſc. Præneſtinus.

Hier. Agucchius Secr.

Aliud

Aliud Decretum ſuper eadem materia.

QUoniam Sacra Congregatio Cardinalium negociis Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum nuper accepit quamplures Regulares tantum facultatis, ſeu privilegii ab Apoſtolica Sede ſibi conceſſum profiteri, ut etiam à Caſibus Locorum Ordinariis in eorum Diœceſibus reſervatis, abſque alia ipſorum Ordinariorum licentia, Pœnitentes abſolvere minimè dubitent, nonnulloſque alios in Decreto prohibitionis abſolutionis à Caſibus Sedi Apoſtolicæ, vel Locorum Ordinariis reſervatis, die 9. Januarii Anno milleſimo ſexcenteſimo primo fel. record. Clementis Papæ VIII. juſſu edito, necnon in declaratione illius, eodem Clemente Pontifice jubente, die 26. Novembris 1602. promulgata, Excommunicationes Sedi, vel Ordinariis prædictis reſervatas minimè comprehenſas aſſerere; undè fit, ut metus, quo homines à peccando coërcentur, abſolutionis facilitate exoleſcat. Ideo Sacra eadem Congregatio, de Sanctiſſimi Domini Noſtri Pauli Papæ V. ſpeciali mandato, vivæ vocis oraculo deſuper habito, Decretum hujuſmodi, illiuſque declarationem, necnon cenſuras, & pœnas in eis contentas, omnia confirmanda, atque innovanda operæpretium duxit, proùt per præſentes confirmat, atque innovat, ab omnibuſque Sacerdotibus, tàm Secularibus, quàm Regularibus quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, Militiarum, Congregationum, aut cujuſvis alterius Inſtituti, etiam neceſſariò exprimendi, quovis nomine nuncupetur, inviolabiliter obſervari voluit; ac inſuper, ut nulli ex Sacerdotibus prædictis, quibuſcumque privilegiis, indultis, & facultatibus ſuffulti, ab Excommunicationibus, vel à Caſibus eiſdem Ordinariis, vel Sedi Apoſtolicæ reſervatis, tàm ad forum contentioſum eorumdem Ordinariorum deductis, quàm non deductis, præterquam in mortis articulo, abſolvere audeant, vel præſumant, vel eorum aliquis audeat, vel præſumat ſub eiſdem cenſuris, & pœnis, eo ipſo, & abſque alia declaratione incurrendis, mandat, ac præcipit. Non obſtantibus omnibus, quæ idem Clemens VIII. in Decreto, & declaratione huiuſmodi voluit non obſtare. Datum Romæ 7. Januarii Anni 1617.

Aliud Decretum ſuper eadem materia.

SAcra Congregatio S. R. E. Cardinalium negociis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita cenſuit per confirmationes privilegiorum, quas Regulares à Sede Apoſtolica poſt Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixiſſe privilegia

per prius ab eodem Concilio, ac deindè etiam ipſius Congregationis Decretis ſublata, atque extincta, ſi quæ habebant, abſolvendi à Caſibus Ordinario Loci reſervatis; quemadmodum neque induta abſolvendi à Caſibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi conſuevit, utpotè ſublata per annuam ipſius Bullæ publicationem, vires, aut robur acquiſiviſſe ex ſubſequentibus privilegiorum confirmationibus, ac proindè Regulares cujuſvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Inſtituti, etiam neceſſariò exprimendi, nec intra, nec extra Italiam, in vim privilegiorum, aut confirmationum ejuſmodi, quas, vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps forte obtinebunt, poſſe quemquam abſolvere ab eiſdem Caſibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinario Loci reſervatis; ac ſi ſecus egerint, abſolutiones nullas, atque irritas fore, & eſſe; ab aliis verò Caſibus, & Cenſuris, ſiquidem Regulares habent à Sede Apoſtolica abſolvendi facultatem, illam extra Italiam minimè ſublatam fuiſſe iiſdem Sacræ Congregationis Decretis hac de re editis juſſu ſan. mem Clementis VIII. Quam Sacræ Congregationis ſententiam Sanctitas Sua ad ſe relatam approbavit, mandavitque ab omnibus, ad quos pertinet, inviolabiliter obſervari. Romæ 17. Novembris 1628.

Fr. A. Card. S. Honuphrii.

P. Fagnanus Secret.

Lettera Circolare della S. Congregazione del S. Ufizio ſopra l' andar conſiderati nel concedere la facoltà di Confeſſare.

DA' caſi di ſcandalo, &c.

Avendo la Santità di N. Signore oſſervato quanto per ovviargli ſia neceſſario a' Veſcovi l' avere un' attenzione la più preciſa in eleggere Perſone di propoſito a Miniſtero di tanta importanza; quindi è, che la Santità Sua, col parere di queſti miei Eminentiſſimi Colleghi Signori Cardinali Generali Inquiſitori, ha ſtimato bene, ch' io con queſta mia Circolare ne faccia a V. S. particolar premura, volendo, che da quì avanti ella con ogni maggiore ſtudio, e diligenza procuri, che tali Soggetti non ſiano Giovani, ma d'età, e d' intelligenza provetti, e ben morigerati, a' quali dovrà ſtrettamente ordinare, che non ſentano le Confeſſioni, maſſime di Donne, avanti il Confeſſionale, ma da' lati di eſſo, ed in luoghi pubblici, ed eſpoſti a viſta di tutti; Perſuaſa la Santità Sua della bontà, e zelo del ſuo Carattere, che da Lei verrà in ciò appieno la ſua mente adempita. Roma 14. di Dicembre 1694.

In-

Inſtructio Parochorum, & Confeſſariorum pro Caſibus, quorum abſolutio, ſeu diſpenſatio, à Sacra Pœnitentiaria Apoſtolica impetratur.

CUm ſæpè ſit experientiâ compertum, plurimos utriuſque ſexus Chriſtifideles, & præcipuè in longinquis degentes, cenſurarum vinculis, votorum obligationibus, matrimoniorum impedimentis, necnon irregularitatum, & Caſuum quoquomodo reſervatorum ligaminibus adſtrictos, ad Sanctam Sedem, ejuſque Sacram Pœnitentiariam ſpectantibus irretitos in illis lacrymosè perſiſtere, & continuis conſcientiæ agitationibus laboriosè perdurare, cujus mali cauſas ex ſimilibus provenire innotuit.

Primò, eò quòd Parochi, vel alii, ad quos hujuſmodi Pœnitentes recurrere contingit, in Pagis, aut Locis ruralibus detegunt, & viam, modumque recurrendi ad præfatam Sacram Pœnitentiariam ignorant, nec aliquem hìc Romæ agnoſcunt, ad quem ſupplicationes dirigant, undè Pœnitentes perplexos dimittunt; quibus cùm ad Ordinarium accedendi (fœminis præſertim) verecundia, aut timor aditum intercludat, conſilium ulteriùs requirere neſcientes, remedium deſperant, & in prædictis vinculis, obligationibus, impedimentis, inhabilitatibus, & caſibus reſervatis, cum periculo damnationis inſordeſcunt.

Secundò evenit, quòd Pœnitentes egeni recognitionem pro ſolicitatione, & labore agentium, Romæ commorantium, exſolvere non valentes, inconſolati, ac conſcientiæ moribus concuſſi, in periculoſo ſtatu manere coguntur, & fortè, (quod pejus eſt) ſibi perſuadent, Sacræ Pœnitentiariæ Tribunal aliquid lucri pro literis prædictis recipere, cùm reverà Sacræ Pœnitentiariæ Miniſtri, nec aliquid, quamvis minimum, nec etiam ſponte oblatum unquam recipiant; & gratis omnia exhibentes, ſingulos ad ſe recurrentes, ſerenâ fronte complectantur.

Tertiò accidit etiam nonnunquam per inadvertentiam exponentium, ut gratiæ juxtà expoſita obtentæ, irritæ evadant, eò quia caſus, & circumſtantias neceſſarias reticeant; undè fit, quòd literarum executores, caſu poſteà Pœnitentium examinato, rem aliter ſe habere, quàm expreſſum fuerat, comperiant, & gratias ſubreptitias, aut obreptitias eſſe inveniant; quare Pœnitentes confuſi remanent, & ſpe novæ diſpenſationis ſe carere putantes, in prædictis vinculis, obligationibus, &c. miſerabiliter remanent.

Quare gratum Deo, & utile Fidelibus futurum eſſe ſperatur, ſi iſte

ſi iſte modus recurrendi ad ipſam Sacram Pœnitentiariam proponatur.

Confeſſores itaque, cùm Pœnitentes vinculis præfatis irretitos ad ſe accedere contigerit, caſum qualitates, & præfatorum caſuum circumſtantias conſiderent, cauſſaſque diſpenſationum, aut commutationum exprimant, & caveant, ne quod occultum eſt, publicum faciant, præſertim impedimenta occulta Matrimoniorum; nam publica, vel ad publicum redacta, non pertinent ad Sacram Pœnitentiariam.

Et ſic præfati Confeſſores, ſeu Pœnitentes, poterunt caſus præfatos cum dictis circumſtantijs, & cauſſis exponere, ſive latino, ſive quocumque alio idiomate propriæ regionis; nam Sacra Pœnitentiaria ſuos ex quacumque regione Pœnitentiarios ſubordinatos habet; & exprimant inſuper in fine expoſitionis caſus, nomen, cognomen, cui ſit à Sacra Pœnitentiaria reſcribendum, etiamſi ipſum nomen, & cognomen ſit fictitium. Itemque modum, per quem reſponſio ſecura dirigi poſſit, ſignificando ſcilicet, vulgari nomine, Oppidum, ſeu Civitatem, & Regionem, cum data Menſis, & Anni in hunc modum.

Intùs incipiant Epiſtolam, ſeù Supplicationem ſic.

Eminentiſſime, & Reverendiſſime Domine.

N. Mulier emiſit Votum ſimplex caſtitatis, manet in periculo incontinentiæ, niſi nubat: ſupplicat ſibi Votum commutari, ad effectum contrahendi Matrimonium.

Terminent Epiſtolam, ſeu Supplicationem ſic.

Dignetur Eminentia Veſtra reſcribere ad N. N. & exprimant nomen, & cognomen, cui eſt reſcribendum: Ad Civitatem N. exprimendo nomen Civitatis. Per oppidum N. exprimendo vulgari nomine nomen Oppidi. Et dirigere Breve, ſeu Gratiam ſimplici Confeſſario Magiſtro in Theologia, ſive Decretorum Doctori, ſive Parocho, cui Pœnitens aperuit ſuam conſcientiam, ne ipſe Pœnitens, & præſertim fœminæ cogantur circumire pro executione Gratiæ Sacræ Pœnitentiariæ.

Dirigant Epiſtolam, ſeu Supplicationem ſcribendo extra, ſeu à foris in hunc modum.

Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino, Domino Cardinali Majori Pœnitentiario.

Romam.

Et, ſi tardaverit Reſponſio, Confeſſarii reſcribant, ne forte ſit deperdita, & numquam deſperent Pœnitentes.

Con-

Conſtitutio B. Pii V. in qua præſcribitur quid ſervare debeant Medici in curatione Infirmorum.

SUpra Gregem, &c.

§. 3. Et hac Noſtrâ in perpetuum valiturâ conſtitutione, ſtatuimus, & decernimus, quod omnes Medici, cùm ad Infirmos in lecto jacentes vocati fuerint, ipſos ante omnia moneant, ut idoneo Confeſſori omnia peccata ſua, juxta Ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, confiteantur, neque tertio die ulteriùs eos viſitent, niſi longius tempus Infirmo Confeſſor, ob aliquam rationabilem cauſſam, ſuper quo ejus conſcientiam oneramus, conceſſerit, & eis, per fidem Confeſſoris in ſcriptis factam, conſtiterit, quòd Infirmi, ut præmittitur, peccata ſua confeſſi fuerint.

§. 4. Conjunctos verò, ac omnes familiares, & domeſticos Infirmi in Domino rogamus, & monemus, ut de infirmitate Parochum certiorem faciant, & tàm Parochus, quàm conjuncti, & familiares præfati Infirmum ad Confeſſionem peccatorum ſuadeant, & inducant.

§. 5. Quòd ſi qui Medicorum præmiſſa non obſervaverint, ultra pœnas in Conſtitutione felic. record. Innocentii III. contentas, quas incurrere declaramus, perpetuò ſint infames, & gradu Medicinæ, quo inſigniti erant, omninò priventur, & à Collegio, ſeù Univerſitate Medicorum eiiciantur, ac pœnâ etiam pecuniariâ, arbitrio Ordinariorum, ubi deliquerint, multentur.

§. 6. Et ut hæc omnia inviolabiliter obſerventur, volumus, & eâdem auctoritate præcipimus, & mandamus, ut nullus poſt hac ubique Locorum in Medicina doctoretur, aut ei quomodolibet medendi facultas à quovis Collegio, & Univerſitate concedatur, niſi omnia in præſenti Noſtra Conſtitutione contenta, medio eorum juramento coram Notario publico, & Teſtibus, obſervare in eorum manibus, vel Ordinarii juraverint, & de hujuſmodi juramento in privilegio, ſeù licentia medendi ſpecialis mentio fiat. Quod ſi Collegia, & Univerſitates præfatæ, non recepto à Promovendis juramento hujuſmodi, eoſdem ad gradum prædictum promoverint, aut eiſdem medendi licentiam præſtiterint, pœnam privationis facultatis alios ulteriùs doctorandi incurrant.

§. 7. Mandantes in virtute ſanctæ Obedientiæ omnibus, & ſingulis Ven. Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, quatenus in Civitatibus, & Diœceſibus propriis præſentes Noſtras literas publicari faciant, ac juramentum prædictum à Me-

à Medicis jam promotis, ſeu licentiam medendi habentibus, omnibus Juris remediis exigatur, neque aliquos ad medendum in Civitatibus, & Diœceſibus prædictis admittant, niſi eis conſtiterit eoſdem juramentum hujuſmodi præſtitiſſe, & contumaces, & jurare, & juramentum hujuſmodi jam præſtitum exhibere recuſantes gradu Medicinæ, & omnibus privilegiis eiſdem Medicis, tàm conjunctim, quàm diviſim eis, & eorum cuilibet conceſſis, per quoſvis etiam Romanos Pontifices, privent, ac ab ingreſſu Eccleſiæ arceant, donec reſipuerint.

Dat. &c. hac die 8. Martii 1566. Pontificatus An. 1.

Lettera Circolare della Sac. Congreg. de' Veſcovi, e Regolari d'ordine d'Innocenzio XI. ſopra l'oſſervanza di detta Bolla.

IL Paterno Zelo di Noſtro Signore, indefeſſamente applicato a ciò, che puo ridondare in beneſizio, e ſalute de' ſuoi Fedeli, non ha potuto ricevere, che con particolar ſentimento dell'animo ſuo, le notizie pervenutegli, che in molte Diocesi non viene oſſervata la diſpoſizione della Coſtituzione 3. della S. M. del B. Pio V. che comincia: *Supra Gregem Dominicum, &c.* circa l'amminiſtrazione del Sacramento della Penitenza agl' Infermi; e la preciſa proibizione, che hanno i Medici di poter viſitare i medeſimi dopo il terzo giorno, ſe eſſi non ſi saranno Confeſſati, e l'obbligo, che tengono i Parenti, e Famigliari d' avviſare i Parochi delle Infermità de' loro Congiunti, e Domeſtici. Onde, volendo Sua Santità rimediare a sì pernicioſo abuſo, ridondante in grave pregiudizio della ſalute dell'Anime, e del Corpo, mentre dal peccato molte volte derivano l'Infermità corporali; vuole, ed eſpreſſamente comanda a tutti gli Ordinarj de' Luoghi, che facciano eſattamente oſſervare quanto providamente ſi diſpone nella predetta Coſtituzione della S. M. del B. Pio V., ordinando, che venga ogni anno pubblicata, tanto da' Parochi, che da' Predicatori, ſotto le pene in eſſa contenute, ed altre ad arbitrio della Santità Sua; Reſterà pertanto ſervita di dare eſecuzione a queſta ſanta ordinazione di Sua Beatitudine, mentre per fine le bacio umilmente le mani.

Roma 30. Settembre 1682.

Umiliſs. e Devotiſs. Ser.

C. Card. Fachenetti.

B. Panciatichi Secr.

Pre-

Præcepta, & Documenta pro Parochis, & omnibus Confeſſariis Civitatis, & Diœceſis Florentinæ.

NUllus omninò Sacerdos quempiam Pœnitentem ſacramentaliter abſolvat ex quocumque titulo, niſi prius obtentâ à Nobis, aut à Noſtro Vicario Generali juriſdictione, vel ordinariâ, vel delegatâ, ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrenda; cui pœnæ ſubiicimus etiam omnes, & quoſcumque Sacerdotes præſumentes abſolvere ſacramentaliter poſt elapſum obtentæ juriſdictionis terminum, vel ipſâ juriſdictione legitimè revocatâ, excepto mortis periculo.

Facultatem audiendi Confeſſiones conceſſam à Nobis limitatè quoad locum, & quoad perſonas, nolumus ampliari poſſe à Parochis pro eorum Ovibus, ſub pœna facultatis ejuſdem interdictæ, ac ipſo facto revocatæ; permittimus tamen habentibus hujuſmodi facultatem limitatam ad certum locum, audire etiam extrà locum Confeſſiones eorum Infirmorum, qui ſani ſoliti erant eorum Miniſterio in Confeſſionibus uti.

Concedimus indiſtinctè Parochis, tàm Urbanis, quàm Ruralibus, ut audire poſſint Confeſſiones Sacramentales in omnibus Eccleſiis Diœceſis, & Civitatis, de conſenſu earumdem Eccleſiarum Rectorum, præterquam in Eccleſia Metropolitana, in qua tamen ſi contingat Presbyteros Congregationum ad Officia peragenda collegialiter congregari, tunc, & pro eo dumtaxat caſu concedimus eos ad invicem poſſe ſacramentaliter confiteri.

Diſtrictè præcipimus, & omni, quâ poſſumus auctoritate jubemus, tàm Secularibus, quàm Regularibus Confeſſariis, ut, cum intrà alienæ Parochiæ fines alicuius graviter decumbentis Confeſſionem audierint, illicò certiorem Ægrotantis Parochum reddant.

Caveant Confeſſarii, ne ad hoc Sacramentum adminiſtrandum, inani gloriâ, curioſitate, aut avaritiâ moveantur, & ea, quæ Fideles jurè poſſent offendere, in hujus Sacri Judicii adminiſtratione diligenter evitent, potiſſimum pecuniarias pœnitentias, vel Miſſarum celebrationem, nec ſibi, nec ſuis Eccleſiis tribuendas curent, ſed piis tantùm operibus, vel Locis applicent, eaſque nonniſi ob avaritiæ, aut aliud ſimile delictum imponant, neque earum diſtributiones ſibi demandari ſtudeant; quod ſi ſibi, vel ſuis Eccleſiis hujuſmodi pecuniarias pœnitentias, vel Miſſarum celebrationem applicaverint, aut earum diſtributiones ſibi demandari ſtuduerint, ipſo facto ab audiendis Confeſſionibus ſint ſuſpenſi.

Prædeceſſorum Noſtrorum Synodalibus Conſtitutionibus inhærendo, eaſque confirmando, & innovando, ſub eadem pœna Suſpenſionis à Confeſſionibus audiendis,ipſo facto incurrenda, Confeſsariis, tàm Infirmorum, quàm aliorum jubemus, ne ſe, ex occaſione Confeſſionis, in Teſtamenti factione quoquomodo immiſceant, neque Pœnitentes ad ſibi, vel ſuis Eccleſiis aliquid relinquendum, vel ad Sepulturam in eis eligendam, directè, vel indirectè inducant; Excipimus tamen ab hac Noſtra Ordinatione caſum neceſſitatis, in quo Parochi, aut Parochorum vices fungentes rogare deberent, ex vigore *Cap. cum eſſes de Teſtam.* Teſtamentum Infirmorum.

Hilari vultu, & abſque perſonarum exceptione Pœnitentes omnes excipiant, ſervatâ nihilominus debitâ gravitate, & modeſtiâ.

Confeſſarii, qui non ſunt ad reſervata, antequam audire incipiant Confeſſiones raró accedentis ad Sacramentum Pœnitentiæ, & præſertim Perſonæ ſibi ignotæ, (ſi id factum rationabiliter judicaverint) eidem perhumaniter ſignificent ſe carere facultate abſolvendi à Caſibus, & Cenſuris Pontificiis, & Epiſcopalibus; & ſi quem invenerint hujuſmodi Caſibus irretitum, nullo modo, ne indirectè quidem, reſpectu Reſervatorum abſolvant, ſine urgenti neceſſitate, ſed, vel ad eos Confeſsarios, à quibus poſſit abſolvi, benignè remittant, vel ad eum abſolvendum facultatem petant.

Doceant ſupernaturalem aliquem dolorem peccatorum, ad veniam promerendam, in Sacramento Pœnitentiæ eſse penitus neceſsarium, quem facilè quiſquam comparabit, ſi Dei infinitam Majeſtatem, & Bonitatem, ſuorum ſcelerum fœditatem, & multitudinem, pœnaſque à Deo ſibi paratas attentè conſiderabit.

In diſcutiendis peccatis ne detineant Confitentes interrogationibus curioſis, aut minimè neceſsariis, & attentè curent, ne pueros, puellas, rudeſque perſonas de his, quæ ignorant, imprudenter interrogando, inſtruant.

Peritiores in dubiis conſulant, monendo Pœnitentem, ne iterum redire gravetur, ſuoque judicio non determinent quicquam eſse mortale peccatum, necnè, quando res eſt dubia.

Si fortè grave ſcelus, aut enorme à Pœnitente audierint, nullum abominationis ſignum oſtendant, ſed reprehenſionem adhibeant, Confeſſione expletâ.

Caveant, ne ſigno aliquo prodant denegatam fuiſse Pœnitenti abſolutionem, nec aliud, quod tanti Sacramenti ſigillum infringat; quod ut faciliùs aſsequantur, ſimplicem Benedictionem, cum recitatione Orationum: *Miſereatur, &c. Indulgentiam, &c.* Pœnitenti impertiantur

Mu-

Mulieres, neque ante Solis ortum, neque elapſâ horâ vigeſimaquartâ diei, neque extra conſuetas ſedes, niſi aliud rei neceſſitas poſtulet, ad Confeſſiones admittantur in Templis.

Nullus, tàm Secularis, quàm Regularis Parochus, aut Confeſſarius, ſive Mulierum, ſive Virorum Domos adeat, ibique, nec etiam in Oratoriis, Confeſſiones recipiat, niſi in caſibus infirmitatis, aut maximæ alicuius ſimilis neceſſitatis, in quibus Pœnitentes Eccleſiam adire non poſſint: qui ſecus fecerint, ab audiendis Confeſſionibus ſint ipſo facto ſuſpenſi; Noſtra enim mens eſt licentias audiendi Confeſſiones eis conceſſas, quamquam generales, extra huius conditionis limites non extendi.

Quando ipſis certæ perſonæ reſtitutiones faciendæ à Pœnitentibus demandantur, exigant à recipiente ſatisfactionem, ſcilicet fidem ſcriptam à ſe factæ reſtitutionis, quam reſtituendi pro Pœnitentibus obligationem rarò, & nonniſi in neceſſitatis caſibus acceptent.

Moneant Patres, & Matresfamilias, ut ſoliciti, ſedulique ſint circà ſuorum filiorum Chriſtianam educationem, & ſine gravi impoſita pœnitentia tranſgreſſores non abſolvant; potiſſimum autem in ijs caſibus, in quibus filios, & filias grandiuſculas, videlicet ultra ſeptennium, domi detinent, dum Miſſæ Sacrificium peragitur, & Doctrina Chriſtiana explicatur, abſque iuſta, & legitima cauſſa à Confeſſariis diudicanda, qui quidem parentes talia perpetrantes in Excommunicationem incident.

Dum rudium, & puerorum audiunt Confeſſiones, interrogent eos de Myſterijs principalioribus Fidei; potiſſimum tempore Paſchatis, & in ijſdem Myſteriis inſtruant antequam abſolvant.

Animadvertant, ut ſemper, priuſquam abſolvant, pœnitentias imponant, quæ tamen ſint delictorum gravitati proportionatæ, & tales, ut à Pœnitentibus veroſimiliter adimpleantur, nec ſine eorumdem Pœnitentium conſenſu publicè exequendas tradant.

Omnes Parochi, & Confeſſarij Pœnitentes quoquomodo ſolicitantes, ultrà pœnas à Summis Pontificibus inflictas, reminiſcantur ſe in pœnam Suſpenſionis à Divinis ipſo facto incurſuros. Si autem invenerint Confeſſarij, vel Parochi Pœnitentem ab alio fuiſſe in Confeſſione ſolicitatum, ſciant ex Gregorij XV., & Urbani VIII. iuſſionibus ſe eſſe obligatos monere ipſum Pœnitentem, etiamſi ſolicitationi conſenſerit, de obligatione denunciandi Confeſſarium, qui eum ſolicitavit.

Ad evitandam puerorum oppreſſionem, & ſuffocationem, Parochos, & Confeſſarios monemus, ut maximam adhibeant curam in

præcipiendo tàm Viris, quàm Mulieribus, ne cum pueris ante abſolutum annum ſine Capſula dormiant; quod ſi culpabiles repererint, Abſolutionem etiam, quando expediens ſibi videbitur, denegent.

Monemus præterea eos non benè officio ſuo ſatisfacere, qui Confeſſiones ſummatim, & in confuſo, abſque diſtinctione peccatorum, quoad ſpeciem, & quoad numerum, neceſſariò explicanda excipiunt.

Non admittant ad Confeſſionem eos, qui ſine prævio, ac ſufficienti examine accedunt, præſertim quando à longo tempore non ſunt confeſſi. Quod ſi pœnitens, vel morali impotentiâ, vel inculpabili ignorantiâ idoneum Examen Conſcientiæ facere nequeat, aut charitas dictet eum non dimittendum, tunc ſciant ſe teneri ad eiuſdem ignorantiam ſupplendam, diſcretis, aptis, ac capacitati Pœnitentis proportionatis interrogationibus.

Inſuper omnes, maximè qui tenuioris ſunt ſcientiæ, habeant aliquam Caſuum Conſcientiæ Summam, vernaculo, ſeu latino ſermone conſcriptam, eique frequenter ſtudeant.

Caſus, & Excommunicationes Archiepiſcopo Florentino reſervatæ.

Homicidium voluntarium.

Oppreſſio, ſeù puerorum ſuffocatio.

Nefariâ conſuetudine Deum, B. Virginem, vel Sanctos blaſphemantes.

Carnes Feriâ ſextâ, & Sabbato; eaſdemque, & alios vetitos cibos, Quadrageſimæ diebus, aliorumque Jejuniorum ab Eccleſia indictorum, abſque licentia comedentes.

Temeratores Monialium, & Literas amatorias, vel inhoneſtas ſcribentes, mittentes, vel ſcienter portantes, ſeù conſignantes Monialibus, vel Puellis, aliiſque Mulieribus, quocumque titulo intra Clauſtra commorantibus, vel res, aut actus inhoneſtos coram eiſdem agentes, vel de inhoneſtis rebus, ipſis, vel coram ipſis colloquentes, ſint ipſo facto Excommunicati Excommunicatione Nobis reſervatâ.

Laici ementita Patrimonia Clericis ordinandis conficientes, Excommunicati ſint ipſo facto Excommunicatione Nobis reſervatâ.

Monita, & Ordinationes.

Nullus Sacerdos à Caſibus Epiſcopis reſervatis, ſeù contentis in Bulla Cœnæ Domini, & ab aliis quibuſcumque extra illam Apoſtolicæ Sedi reſervatis abſolvere præſumat, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, ut per Decretum Sacræ Congreg. 9. Januarii 1601. editum 26. Novemb. 1602. & ampliatum jubente Urbano VIII. Summo Pontifice 17. Novemb. 1628. Ad-

Admonendi ſunt Parochi, & Confeſſarii, quod, ſi à Nobis facultatem abſolvendi à Caſibus Reſervatis obtinuerint, non ex hoc poſſunt à Cenſuris abſolvere; ſicut è contrà, eos non poſſe à Caſibus Reſervatis abſolvere, quando facultatem abſolvendi à Cenſuris fuerint conſecuti, & Abſolutiones, ſive à Reſervatis, ſive à Cenſuris, ſuffragari Pœnitentibus pro foro Conſcientiæ tantummodo, niſi aliter à Nobis ſpecialiter obtinuerint.

Exiſtentem in proxima voluntaria occaſione peccandi, niſi eâ remotâ, Confeſſarii abſolvere non poſſint.

Nulla ſit Abſolutio Complicis in re venerea, cujus materia abſolutè, & in ſe actio indifferens non judicatur, ſed per ſe in actum carnalem, ſive completum, ſivè incompletum prodit.

Ordinati in Sacris, retrocedentes, & quoquomodo relaxantes, ſeù alienantes Patrimonium, tituli loco ſubrogatum, ſint ipſo facto ſuſpenſi à Divinis, ſuſpenſione Nobis reſervata.

Qui ficto Patrimonio, vel cum pactis de non exigendis ejus fructibus Majores Ordines aſsumpſerint, ipſo facto ſuſpenſionem à Divinis incurrant.

Sacerdotes omnes, & Clerici in Sacris conſtituti, qui, vel in propria Domo, vel in aliena, in quacumque temporis differentia, tàm publicè, quàm privatim Choreas ducunt, duci procurant, ad eumdem effectum propriam Domum de induſtria aliis commodant, Suſpenſione à Divinis Nobis reſervatâ per octo dies ipſo facto ligentur. Qua etiam pœnâ ipſo facto ligari volumus eoſdem Sacerdotes, & Clericos, qui in hujuſmodi Choreis, & tripudiis Cantiones inhoneſtas, & à ſtatu Clericali alienas cantant.

Hanc noſtram paginam, unà cum Bulla Cœnæ, quilibet Parochus, & Confeſſarius penès ſe habeat, eamque frequenter perlegat, ſub pœnis arbitrariis à Nobis declarandis.

Modus abſolvendi regulariter ſervandus ab omnibus Parochis, & Confeſſariis.

SAcerdos poſtquam dixerit: *Miſereatur tui, &c. Indulgentiam, abſolutionem, &c.* dicat: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſolvat, & ego auctoritate ipſius te abſolvo ab omni vinculo Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti in quantum poſſum, & tu indiges. Ego te abſolvo à peccatis tuis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti, & merita B. Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorũ, & quidquid boni feceris, & mali ſuſtinueris ſint tibi in remiſſionem peccatorum, augumentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.*

Si Pœnitens ſit Laicus, omittatur verbum *Suſpenſionis*. In Confeſſionibus frequentioribus, aut brevioribus omitti poterit *Miſereatur, &c. Indulgentiam, &c.* & ſatis erit dicere: *Dominus noſter, &c.* ut in Rituali, vel *Ego te abſolvo à peccatis tuis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Paſſio Domini noſtri, &c.*

Vertente aliquà gravi neceſſitate in periculo mortis, breviter dicere poterit: *Ego te abſolvo ab omnibus Cenſuris, & peccatis tuis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

THOMAS BONAVENTURA ARCHIEP. FLOR.

Editto ſopra gli Eſercizzj Spirituali da farſi da tutti i Curati, e Confeſſori novelli.

IL ſingolar benefizio conferito da Dio a' Sacerdoti, mettendogli come fiaccole acceſe ſul Candelliere nella ſua Chieſa, porta ſeco la penſione d' una ben diſtinta corriſpondenza a sì alto Benefattore, con far lume a' Secolari, additando loro, e con eſempj ſanti, e con ſalutevoli ammaeſtramenti la Via della ſalute. Mette il Signore in mano a' Sacerdoti il ſuo Corpo reale, e miſtico, con la diſpenſazione del ſuo diviniſſimo Sangue, onde dipende, e l'onor ſuo, e la ſalute dell' Anime a sì caro prezzo da lui comprate. Quindi ognun ben vede qual debba eſſere l' eſemplarità de' coſtumi, la ſantità de' ſentimenti, e la dottrina di ſpirito, che deve avere un sacro Miniſtro, particolarmente nel maneggiare i Santiſſimi Sagramenti; che però Noi, cui è a cuore il Divino ſervizio, e la ſalvezza dell' Anime commeſſe alla noſtra cura, conſiderando, che per renderſi meno indegni di sì alto Miniſtero, e più abili ad eſercitarlo con noſtro diſcarico, ed altrui profitto, non vi è mezzo più efficace, che l' uſo degli Eſercizzj Spirituali, per queſto noſtro Editto, ſeguendo in ciò le veſtigia ſempre venerabili del comune Sommo Paſtore, ordiniamo.

Primo, che da tutti quegli, che da quì avanti ſaranno promoſſi a Cura d'Anime, o in titolo perpetuo, o amovibile, ſiccome da tutti i Cappellani, quali otterranno da Noi la licenza d' eſercitare la Cura d'Anime in aiuto de' Parochi, ſi facciano, prima d' andare al poſſeſſo delle loro Chieſe, e reſpettivamente di principiare l' eſercizio della Cura, detti Eſercizzj Spirituali per otto giorni continui nella Caſa de' RR. Padri della Miſſione.

Secondo, che per l'avvenire non ſi dia ad alcun Sacerdote la Patente di Confeſſione, ſe, oltre all'approvazione circa l' idoneità, non averà fatti i ſopraddetti Eſercizzj, come ſopra, e riportata la Fede d' avergli fatti.

Di-

Dichiarando, che in queſto noſtro Editto non s' intendono compreſi i Regolari, perſuadendoci, che da loro ſteſſi eſequiranno, in riguardo alla loro Profeſſione, ciò che s' impone al Clero Secolare; e ſolamente con ogni maggior vivezza ne li preghiamo.

Siccome per ora non s' obbligano, nè i Sacerdoti, che già confeſſano con Patenti veglianti, nè quegli, che eſercitano di preſente Cura d' Anime, perchè ci crediamo, che, conoſcendo per iſperienza quale aiuto abbiſogni per portare peſo sì grave, quale è l'indirizzare altrui per la Via della ſalute, e renderne conto all' Eterno Giudice, ricorreranno volontariamente a sì potente, e neceſſario ſuſſidio, e ad un mezzo sì efficace per rinnovarſi nello ſpirito.

Dat. dal noſtro Palazzo Arciveſc. li 20. Aprile 1705.

TOMMASO ARCIVESC. DI FIRENZE.

Conſtitutio 31. *Innocentii X. incipien.* Cum occaſione,&c. *die* 31. *Maii* 1653., *qua damnantur quinque propoſitiones Libri, cui titulus*: Auguſtinus Cornelii Janſenii Epiſcopi Iprenſis, *confirmata, & declarata ab Alexandro VII. die* 16. *Octob.* 1656. *per aliam Conſtitutionem incipientem*: Ad Sanctam,&c. *& iterum confirmata, & innovata à SS. D. N. Clemente PP. XI. per Conſtitutionem incipien.* Vineam Domini Sabaoth *die* 17. *Auguſti* 1705.

1. ALiqua Dei præcepta hominibus Juſtis volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis Gratia, quà poſſibilia fiant.

2. Interiori Gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur.

3. Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione.

4. Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam Gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.

5. Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut Sanguinem fudiſſe.

Decretum Alexand. PP. VII. ſuper aliquibus Propoſitionibus moralibus Feriâ v. die 24. Septembris 1667.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis, habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram SS. D. N. Alexandro Divinâ Providentiâ Papa VII. ac Eminentiſſ-

& Re-

& Reverendiſs. DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana adverſus hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

SAnctiſſimus D. N., audivit non ſine magno animi ſui mœrore, complures opiniones Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & Animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum ſuſcitari, partim noviter prodire: & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omninò ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet Chriſtianæ vitæ corruptela. Quare, ne ullo unquam tempore viam ſalutis, quam ſuprema veritas Deus, cuius verba in æternum permanent, arctam eſſe definivit, in animarum perniciem dilatari, ſeu veriùs perverti contingeret, idem Sanctiſſimus D. N., ut oves ſibi creditas ab eiuſmodi ſpatioſa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro paſtorali ſolicitudine in rectam ſemitam revocaret, earumdem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſeriò commiſit: qui tantum negotium ſtrenuè aggreſſi, eique ſedulò incumbentes, & maturè diſcuſſis uſque ad hanc diem infraſcriptis Propoſitionibus, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati Suæ ſingillatim expoſuerunt.

1. Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & charitatis ex vi præceptorum Divinorum, ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equeſtris ad duellum provocatus, poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia aſſerens Bullam Cœnæ ſolum prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1626. 18. Julij in Conciſtorio Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium viſa, & tolerata eſt.

4. Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcumque ſeculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.

5. Quamvis evidenter tibi conſtet Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis.

6. Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit Pœnitenti char-

chartam poſtea legendam, in qua ad venerem incitat, non cenſetur ſolicitaſſe in Confeſſione; ac proindè non eſt denunciandus.

7. Modus evadendi obligationem denunciandæ ſolicitationis eſt: ſi ſolicitatus confiteatur cum ſolicitante, hic poteſt ipſum abſolvere, abſque onere denunciandi.

8. Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus, ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Urbani VIII.

9. Poſt Decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, aliâ parte ſtipendii ſibi retentâ.

10. Non eſt contra juſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & Sacrificium unum offerre: Neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam, promiſſione etiam juramento firmatâ, danti ſtipendium, quòd pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeu oblita, ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſſam, non tenemur in ſequenti Confeſſione exprimere.

12. Mendicantes poſſunt abſolvere à Caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtentâ ad id Epiſcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato.

14. Qui facit Confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.

15. Pœnitens propriâ auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui Beneficium Curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Eſt licitum Religioſo, vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus, vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publicè, & coram graviſſimis Viris prædicta impingere, niſi occidatur.

18. Licet interficere falſum Accuſatorem, falſos Teſtes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi aliâ viâ non poteſt innocens damnum evitare.

19. Non peccat Maritus occidens propriâ auctoritate Uxorem in adulterio deprehenſam.

20. Reſtitutio à Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Judicis, eò quòd ſit pœna.

21. Ha-

per prius ab eodem Concilio, ac deindè etiam ipſius Congregationis Decretis ſublata, atque extincta, ſi quæ habebant, abſolvendi à Caſibus Ordinario Loci reſervatis; quemadmodum neque induta abſolvendi à Caſibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi conſuevit, utpotè ſublata per annuam ipſius Bullæ publicationem, vires, aut robur acquiſiviſſe ex ſubſequentibus privilegiorum confirmationibus, ac proindè Regulares cujuſvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Inſtituti, etiam neceſſariò exprimendi, nec intra, nec extra Italiam, in vim privilegiorum, aut confirmationum ejuſmodi, quas, vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps forte obtinebunt, poſſe quemquam abſolvere ab eiſdem Caſibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinario Loci reſervatis; ac ſi ſecus egerint, abſolutiones nullas, atque irritas fore, & eſſe; ab aliis verò Caſibus, & Cenſuris, ſiquidem Regulares habent à Sede Apoſtolica abſolvendi facultatem, illam extra Italiam minimè ſublatam fuiſſe iiſdem Sacræ Congregationis Decretis hac de re editis juſſu ſan. mem Clementis VIII. Quam Sacræ Congregationis ſententiam Sanctitas Sua ad ſe relatam approbavit, mandavitque ab omnibus, ad quos pertinet, inviolabiliter obſervari. Romæ 17. Novembris 1628.

Fr. A. Card. S. Honuphrii.

P. Fagnanus Secret.

Lettera Circolare della S. Congregazione del S. Ufizio ſopra l' andar conſiderati nel concedere la facoltà di Confeſſare.

DA' caſi di ſcandalo, &c.

Avendo la Santità di N. Signore oſſervato quanto per ovviargli ſia neceſſario a' Veſcovi l' avere un' attenzione la più preciſa in eleggere Perſone di propoſito a Miniſtero di tanta importanza; quindi è, che la Santità Sua, col parere di queſti miei Eminentiſſimi Colleghi Signori Cardinali Generali Inquiſitori, ha ſtimato bene, ch' io con queſta mia Circolare ne faccia a V. S. particolar premura, volendo, che da quì avanti ella con ogni maggiore ſtudio, e diligenza procuri, che tali Soggetti non ſiano Giovani, ma d'età, e d'intelligenza provetti, e ben morigerati, a' quali dovrà ſtrettamente ordinare, che non ſentano le Confeſſioni, maſſime di Donne, avanti il Confeſſionale, ma da' lati di eſſo, ed in luoghi pubblici, ed eſpoſti a viſta di tutti; Perſuaſa la Santità Sua della bontà, e zelo del ſuo Carattere, che da Lei verrà in ciò appieno la ſua mente adempita. Roma 14. di Dicembre 1694.

In-

Inſtructio Parochorum, & Confeſſariorum pro Caſibus, quorum abſolutio, ſeu diſpenſatio à Sacra Pœnitentiaria Apoſtolica impetratur.

CUm ſæpè ſit experientiâ compertum, plurimos utriuſque ſexus Chriſtifideles, & præcipuè in longinquis degentes, cenſurarum vinculis, votorum obligationibus, matrimoniorum impedimentis, necnon irregularitatum, & Caſuum quoquomodo reſervatorum ligaminibus adſtrictos, ad Sanctam Sedem, ejuſque Sacram Pœnitentiariam ſpectantibus irretitos in illis lacrymosè perſiſtere, & continuis conſcientiæ agitationibus laboriosè perdurare, cujus mali cauſas ex ſimilibus provenire innotuit.

Primò, eò quòd Parochi, vel alii, ad quos hujuſmodi Pœnitentes recurrere contingit, in Pagis, aut Locis ruralibus degunt, & viam, modumque recurrendi ad præfatam Sacram Pœnitentiariam ignorant, nec aliquem hìc Romæ agnoſcunt, ad quem ſupplicationes dirigant, undè Pœnitentes perplexos dimittunt; quibus cùm ad Ordinarium accedendi (fœminis præſertim) verecundia, aut timor aditum intercludat, conſilium ulteriùs requirere neſcientes, remedium deſperant, & in prædictis vinculis, obligationibus, impedimentis, inhabilitatibus, & caſibus reſervatis, cum periculo damnationis inſordeſcunt.

Secundò evenit, quòd Pœnitentes egeni recognitionem pro ſolicitatione, & labore agentium, Romæ commorantium, exſolvere non valentes, inconſolati, ac conſcientiæ moribus concuſſi, in periculoſo ſtatu manere coguntur, & fortè, (quod pejus eſt) ſibi perſuadent, Sacræ Pœnitentiariæ Tribunal aliquid lucri pro literis prædictis recipere, cùm reverà Sacræ Pœnitentiariæ Miniſtri, nec aliquid, quamvis minimum, nec etiam ſponte oblatum unquam recipiant; & gratis omnia exhibentes, ſingulos ad ſe recurrentes, ſerenâ fronte complectantur.

Tertiò accidit etiam nonnunquam per inadvertentiam exponentium, ut gratiæ juxtà expoſita obtentæ, irritæ evadant, eò quia caſus, & circumſtantias neceſſarias reticeant; undè fit, quòd literarum executores, caſu poſteà Pœnitentium examinato, rem aliter ſe habere, quàm expreſſum fuerat, comperiant, & gratias ſubreptitias, aut obreptitias eſſe inveniant; quare Pœnitentes confuſi remanent, & ſpe novæ diſpenſationis ſe carere putantes, in prædictis vinculis, obligationibus, &c. miſerabiliter remanent.

Quare gratum Deo, & utile Fidelibus futurum eſſe ſperatur, ſi iſte

ſi iſte modus recurrendi ad ipſam Sacram Pœnitentiariam proponatur.

Confeſſores itaque, cùm Pœnitentes vinculis præfatis irretitos ad ſe accedere contigerit, caſum qualitates, & præfatorum caſuum circumſtantias conſiderent, cauſſaſque diſpenſationum, aut commutationum exprimant, & caveant, ne quod occultum eſt, publicum faciant, præſertim impedimenta occulta Matrimoniorum; nam publica, vel ad publicum redacta, non pertinent ad Sacram Pœnitentiariam.

Et ſic præfati Confeſſores, ſeu Pœnitentes, poterunt caſus præfatos cum dictis circumſtantijs, & cauſſis exponere, ſive latino, ſive quocumque alio idiomate propriæ regionis; nam Sacra Pœnitentiaria ſuos ex quacumque regione Pœnitentiarios ſubordinatos habet; & exprimant inſuper in fine expoſitionis caſus, nomen, cognomen, cui ſit à Sacra Pœnitentiaria reſcribendum, etiamſi ipſum nomen, & cognomen ſit fictitium. Itemque modum, per quem reſponſio ſecura dirigi poſſit, ſignificando ſcilicet, vulgari nomine, Oppidum, ſeu Civitatem, & Regionem, cum data Menſis, & Anni in hunc modum.

Intùs incipiant Epiſtolam, ſeù Supplicationem ſic.

Eminentiſſime, & Reverendiſſime Domine.

N. Mulier emiſit Votum ſimplex caſtitatis, manet in periculo incontinentiæ, niſi nubat: ſupplicat ſibi Votum commutari, ad effectum contrahendi Matrimonium.

Terminent Epiſtolam, ſeu Supplicationem ſic.

Dignetur Eminentia Veſtra reſcribere ad N. N. & exprimant nomen, & cognomen, cui eſt reſcribendum: Ad Civitatem N. exprimendo nomen Civitatis. Per oppidum N. exprimendo vulgari nomine nomen Oppidi. Et dirigere Breve, ſeu Gratiam ſimplici Confeſſario Magiſtro in Theologia, ſive Decretorum Doctori, ſive Parocho, cui Pœnitens aperuit ſuam conſcientiam, ne ipſe Pœnitens, & præſertim fœminæ cogantur circumire pro executione Gratia Sacræ Pœnitentiariæ.

Dirigant Epiſtolam, ſeu Supplicationem ſcribendo extra, ſeu à foris in hunc modum.

Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino, Domino Cardinali Majori Pœnitentiario.

Romam.

Et, ſi tardaverit Reſponſio, Confeſſarii reſcribant, ne forte ſit deperdita, & numquam deſperent Pœnitentes.

Con-

Conſtitutio B. Pii V. in qua præſcribitur quid ſervare debeant Medici in curatione Infirmorum.

SUpra Gregem, &c.

§. 3. Et hac Noſtrâ in perpetuum valiturâ conſtitutione, ſtatuimus, & decernimus, quod omnes Medici, cùm ad Infirmos in lecto jacentes vocati fuerint, ipſos ante omnia moneant, ut idoneo Confeſſori omnia peccata ſua, juxta Ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, confiteantur, neque tertio die ulteriùs eos viſitent, niſi longius tempus Infirmo Confeſſor, ob aliquam rationabilem cauſſam, ſuper quo ejus conſcientiam oneramus, conceſſerit, & eis, per fidem Confeſſoris in ſcriptis factam, conſtiterit, quòd Infirmi, ut præmittitur, peccata ſua confeſſi fuerit.

§. 4. Conjunctos verò, ac omnes familiares, & domeſticos Infirmi in Domino rogamus, & monemus, ut de infirmitate Parochum certiorem faciant, & tàm Parochus, quàm conjuncti, & familiares præfati Infirmum ad Confeſſionem peccatorum ſuadeant, & inducant.

§. 5. Quòd ſi qui Medicorum præmiſſa non obſervaverint, ultra pœnas in Conſtitutione felic. record. Innocentii III. contentas, quas incurrere declaramus, perpetuò ſint infames, & gradu Medicinæ, quo inſigniti erant, omninò priventur, & à Collegio, ſeù Univerſitate Medicorum eiiciantur, ac pœnâ etiam pecuniariâ, arbitrio Ordinariorum, ubi deliquerint, multentur.

§. 6. Et ut hæc omnia inviolabiliter obſerventur, volumus, & eâdem auctoritate præcipimus, & mandamus, ut nullus poſt hac ubique Locorum in Medicina doctoretur, aut ei quomodolibet medendi facultas à quovis Collegio, & Univerſitate concedatur, niſi omnia in præſenti Noſtra Conſtitutione contenta, medio eorum juramento coram Notario publico, & Teſtibus, obſervare in eorum manibus, vel Ordinarii juraverint, & de hujuſmodi juramento in privilegio, ſeù licentia medendi ſpecialis mentio fiat. Quod ſi Collegia, & Univerſitates præfatæ, non recepto à Promovendis juramento hujuſmodi, eoſdem ad gradum prædictum promoverint, aut eiſdem medendi licentiam præſtiterint, pœnam privationis facultatis alios ulteriùs doctorandi incurrant.

§. 7. Mandantes in virtute ſanctæ Obedientiæ omnibus, & ſingulis Ven. Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, quatenus in Civitatibus, & Diœceſibus propriis præſentes Noſtras literas publicari faciant, ac juramentum prædictum à Me-

Digitized by Google

à Medicis jam promotis, ſeu licentiam medendi habentibus, omnibus Juris remediis exigatur, neque aliquos ad medendum in Civitatibus, & Diœceſibus prædictis admittant, niſi eis conſtiterit eoſdem juramentum hujuſmodi præſtitiſſe, & contumaces, & jurare, & juramentum hujuſmodi jam præſtitum exhibere recuſantes gradu Medicinæ, & omnibus privilegiis eiſdem Medicis, tàm conjunctim, quàm diviſim eis, & eorum cuilibet conceſſis, per quoſvis etiam Romanos Pontifices, privent, ac ab ingreſſu Eccleſiæ arceant, donec reſipuerint.

Dat. &c. hac die 8. Martii 1566. Pontificatus An. 1.

Lettera Circolare della Sac. Congreg. de' Veſcovi, e Regolari d'ordine d' Innocenzio XI. ſopra l' oſſervanza di detta Bolla.

IL Paterno Zelo di Noſtro Signore, indefeſſamente applicato a ciò, che puo ridondare in benefizio, e ſalute de' ſuoi Fedeli, non ha potuto ricevere, che con particolar ſentimento dell' animo ſuo, le notizie pervenutegli, che in molte Diocesi non viene oſſervata la diſpoſizione della Coſtituzione 3. della S. M. del B. Pio V. che comincia: *Supra Gregem Dominicum, &c.* circa l' amminiſtrazione del Sacramento della Penitenza agl' Infermi; e la preciſa proibizione, che hanno i Medici di poter viſitare i medeſimi dopo il terzo giorno, ſe eſſi non ſi faranno Confeſſati, e l' obbligo, che tengono i Parenti, e Famigliari d' avviſare i Parochi delle Infermità de' loro Congiunti, e Domeſtici. Onde, volendo Sua Santità rimediare a sì pernicioſo abuſo, ridondante in grave pregiudizio della ſalute dell'Anime, e del Corpo, mentre dal peccato molte volte derivano l' Infermità corporali, vuole, ed eſpreſſamente comanda a tutti gli Ordinarj de' Luoghi, che facciano eſattamente oſſervare quanto providamente ſi diſpone nella predetta Coſtituzione della S. M. del B. Pio V., ordinando, che venga ogni anno pubblicata, tanto da' Parochi, che da' Predicatori, ſotto le pene in eſſa contenute, ed altre ad arbitrio della Santità Sua; Reſterà pertanto ſervita di dare eſecuzione a queſta ſanta ordinazione di Sua Beatitudine, mentre per fine le bacio umilmente le mani.

Roma 30. Settembre 1682.

Umiliſs. e Devotiſs. Ser.

C. Card. Fachenetti.

B. Panciatichi Secr.

Præ-

Præcepta, & Documenta pro Parochis, & omnibus Confeſſariis Civitatis, & Diœceſis Florentinæ.

NUllus omninò Sacerdos quempiam Pœnitentem ſacramentaliter abſolvat ex quocumque titulo, niſi prius obtentà à Nobis, aut à Noſtro Vicario Generali juriſdictione, vel ordinarià, vel delegatà, ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrenda; cui pœnæ ſubiicimus etiam omnes, & quoſcumque Sacerdotes præſumentes abſolvere ſacramentaliter poſt elapſum obtentæ juriſdictionis terminum, vel ipſâ juriſdictione legitimè revocatâ, exceptò mortis periculo.

Facultatem audiendi Confeſſiones conceſſam à Nobis limitatè quoad locum, & quoad perſonas, nolumus ampliari poſſe à Parochis pro eorum Ovibus, ſub pœna facultatis ejuſdem interdictæ, ac ipſo facto revocatæ; permittimus tamen habentibus hujuſmodi facultatem limitatam ad certum locum, audire etiam extrà locum Confeſſiones eorum Infirmorum, qui ſani ſoliti erant eorum Miniſterio in Confeſſionibus uti.

Concedimus indiſtinctè Parochis, tàm Urbanis, quàm Ruralibus, ut audire poſſint Confeſſiones Sacramentales in omnibus Eccleſiis Diœceſis, & Civitatis, de conſenſu earumdem Eccleſiarum Rectorum, præterquam in Eccleſia Metropolitana, in qua tamen ſi contingat Presbyteros Congregationum ad Officia peragenda collegialiter congregari, tunc, & pro eo dumtaxat caſu concedimus eos ad invicem poſſe ſacramentaliter confiteri.

Diſtrictè præcipimus, & omni, quâ poſſumus auctoritate jubemus, tàm Secularibus, quàm Regularibus Confeſſariis, ut, cum intra alienæ Parochiæ fines alicuius graviter decumbentis Confeſſionem audierint, illicò certiorem Ægrotantis Parochum reddant.

Caveant Confeſſarii, ne ad hoc Sacramentum adminiſtrandum, inani gloriâ, curioſitate, aut avaritiâ moveantur, & ea, quæ Fideles jure poſſent offendere, in hujus Sacri Judicii adminiſtratione diligenter evitent, potiſſimum pecuniarias pœnitentias, vel Miſſarum celebrationem; nec ſibi, nec ſuis Eccleſiis tribuendas curent, ſed piis tantùm operibus, vel Locis applicent, eaſque nonniſi ob avaritiæ, aut aliud ſimile delictum imponant, neque earum diſtributiones ſibi demandari ſtudeant; quod ſi ſibi, vel ſuis Eccleſiis hujuſmodi pecuniarias pœnitentias, vel Miſſarum celebrationem applicaverint, aut earum diſtributiones ſibi demandari ſtuduerint, ipſo facto ab audiendis Confeſſionibus ſint ſuſpenſi.

Præ-

Prædeceſſorum Noſtrorum Synodalibus Conſtitutionibus inhærendo, eaſque confirmando, & innovando, ſub eadem pœna Suſpenſionis à Confeſſionibus audiendis, ipſo facto incurrenda, Confeſsariis, tàm Infirmorum, quàm aliorum jubemus, ne ſe, ex occaſione Confeſſionis, in Teſtamenti factione quoquomodo immiſceant, neque Pœnitentes ad ſibi, vel ſuis Eccleſiis aliquid relinquendum, vel ad Sepulturam in eis eligendam, directè, vel indirectè inducant; Excipimus tamen ab hac Noſtra Ordinatione caſum neceſſitatis, in quo Parochi, aut Parochorum vices fungentes rogare deberent, ex vigore *Cap. cum eſſes de Teſtam.* Teſtamentum Infirmorum.

Hilari vultu, & abſque perſonarum exceptione Pœnitentes omnes excipiant, ſervatâ nihilominus debitâ gravitate, & modeſtiâ.

Confeſſarii, qui non ſunt ad reſervata, antequam audire incipiant Confeſſiones raro accedentis ad Sacramentum Pœnitentiæ, & præſertim Perſonæ ſibi ignotæ, (ſi id factum rationabiliter judicaverint) eidem perhumaniter ſignificent ſe carere facultate abſolvendi à Caſibus, & Cenſuris Pontificiis, & Epiſcopalibus; & ſi quem invenerint hujuſmodi Caſibus irretitum, nullo modo, ne indirectè quidem, reſpectu Reſervatorum abſolvant, ſine urgenti neceſſitate, ſed, vel ad eos Confeſsarios, à quibus poſſit abſolvi, benignè remittant, vel ad eum abſolvendum facultatem petant.

Doceant ſupernaturalem aliquem dolorem peccatorum, ad veniam promerendam, in Sacramento Pœnitentiæ eſse penitus neceſsarium, quem facilè quiſquam comparabit, ſi Dei infinitam Majeſtatem, & Bonitatem, ſuorum ſcelerum fœditatem, & multitudinem, pœnaſque à Deo ſibi paratas attentè conſiderabit.

In diſcutiendis peccatis ne detineant Confitentes interrogationibus curioſis, aut minimè neceſsariis, & attentè curent, ne pueros, puellas, rudeſque perſonas de his, quæ ignorant, imprudenter interrogando, inſtruant.

Peritiores in dubiis conſulant, monendo Pœnitentem, ne iterum redire gravetur, ſuoque judicio non determinent quicquam eſse mortale peccatum, necnè, quando res eſt dubia.

Si fortè grave ſcelus, aut enorme à Pœnitente audierint, nullum abominationis ſignum oſtendant, ſed reprehenſionem adhibeant, Confeſſione expletâ.

Caveant, ne ſigno aliquo prodant denegatam fuiſse Pœnitenti abſolutionem, nec aliud, quod tanti Sacramenti ſigillum infringat; quod ut faciliùs aſſequantur, ſimplicem Benedictionem, cum recitatione Orationum: *Miſereatur, &c. Indulgentiam, &c.* Pœnitenti impertiantur

Mu-

Mulieres, neque ante Solis ortum, neque elapſâ hora vigeſimaquartâ diei, neque extra conſuetas ſedes, niſi aliud rei neceſſitas poſtulet, ad Confeſſiones admittantur in Templis.

Nullus, tàm Secularis, quàm Regularis Parochus, aut Confeſſarius, ſive Mulierum, ſive Virorum Domos adeat, ibique, nec etiam in Oratoriis, Confeſſiones recipiat, niſi in caſibus infirmitatis, aut maximæ alicuius ſimilis neceſſitatis, in quibus Pœnitentes Eccleſiam adire non poſſint: qui ſecus fecerint, ab audiendis Confeſſionibus ſint ipſo facto ſuſpenſi; Noſtra enim mens eſt licentias audiendi Confeſſiones eis conceſſas, quamquam generales, extra huius conditionis limites non extendi.

Quando ipſis certæ perſonæ reſtitutiones faciendæ à Pœnitentibus demandantur, exigant à recipiente ſatisfactionem, ſcilicet fidem ſcriptam à ſe factæ reſtitutionis, quam reſtituendi pro Pœnitentibus obligationem raro, & nonniſi in neceſſitatis caſibus acceptent.

Moneant Patres, & Matresfamilias, ut ſoliciti, ſedulique ſint circà ſuorum filiorum Chriſtianam educationem, & ſine gravi impoſita pœnitentia tranſgreſſores non abſolvant; potiſſimum autem in ijs caſibus, in quibus filios, & filias grandiuſculas, videlicet ultra ſeptennium, domi detinent, dum Miſſæ Sacrificium peragitur, & Doctrina Chriſtiana explicatur, abſque iuſta, & legitima cauſſa à Confeſſariis diudicanda, qui quidem parentes talia perpetrantes in Excommunicationem incident.

Dum rudium, & puerorum audiunt Confeſſiones, interrogent eos de Myſterijs principalioribus Fidei; potiſſimum tempore Paſchatis, & in ijſdem Myſteriis inſtruant antequam abſolvant.

Animadvertant, ut ſemper, priuſquam abſolvant, pœnitentias imponant, quæ tamen ſint delictorum gravitati proportionatæ, & tales, ut à Pœnitentibus veroſimiliter adimpleantur, nec ſine eorumdem Pœnitentium conſenſu publicè exequendas tradant.

Omnes Parochi, & Confeſſarij Pœnitentes quoquomodo ſolicitantes, ultrà pœnas à Summis Pontificibus inflictas, reminiſcantur ſe in pœnam Suſpenſionis à Divinis ipſo facto incurſuros. Si autem invenerint Confeſſarij, vel Parochi Pœnitentem ab alio fuiſſe in Confeſſione ſolicitatum, ſciant ex Gregorij XV., & Urbani VIII. iuſſionibus ſe eſſe obligatos monere ipſum Pœnitentem, etiamſi ſolicitationi conſenſerit, de obligatione denunciandi Confeſſarium, qui eum ſolicitavit.

Ad evitandam puerorum oppreſſionem, & ſuffocationem, Parochos, & Confeſſarios monemus, ut maximam adhibeant curam in

præcipiendo tàm Viris, quàm Mulieribus, ne cum pueris ante abſolutum annum ſine Capſula dormiant; quod ſi culpabiles repererint, Abſolutionem etiam, quando expediens ſibi videbitur, denegent.

Monemus præterea eos non benè officio ſuo ſatisfacere, qui Confeſſiones ſummatim, & in confuſo, abſque diſtinctione peccatorum, quoad ſpeciem, & quoad numerum, neceſſariò explicanda excipiunt.

Non admittant ad Confeſſionem eos, qui ſine prævio, ac ſufficienti examine accedunt, præſertim quando à longo tempore non ſunt confeſſi. Quod ſi pœnitens, vel morali impotentiâ, vel inculpabili ignorantiâ idoneum Examen Conſcientiæ facere nequeat, aut charitas dictet eum non dimittendum, tunc ſciant ſe teneri ad eiuſdem ignorantiam ſupplendam, diſcretis, aptis, ac capacitati Pœnitentis proportionatis interrogationibus.

Inſuper omnes, maximè qui tenuioris ſunt ſcientiæ, habeant aliquam Caſuum Conſcientiæ Summam, vernaculo, ſeu latino ſermone conſcriptam, eique frequenter ſtudeant.

Caſus, & Excommunicationes Archiepiſcopo Florentino reſervatæ.

Homicidium voluntarium.

Oppreſſio, ſeù puerorum ſuffocatio.

Nefariâ conſuetudine Deum, B. Virginem, vel Sanctos blaſphemantes.

Carnes Feriâ ſextâ, & Sabbato; eaſdemque, & alios vetitos cibos, Quadrageſimæ diebus, aliorumque Jejuniorum ab Eccleſia indictorum, abſque licentia comedentes.

Temeratores Monialium, & Literas amatorias, vel inhoneſtas ſcribentes, mittentes, vel ſcienter portantes, ſeù conſignantes Monialibus, vel Puellis, aliiſque Mulieribus, quocumque titulo intra Clauſtra commorantibus, vel res, aut actus inhoneſtos coram eiſdem agentes, vel de inhoneſtis rebus, ipſis, vel coram ipſis colloquentes, ſint ipſo facto Excommunicati Excommunicatione Nobis reſervatâ.

Laici ementita Patrimonia Clericis ordinandis conficientes, Excommunicati ſint ipſo facto Excommunicatione Nobis reſervatâ.

Monita, & Ordinationes.

Nullus Sacerdos à Caſibus Epiſcopis reſervatis, ſeù contentis in Bulla Cœnæ Domini, & ab aliis quibuſcumque extra illam Apoſtolicæ Sedi reſervatis abſolvere præſumat, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, ut per Decretum Sacræ Congreg. 9. Januarii 1601. editum 26 Novemb. 1602. & ampliatum jubente Urbano VIII. Summo Pontifice 17. Novemb. 1628. Ad-

Admonendi ſunt Parochi, & Confeſsarii, quod, ſi à Nobis facultatem abſolvendi à Caſibus Reſervatis obtinuerint, non ex hoc poſſunt à Cenſuris abſolvere; ſicut è contrà, eos non poſſe à Caſibus Reſervatis abſolvere, quando facultatem abſolvendi à Cenſuris fuerint conſecuti, & Abſolutiones, ſive à Reſervatis, ſive à Cenſuris, ſuffragari Pœnitentibus pro foro Conſcientiæ tantummodo, niſi aliter à Nobis ſpecialiter obtinuerint.

Exiſtentem in proxima voluntaria occaſione peccandi, niſi eâ remotâ, Confeſsarii abſolvere non poſſint.

Nulla ſit Abſolutio Complicis in re venerea, cujus materia abſolutè, & in ſe actio indifferens non judicatur, ſed per ſe in actum carnalem, ſive completum, ſivè incompletum prodit.

Ordinati in Sacris, retrocedentes, & quoquomodo relaxantes, ſeù alienantes Patrimonium, tituli loco ſubrogatum, ſint ipſo facto ſuſpenſi à Divinis, ſuſpenſione Nobis reſervata.

Qui ficto Patrimonio, vel cum pactis de non exigendis ejus fructibus Majores Ordines aſsumpſerint, ipſo facto ſuſpenſionem à Divinis incurrant.

Sacerdotes omnes, & Clerici in Sacris conſtituti, qui, vel in propria Domo, vel in aliena, in quacumque temporis differentia, tàm publicè, quàm privatim Choreas ducunt, duci procurant, ad eumdem effectum propriam Domum de induſtria aliis commodant, Suſpenſione à Divinis Nobis reſervatâ per octo dies ipſo facto ligentur. Qua etiam pœnâ ipſo facto ligari volumus eoſdem Sacerdotes, & Clericos, qui in hujuſmodi Choreis, & tripudiis Cantiones inhoneſtas, & à ſtatu Clericali alienas cantant.

Hanc noſtram paginam, unà cum Bulla Cœnæ, quilibet Parochus, & Confeſsarius penès ſe habeat, eamque frequenter perlegat, ſub pœnis arbitrariis à Nobis declarandis.

Modus abſolvendi regulariter ſervandus ab omnibus Parochis, & Confeſſariis.

SAcerdos poſtquam dixerit: *Miſereatur tui, &c. Indulgentiam, abſolutionem, &c.* dicat: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſolvat, & ego auctoritate ipſius te abſolvo ab omni vinculo Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti in quantum poſſum, & tu indiges. Ego te abſolvo à peccatis tuis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti, & merita B. Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorũ, & quidquid boni feceris, & mali ſuſtinueris ſint tibi in remiſſionem peccatorum, augumentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.*

Si Pœnitens ſit Laicus, omittatur verbum *Suſpenſionis*. In Confeſſionibus frequentioribus, aut brevioribus omitti poterit *Miſereatur, &c. Indulgentiam, &c.* & ſatis erit dicere: *Dominus noſter, &c.* ut in Rituali, vel *Ego te abſolvo à peccatis tuis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Paſſio Domini noſtri, &c.*

Vertente aliquâ gravi neceſſitate in periculo mortis, breviter dicere poterit: *Ego te abſolvo ab omnibus Cenſuris, & peccatis tuis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

THOMAS BONAVENTURA ARCHIEP. FLOR.

Editto ſopra gli Eſercizzj Spirituali da farſi da tutti i Curati, e Confeſſori novelli.

IL ſingolar beneſizio conferito da Dio a' Sacerdoti, mettendogli come fiaccole acceſe ſul Candelliere nella ſua Chieſa, porta ſeco la penſione d' una ben diſtinta corriſpondenza a sì alto Benefattore, con far lume a' Secolari, additando loro, e con eſempj ſanti, e con ſalutevoli ammaeſtramenti la Via della ſalute. Mette il Signore in mano a' Sacerdoti il ſuo Corpo reale, e miſtico, con la diſpenſazione del ſuo diviniſſimo Sangue, onde dipende, e l' onor ſuo, e la ſalute dell' Anime a sì caro prezzo da lui comprare. Quindi ognun ben vede qual debba eſſere l' eſemplarità de' coſtumi, la ſantità de' ſentimenti, e la dottrina di ſpirito, che deve avere un ſacro Miniſtro, particolarmente nel maneggiare i Santiſſimi Sagramenti; che però Noi, cui è a cuore il Divino ſervizio, e la ſalvezza dell' Anime commeſſe alla noſtra cura, conſiderando, che per renderſi meno indegni di sì alto Miniſtero, e più abili ad eſercitarlo con noſtro diſcarico, ed altrui profitto, non vi è mezzo più efficace, che l' uſo degli Eſercizzj Spirituali, per queſto noſtro Editto, ſeguendo in ciò le veſtigia ſempre venerabili del comune Sommo Paſtore, ordiniamo.

Primo, che da tutti quegli, che da quì avanti ſaranno promoſſi a Cura d'Anime, o in titolo perpetuo, o amovibile, ſiccome da tutti i Cappellani, quali otterranno da Noi la licenza d' eſercitare la Cura d'Anime in aiuto de' Parochi, ſi facciano, prima d' andare al poſſeſſo delle loro Chieſe, e reſpettivamente di principiare l' eſercizio della Cura, detti Eſercizzj Spirituali per otto giorni continui nella Caſa de' RR. Padri della Miſſione.

Secondo, che per l' avvenire non ſi dia ad alcun Sacerdote la Patente di Confeſſione, ſe, oltre all'approvazione circa l' idoneità, non averà fatti i ſopraddetti Eſercizzj, come ſopra, e riportata la Fede d' avergli fatti.

Di-

Dichiarando, che in queſto noſtro Editto non s' intendono compreſi i Regolari, perſuadendoci, che da loro ſteſſi eſequiranno, in riguardo alla loro Profeſſione, ciò che s' impone al Clero Secolare; e ſolamente con ogni maggior vivezza ne li preghiamo.

Siccome per ora non s' obbligano, nè i Sacerdoti, che già confeſſano con Patenti veglianti, nè quegli, che eſercitano di preſente Cura d' Anime, perchè ci crediamo, che, conoſcendo per iſperienza quale aiuto abbiſogni per portare peſo sì grave, quale è l' indirizzare altrui per la Via della ſalute, e renderne conto all' Eterno Giudice, ricorreranno volontariamente a sì potente, e neceſſario ſuſſidio, e ad un mezzo sì efficace per rinnovarſi nello ſpirito.

Dat. dal noſtro Palazzo Arciveſc. li 20. Aprile 1705.

TOMMASO ARCIVESC. DI FIRENZE.

Conſtitutio 31. *Innocentii X. incipien.* Cum occaſione,&c. *die* 31. *Maii* 1653., *qua damnantur quinque propoſitiones Libri, cui titulus*: Auguſtinus Cornelii Janſenii Epiſcopi Iprenſis, *confirmata, & declarata ab Alexandro VII. die* 16. *Octob.* 1656. *per aliam Conſtitutionem incipientem*: Ad Sanctam,&c. *& iterum confirmata, & innovata à SS. D. N. Clemente PP. XI. per Conſtitutionem incipien.* Vineam Domini Sabaoth *die* 17. *Auguſti* 1705.

1. Aliqua Dei præcepta hominibus Juſtis volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis Gratia, quà poſſibilia fiant.

2. Interiori Gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur.

3. Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione.

4. Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam Gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.

5. Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut Sanguinem fudiſſe.

Decretum Alexand. PP. VII. ſuper aliquibus Propoſitionibus moralibus Feriâ v. die 24. Septembris 1667.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis, habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram SS. D. N. Alexandro Divinâ Providentiâ Papa VII. ac Eminentiſs & Re-

& Reverendiſs. DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana adverſus hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

SAnctiſſimus D. N., audivit non ſine magno animi ſui mœrore, complures opiniones Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & Animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum ſuſcitari, partim noviter prodire: & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omninò ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet Chriſtianæ vitæ corruptela. Quare, ne ullo unquam tempore viam ſalutis, quam ſuprema veritas Deus, cuius verba in æternum permanent, arctam eſſe definivit, in animarum perniciem dilatari, ſeu veriùs perverti contingeret, idem Sanctiſſimus D. N., ut oves ſibi creditas ab eiuſmodi ſpatioſa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro paſtorali ſolicitudine in rectam ſemitam revocaret, earumdem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſeriò commiſit: qui tantum negotium ſtrenuè aggreſſi, eique ſedulò incumbentes, & maturè diſcuſſis uſque ad hanc diem infraſcriptis Propoſitionibus, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati Suæ ſingillatim expoſuerunt.

1. Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & charitatis ex vi præceptorum Divinorum, ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equeſtris ad duellum provocatus, poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia aſſerens Bullam Cœnæ ſolum prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1626. 18. Julij in Conciſtorio Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium viſa, & tolerata eſt.

4. Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcumque ſeculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.

5. Quamvis evidenter tibi conſtet Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis.

6. Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit Pœnitenti char-

chartam poſteà legendam, in qua ad venerem incitat, non cenſetur ſolicitaſſe in Confeſſione; ac proindè non eſt denunciandus.

7. Modus evadendi obligationem denunciandæ ſolicitationis eſt: ſi ſolicitatus confiteatur cum ſolicitante, hic poteſt ipſum abſolvere, abſque onere denunciandi.

8. Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus, ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Urbani VIII.

9. Poſt Decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, aliâ parte ſtipendii ſibi retentâ.

10. Non eſt contra juſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & Sacrificium unum offerre: Neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam, promiſſione etiam juramento firmatâ, danti ſtipendium, quòd pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeu oblita, ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſſam, non tenemur in ſequenti Confeſſione exprimere.

12. Mendicantes poſſunt abſolvere à Caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtentâ ad id Epiſcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato.

14. Qui facit Confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.

15. Pœnitens propriâ auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui Beneficium Curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Eſt licitum Religioſo, vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus, vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publicè, & coram gravisſimis Viris prædicta impingere, niſi occidatur.

18. Licet interficere falſum Accuſatorem, falſos Teſtes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi aliâ viâ non poteſt innocens damnum evitare.

19. Non peccat Maritus occidens propriâ auctoritate Uxorem in adulterio deprehenſam.

20. Reſtitutio à Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Judicis, eò quòd ſit pœna.

21. Ha-

21. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio literarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi Officium per alium recitet.

22. Non eſt contra juſtitiam Beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia Collator conferens illa Beneficia Eccleſiaſtica pecuniâ interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens Jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult ſe ſubiicere præcepto.

24. Mollities, Sodomia, & Beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ, ideoque ſufficit dicere in Confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit Confeſſionis præcepto, dicens: commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber ſit alicujus junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet rejectam eſſe à Sede Apoſtolica, tamquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſſa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum ſimilium Propoſitionum examini cura, & ſtudium impenditur, intereà idem Sanctiſſimus, re maturè conſideratâ, ſtatuit, & decrevit, prædictas Propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ut minimùm, tamquam ſcandaloſas, eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet; itaùt quicumque illas, aut coniunctim, aut diviſim docuerit, & defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in Excommunicationem, à qua non poſſit, (præterquam in articulo mortis) ab alio, quâcumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi.

Inſuper diſtrictè, in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione divini Judicii, prohibet omnibus Chriſtifidelibus cujuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali ſpecialiſſimâ notâ dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Ioan. Lupus S. Romanæ, & Univerſ. Inquiſit. Not. &c.

Loco ✠ Sigilli.

Aliud

Aliud Decretum ejuſd. S. Pontif.

Feriâ v. die 28. Martii 1666.

SAnctiſſimus D. N. poſt latum Decretum die 24. Septemb. proximè elapſi, quo viginti octo Propoſitiones damnatæ fuerunt, examinatis ſedulò, & accuratè uſque ad hanc diem infraſcriptis aliis, quadrageſimum quintum numerum implentibus, per plures in Sacra Theologia Magiſtros, ac per Eminentiſſimos, & Reverendiſſimos DD. Cardinales adverſus hæreticam pravitatem Generales Inquiſitores, eorum ſuffragia ſingillatim ſuper unaquaque ipſarum audivit.

Propoſitio 29. in die jejunii qui ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum Jejunio.

31. Excuſantur abſolutè à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamſi iter unius diei conficiant.

32. Non eſt evidens, quòd conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſima obliget.

33. Reſtitutio fructuum ob omiſſionem Horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas antea Beneficiarius de fructibus ſui Beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans Officium Paſchale ſatisfacit præcepto.

35. Unico Officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto, pro die præſenti, & craſtino.

36. Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſsè revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie ſunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti Sacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, eſt conſilium, non præceptum.

39. Illa particula *quamprimum*, intelligitur, cùm Sacerdos ſuo tempore confitebitur.

40. Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantùm veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.

41. Non eſt obligandus concubinarius ad eiiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, vulgò *regalo*, dum deficiente illo, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent; & alia famula nimis difficilè inveniretur.

42. Licitum eſt mutuanti aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro Anima relictum non durat plus, quàm per decem annos.

44. Quoàd forum conſcientiæ, Reo correcto, ejuſque contumaciâ ceſſante, ceſſant cenſuræ.

45. Libri prohibiti, donec expurgentur, poſſunt retineri, uſque dum adhibitâ diligentiâ corrigantur.

Quibus maturè penſatis, idem Sanctiſſimus ſtatuit, ac decrevit prædictas Propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ut minimùm, tamquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet: Itaut quicumque illas, aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis, etiam diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in Excommunicationem, à qua non poſſit, (præterquam in articulo mortis) ab alio, quâcumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Chriſtifidelibus, cujuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſimâ notâ dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Ioannes Lupus S. Romanæ, & Univerſ. Inquiſit. Not.

Loco ✠ Sigilli.

Decreta Innocentii XI. quibus variæ damnantur Propoſitiones.

Feriâ v. die 2. Martii 1679.

SAnctiſs. D. N. Innocentius Papa XI. prædictus, ovium ſibi à Deo creditarum ſaluti ſedulò incumbens, & ſalubre opus, in ſegregandis noxiis, doctrinarum paſcuis ab innoxiis à fel. rec. Alexandro VII. Prædeceſſore ſuo inchoatum proſequi volens, plurimas Propoſitiones, partim ex diverſis, vel libris, vel theſibus, ſeu ſcriptis excerptas, & partim noviter adinventas, Theologorum plurium examini, & deindè Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus

con-

contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſubjecit. Quibus Propoſitionibus ſedulò, & accuratè ſæpiùs diſcuſſis, eorumdem Eminentiſſimorum Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem Suam auditis, Idem Sanctiſſimus D. N., re poſteà maturè conſideratâ, ſtatuit, & decrevit pro nunc ſequentes Propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ſicut jacent, ut minimùm, tamquam ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas, eſſe damnandas, & prohibendas, ſicuti eas damnat, & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias Propoſitiones in ipſo non expreſſas, & Sanctitati Suæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas ullatenus approbare.

1. Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramēti relictâ tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi; hinc ſententiâ probabili tantùm utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.

2. Probabiliter exiſtimo Judicem poſſe judicare juxtà opinionem etiam minùs probabilem.

3. Generatim, dum probabilitate, ſive intrinſecâ, ſive extrinſecâ quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excuſabitur Infidelis non credens ductus opinione minùs probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſè quinquenniis, per ſe obligare præceptum Charitatis erga Deum.

7. Tunc ſolùm obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, quâ juſtificari poſſumus.

8. Comedere, & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem non eſt peccatum, modò non obſit valetudini, quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.

9. Opus Conjugii ob ſolam voluptatem exercitum omni penitus caret culpâ, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11. Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.

12. Vix in ſecularibus invenies, etiam in Regibus, ſuperfluum ſtatui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantùm ex ſuperfluo ſtatui.

 13 Si

13. Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicujus triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare; non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem, ut malum Patris, ſed ut bonum cupientis, quia nimirùm ei obventura eſt pinguis hæreditas.

15. Licitum eſt filio gaudere de parricidio Parentis, à ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.

16. Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe.

17. Satis eſt actum Fidei ſemel in vita elicere.

18. Si à poteſtate publica quis interrogetur, Fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & Fidei glorioſum conſulo, tacere, ut peccaminoſum per ſe non damno.

19. Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus Fidei in ſe ipſo ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.

20. Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem.

21. Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem, ſtat cum notitiâ ſolùm probabili revelationis; immò cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus Deus.

22. Non niſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides latè dicta ex teſtimonio Creaturarum, ſimilive motivo ad juſtificationem ſufficit.

24. Vocare Deum in teſtem mendacii levis non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.

25. Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.

26. Si quis, vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propriâ ſponte, ſive recreationis cauſsâ, ſive quocumque alio fine, juret ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit; intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec eſt perjurus.

27. Cauſsa juſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, itaut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.

28. Qui

28. Qui mediante commendatione; vel munere, ad Magiſtratum, vel Officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

30. Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſtè percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.

31. Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.

32. Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſivâ quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.

33. Licitum eſt tàm Hæredi, quàm Legatario contra iniuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere, ſicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam, contra eorum poſſeſſionem iniuſtè impedientem.

34. Licèt procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero eſt, carere animâ rationali, & tunc primùm incipere eamdem habere cùm paritur, ac conſequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

36. Permiſſum eſt furari, non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.

37. Famuli, & Famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam; quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus eſt etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu retrovenditionis prçviè inito cum intentione lucri.

41. Cùm numerata pecunia pretioſior ſit numerandâ, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem, quàm futuram, poteſt

poteſt creditor aliquid ultra ſortem à mutuario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari.

42. Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolùm ſi exigatur tamquam ex juſtitia debitum.

43. Quidni non niſi veniale ſit detrahentis authoritatem magnam ſibi noxiam falſo crimine elidere?

44. Probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam, & honorem defendat. Et ſi hoc non ſit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tamquam pretium, ſed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contra.

46. Et id quoque locum habet, etiam ſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale; immò etiam ſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic ut illud pluris æſtimetur, quam res ſpiritualis.

47. Cùm dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent, Concilium, vel primò videtur per hoc digniores non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparativo pro poſitivo; vel ſecundò, locutione minùs propriâ, ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertiò, quando fit concurſus.

48. Tam clarum videtur fornicationem ſecundùm ſe nullam involvere malitiam, & ſolùm eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi diſſonum videatur.

49. Mollities jure naturæ prohibita non eſt. Unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.

50. Copula cum conjugata, conſentiente marito, non eſt adulterium; ideoque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum.

51. Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandum virginem, & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum ſervandi Feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.

53. Sa-

53. Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immò quatuor ſimul à diverſis Celebrantibus audit.

54. Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad ſe minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confeſſio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis.

57. Probabile eſt ſufficere attritionem naturalem, modò honeſtam.

58. Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem.

59. Licet Sacramentaliter abſolvere dimidiatè tantùm confeſſos ratione magni concurſus Pœnitentium, qualis, ver. gr. poteſt contingere in die magnæ alicujus Feſtivitatis, aut Indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra Legem Dei, Naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio; dummodò ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem.

61. Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quinimò directè, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.

62. Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit.

63. Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi.

64. Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantiâ Myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam, etiam culpabilem, neſciat Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Noſtri Jeſu Chriſti.

65. Sufficit illa Myſteria ſemel crediſſe.

Quicumque autem, cujuſvis conditionis, ſtatus, & dignitatis, illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel diviſim defenderit, vel ediderit, vel de eis diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in Excommunicationem latæ ſententiæ, à qua non poſſit, (præterquam in articulo mortis) ab alio, quâcumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Chriſtifidelibus, cujuſcumque conditionis, dignitatis, & ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecia-

cialiſſimâ notâ dignis, nè prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Tandem, ut ab injurioſis contentionibus Doctores, ſeu Scholaſtici, aut alii quicumque impoſterum ſe abſtineant, & ut paci, & charitati conſulatur, idem Sanctiſſimus in virtute Sanctæ Obedientiæ eis præcipit, ut tàm in Libris imprimendis, ac manuſcriptis, quàm in Theſibus, Diſputationibus, ac Prædicationibus caveant ab omni cenſura, & nota, necnon à quibuſcumque conviciis contra eas Propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc indè controvertuntur, donec à S. Sede recognitæ ſuper iiſdem Propoſitionibus judicium proferatur.

Franciſcus Riccardus S. Rom. & Univerſ. Inquiſ. Not.

Loco ✠ Sigilli.

Aliud Decretum, quo damnantur duæ Propoſitiones.

Feriâ v. die 23. Novembris 1679.

CUm ſupradictis Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. delatæ fuerint hæ duæ Propoſitiones: *Deus donat nobis Omnipotentiam ſuam, ut eâ utamur, ſicut aliquis donat alteri villam, vel librum*; *Et Deus ſubiicit nobis ſuam Omnipotentiam;* eorumdem juſſu per Theologos ad id ſpecialiter SS. D. N. relatæ, & coram Sua Sanctitate propoſitæ, unà cum votis ipſorum Eminentiſſimor. & RR. DD. S. R. E. Cardinalium, Sanctitas Sua decrevit, & mandavit, ut ambæ Propoſitiones omninò prohiberentur, ſicut eas præſenti Decreto damnat, & prohibet, uti temerarias ad minimum, & novas, mandatque, ne quiſquam deinceps, cujuſcumque ſit gradus, ordinis, aut conditionis, illas, vel illarum alterutram audeat imprimere, vel imprimi facere, ſive ſcriptis, aut etiam oretenus docere, vel aſſerere, ſub pœnis, & cenſuris in Indice Librorum prohibitorum contentis, aliiſque Sanctitati Suæ benè viſis.

Franciſcus Riccardus S. Rom. & Univerſ. Inquiſ. Secret.

Loco ✠ Sigilli.

Aliud Decretum, quo damnatur alia Propoſitio.

Feriâ jv. die 18. Novembris 1682.

PRæviâ maturâ conſultatione DD. Conſultorum facta fuit diſcuſſio ſequentis Propoſitionis: *Scientiâ ex Confeſſione acquiſitâ uti licet, modò fiat ſine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine* Pœni-

Pœnitentis, niſi aliud multò gravius ex non uſu ſequatur, in cujus comparatione prius meritò contemnatur, additâ deindè explicatione, ſive limitatione, quòd ſit intelligenda de uſu ſcientiæ ex Confeſſione acquiſitæ cum gravamine Pœnitentis, ſeclusâ quâcumque revelatione, atque in caſu, quo multò gravius gravamen ejuſdem Pœnitentis ex non uſu ſequeretur, & ſtatuerunt dictam Propoſitionem, quatenus admittit uſum dictæ ſcientiæ cum gravamine Pœnitentis, omninò prohibendam eſſe, etiam cum dicta explicatione, ſive limitatione, & præſenti Decreto prohibent, ne quis ultra audeat talem doctrinam publicè, aut privatim docere, aut defendere, ſub pœnis arbitrio Sacræ Congregationis infligendis: mandantes etiam univerſis Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtris, ut ab ea in praxim deducenda prorſus abſtineant.

Franciſcus Riccardus S. Rom. & Univerſ. Inquiſ. Not.

Loco ✠ Sigilli.

Aliud Decretum ſub Innocentio PP. XI. quo damnantur plures Propoſitiones.

COeleſtis Paſtor Chriſtus Dominus, ut jacentem in tenebris Mundum, variiſque gentium erroribus involutum, à poteſtate Diaboli, ſub qua miserè poſt lapſum primi Parentis tenebatur, ſuâ ineffabili miſeratione liberaret, Carnem ſumere, & in Ligno Crucis Chirographo Redemptionis noſtræ affixo, in teſtimonium ſuæ in nos charitatis, ſeſe Hoſtiam viventem Deo pro nobis offerre dignatus eſt; mox rediturus in Cœlum, Eccleſiam Catholicam Sponſam ſuam, tamquam novam Civitatem ſanctam Jeruſalem deſcendentem de Cœlo, non habentem rugam, neque maculam, unam, ſanctamque in Terris relinquens armis potentiæ ſuæ contra Portas Inferi circumvallatam, Petro Apoſtolorum Principi, & Succeſſoribus ejus regendam tradidit, ut doctrinam ab ipſius ore hauſtam, ſanam, rectamque cuſtodirent; nè oves pretioſo ſuo Sanguine redemptæ, pravarum opinionum pabulo in antiquos errores reciderent, quod præcipuè B. Petro mandaſſe Sacræ Literæ docent: cui enim Apoſtolorum, niſi Petro dixit: Paſce oves meas; & rurſus: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos? Quare Nobis, qui, non Noſtris meritis, ſed inſcrutabili Dei Omnipotentis conſilio, in ejuſdem Petri Cathedra pari poteſtate ſedemus, ſemper fixum in animo fuit, ut Populus Chriſtianus eam ſectaretur Fidem, quæ à Chriſto Domino per Apoſtolos

 ſuos

ſuos perpetuâ, & numquam interruptâ traditione prædicata fuit, quamque ipſe uſque ad ſeculi conſummationem permanſuram eſſe promiſit.

Cùm igitur ad Apoſtolatum Noſtrum relatum fuiſſet quemdam *Michaelem de Molinos* prava dogmata, tùm verbo, tùm ſcripto docuiſſe, & in praxim deduxiſſe, quæ, prætextu Orationis quietis, contra Doctrinam, & uſum à Sanctis Patribus ab ipſis naſcentis Eccleſiæ primordiis receptum, Fideles à vera Religione, & à Chriſtianæ pietatis puritate in maximos errores, & turpiſſima quæque inducebant, Nos, cui cordi ſemper fuit, ut Fidelium animæ Nobis ex alto commiſſæ (purgatis pravarum opinionum erroribus) ad optatum ſalutis portum tutò pervenire poſſint, legitimis præcedentibus indiciis, prædictum *Michaelem de Molinos* carceribus mancipari mandavimus; deindè coram Nobis, & Venerabilibus Fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana Generalibus Inquiſitoribus Apoſtolicâ auctoritate ſpecialiter deputatis, auditis pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, eorumque ſuffragiis, tùm voce, tùm ſcripto ſuſceptis, matureque perpenſis, imploratâ etiam S. Spiritus aſſiſtentiâ, cum prædictorum Fratrum Noſtrorum unanimi voto; ad damnationem infraſcriptarum Propoſitionum ejuſdem *Michaelis de Molinos*, à quo fuerunt pro ſuis recognitæ, & de quibus Propoſitionibus, tamquam à ſe dictatis, ſcriptis, communicatis, & creditis, ipſe convictus, & reſpectivè confeſſus fuerat, ut latiùs in Proceſſu, & Decreto de mandato Noſtro lato die 28. Auguſti præſentis anni 1687. devenire ut infra decrevimus.

PROPOSITIONES.

1. Oportet hominem ſuas potentias annihilare. Et hoc eſt Via interna.

2. Velle operari activè eſt Deum offendere, qui vult eſſe ipſe ſolus Agens; & ideò opus eſt ſe ipſum in Deo totum, & totaliter derelinquere, & poſtea permanere velut corpus exanime.

3. Vota de aliquo faciendo ſunt perfectionis impeditiva.

4. Activitas naturalis eſt Gratiæ inimica, impeditque Dei operationes, & veram perfectionem, quia Deus operari vult in nobis ſine nobis.

5. Nihil operando Anima ſe annihilat, & ad ſuum principium redit, & ad ſuam originem, quæ eſt eſſentia Dei, in qua transformata remanet, ac divinizata, & Deus tunc in ſeipſo remanet; quia tunc non ſunt amplius duæ res unitæ, ſed una tantùm: & hac ratione Deus vivit, & regnat in nobis, & Anima ſe ipſam annihilat in eſſe operativo.

6. Via

6. Via interna eſt illa, in qua non cognoſcitur, nec lumen, nec amor, nec reſignatio, & non oportet Deum cognoſcere; & hoc modo rectè proceditur.

7. Non debet Anima cogitare, nec de præmio, nec de punitione, nec de Paradiſo, nec de Inferno, nec de Morte, nec de æternitate.

8. Non debet velle ſcire an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate reſignata maneat, necnè; nec opus eſt, ut velit cognoſcere ſuum ſtatum, nec proprium nihil, ſed debet ut corpus exanime manere.

9. Non debet Anima reminiſci, nec ſui, nec Dei, nec cujuſcumque rei, & in Via interna omnis reflexio eſt nociva, etiam reflexio ad ſuas humanas actiones, & ad proprios defectus.

10. Si propriis defectibus alios ſcandalizet non eſt neceſſarium reflectere, dummodò non adſit voluntas ſcandalizandi; & ad proprios defectus non poſſe reflectere gratia Dei eſt.

11. Ad dubia, quæ occurrunt an rectè procedatur necnè, non opus eſt reflectere.

12. Qui ſuum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de Inferno, nec de Paradiſo; nec debet deſiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ Sanctitatis, nec propriæ ſalutis, cujus ſpem purgare debet.

13. Reſignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda eſt cogitatio, & cura de omni re noſtra, & relinquere, ut faciat in nobis ſine nobis ſuam Divinam voluntatem.

14. Qui Divinæ voluntati reſignatus eſt, non convenit, ut à Deo rem aliquam petat; quia petere eſt imperfectio, cùm ſit actus propriæ voluntatis, & electionis, & eſt velle, quòd Divina voluntas noſtræ conformetur, & non quòd noſtra Divinæ. Et illud Evangelii: *Petite, & accipietis*, non eſt dictum à Chriſto pro Animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem. Imò hujuſmodi Animæ eò perveniunt, ut non poſſint à Deo rem aliquam petere.

15. Sicut non debent à Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent; quia utrumque eſt actus propriæ voluntatis.

16. Non convenit Indulgentias quærere pro pœna propriis peccatis debita; quia melius eſt Divinæ Juſtitiæ ſatisfacere, quàm Divinam Miſericordiam quærere; quoniam illud ex puro Dei amore procedit, & iſtud ab amore noſtri intereſſato, nec eſt res Deo grata, nec meritoria, quia eſt velle Crucem fugere.

17. Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relictâ curâ, & cognitione Animæ noſtræ, non eſt amplius habenda ratio tentationum, nec eis alia reſiſtentia fieri debet, niſi negativa, nulla adhibita induſtria; & ſi natura commovetur, oportet ſinere, ut commoveatur; quia eſt natura.

18. Qui in Oratione utitur Imaginibus, Figuris, ſpeciebus, & propriis conceptibus, non adorat Deum in ſpiritu, & veritate.

19. Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, aut Intellectus comprehendit, non amat verum Deum.

20. Aſſerere, quòd in Oratione opus eſt ſibi per diſcurſum auxilium ferre, & per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia eſt. Deus numquam loquitur: ejus locutio eſt operatio; & ſemper in Anima operatur, quando hæc ſuis diſcurſibus, cogitationibus, & operationibus eum non impedit.

21. In Oratione opus eſt manere in fide obſcura, & univerſali, cum quiete, & oblivione cujuſcumque cogitationis particularis, ac diſtinctè Attributorum Dei, ac Trinitatis, & ſic in Dei præſentia manere ad illum adorandum, & amandum, eique inſerviendum, ſed abſque productione actuum, quia Deus in his ſibi non complacet.

22. Cognitio hæc per fidem non eſt actus à creatura productus, ſed eſt cognitio à Deo Creaturæ tradita, quam Creatura ſe habere non cognoſcit, nec poſtea cognoſcit illam ſe habuiſſe; & idem dicitur de Amore.

23. Myſtici cum S. Bernardo in Scala Clauſtralium diſtinguunt quatuor gradus, Lectionem, Meditationem, Orationem, & Contemplationem infuſam. Qui ſemper in primo ſiſtit, numquam ad ſecundum pertranſit. Qui ſemper in ſecundo perſiſtit, numquam ad tertium pervenit, qui eſt noſtra contemplatio acquiſita; in qua per totam vitam perſiſtendum eſt, dummodò Deus Animam non trahat, abſque eo quòd ipſa id expectet, ad contemplationem infuſam, & hac ceſſante, Anima regredi debet ad tertium gradum, & in ipſo permanere, abſque eo quòd ampliùs redeat ad ſecundum, aut primum.

24. Qualeſcumque cogitationes in Oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra Deum, Sanctos, Fidem, & Sacramenta, ſi voluntariè non nutriantur, nec voluntariè expellantur, ſed cum indifferentia, & reſignatione tolerentur, non impediunt Orationem Fidei; imò eam perfectiorem efficiunt; quia Anima tunc magis Divinæ voluntati reſignata remanet.

25. Etiamſi ſuperveniat ſomnus, & dormiatur, nihilominus fit Ora-

Digitized by Google

Oratio, & contemplatio actualis; quia Oratio, & reſignatio, reſignatio, & Oratio idem ſunt; & dum reſignatio perdurat, perdurat & Oratio.

26. Tres illæ viæ, Purgativa, Illuminativa, & Unitiva ſunt abſurdum maximum, quod dictum fuerit in Myſtica; cùm non ſit niſi unica via, ſcilicet via Interna.

27. Qui deſiderat, & amplectitur devotionem ſenſibilem, non deſiderat, nec quærit Deum, ſed ſe ipſum, & malè agit, cùm eam deſiderat, & eam habere conatur, qui per viam Internam incedit, tàm in locis Sacris, quàm in diebus ſolemnibus.

28. Tædium rerum ſpiritualium bonum eſt; ſiquidem per illud purgatur amor proprius.

29. Dum anima interna faſtidit diſcurſus de Deo, & virtutes, & frigida remanet, nullum in ſe ipſa ſentiens fervorem, bonum ſignum eſt.

30. Totum ſenſibile, quod experimur in vita ſpirituali, eſt abominabile, ſpurcum, & immundum.

31. Nullus Meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent à ſenſibus cognoſci. Opus eſt amittere virtutes.

32. Nec ante, nec poſt Communionem alia requiritur præparatio, aut gratiarum actio (pro iſtis Animabus internis) quàm permanentia in ſolita reſignatione paſſiva, quia modo perfectiore ſupplet omnes actus virtutum, qui poſſunt, & fiunt in via ordinaria. Et ſi hac occaſione Communionis inſurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi ſunt, quoties non dignoſcatur eos eſſe ex impulſu ſpeciali Dei; aliàs ſunt impulſus naturæ, non dum mortuæ.

33. Malè agit Anima, quæ procedit per hanc Viam internam, ſi in diebus ſolemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in ſe devotum aliquem ſenſum, quoniam Animæ Internæ omnes dies ſunt æquales, omnes feſtivi. Et idem dicitur de locis Sacris, quia hujuſmodi animabus omnia loca æqualia ſunt.

34. Verbis, & linguâ gratias agere Deo non eſt pro Animabus internis, quæ in ſilentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo, quod operetur in illis: & quo magis Deo ſe reſignant, experiuntur ſe non poſſe Orationem Dominicam, ſeu Pater noſter recitare.

35. Non convenit Animabus hujus Viæ internæ, quod faciant operationes etiam virtuoſas ex propria electione, & activitate, aliàs non eſſent mortuæ: nec debent elicere actus amoris ergà B. Virginem,

nem, Sanctos, aut Humanitatem Chriſti; quia cum iſta objecta ſenſibilia ſint, talis eſt amor erga illa.

36. Nulla creatura, nec B. Virgo, nec Sancti ſedere debent in noſtro corde, quia ſolus Deus vult illud occupare, & poſſidere.

37. In occaſione tentationum, etiam furioſarum, non debet Anima elicere actus explicitos virtutum oppoſitarum; ſed debet in ſupradicto amore, & reſignatione permanere.

38. Crux voluntaria mortificationum pondus grave eſt, & infructuoſum, ideoque dimittenda.

39. Sanctiora opera, & pœnitentiæ, quas peregerunt Sancti, non ſufficiunt ad removendam ab Anima, vel unicam adhæſionem.

40. Beata Virgo nullum unquam opus exterius peregit, & tamen fuit Sanctis omnibus ſanctior. Igitur ad ſanctitatem perveniri poteſt abſque opere exteriori.

41. Deus permittit, & vult, ad nos humiliandos, & ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, Dœmon violentiam inferat earum corporibus, eaſque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia, & ſine mentis offuſcatione, movendo phyſicè illorum manus, & alia membra contra earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per ſe peccaminoſos, in quo caſu non ſunt peccata, quia in his non adeſt conſenſus.

42. Poteſt dari caſus, quod hujuſmodi violentiæ ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum perſonarum, ſcilicet maris, & fœminæ, & ex parte utriuſque ſequatur actus.

43. Deus præteritis ſæculis Sanctos efficiebat Tyrannorum miniſterio, nunc verò eos efficit Sanctos miniſterio Dœmonum, qui, cauſando in eis prædictas violentias, faciunt, ut illi ſeipſos magis deſpiciant, atque annihilent, & ſe Deo reſignent.

44. Job blaſphemavit, & tamen non peccavit labiis ſuis, quia fuit ex Dœmonis violentia.

45. Sanctus Paulus hujuſmodi Dœmonis violentias in ſuo corpore paſſus eſt, unde ſcripſit: *Non quod volo bonum, hoc ago, ſed quod nolo malum, hoc facio.*

46. Hujuſmodi violentiæ ſunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, & ad eam ad veram transformationem, & unionem perducendam, nec alia ſupereſt via. Et hæc eſt via facilior, & tutior.

47. Cùm hujuſmodi violentiæ occurrunt, ſinere oportet, ut Satanas operetur, nullam adhibendo induſtriam, nullumque proprium

cona-

conatum, ſed permanere debet homo in ſuo nihilo, & etiamſi ſequantur pollutiones, & actus obſcœni propriis manibus, & etiam pejora, non opus eſt ſeipſum inquietare; ſed foras emittendi ſunt ſcrupuli, dubia, & timores, quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magiſque candida, & acquiritur ſancta libertas. Et præ omnibus non opus eſt hæc confiteri, & ſanctiſſimè fit non confitendo, quia hoc pacto ſuperatur Dæmon, & acquiritur theſaurus pacis.

48. Satanas, qui hujuſmodi violentias infert, ſuadet deinde gravia eſſe delicta, ut anima ſe inquietet, ne in Via interna ulteriùs progrediatur; unde ad ejus vires enervandas, melius eſt ea non confiteri, quia non ſunt peccata, nec etiam venialia.

49. Job ex violentia Dæmonis ſe propriis manibus polluebat eodem tempore, quo *mundas habebat ad Deum preces* (ſic interpretando locum ex cap. 16. Job.)

50. David, Jeremias, & multi ex Sanctis Prophetis hujuſmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.

51. In Sacra Scriptura multa ſunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminoſos; uti illud de Samſone, qui per violentiam ſe ipſum occidit cum Philiſtæis, conjugium iniit cum alienigena, & cum Dalila meretrice fornicatus eſt, quæ aliàs erant prohibita, & peccata fuiſſent. De Juditha, quæ Holopherni mentita fuit. De Eliſæo, qui pueris maledixit. De Elia, qui combuſſit Duces cum turmis Regis Achab. An verò fuerit violentia immediatè à Deo peracta, vel Dæmonum miniſterio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.

52. Cùm hujuſmodi violentiæ, etiam impuræ, abſque mentis offuſcatione accidant, tunc Anima Deo poteſt uniri, & de facto ſemper magis unitur.

53. Ad cognoſcendum in praxi, an aliqua operatio in aliis perſonis fuerit violentia, regula, quam de hoc habeo, nedum ſunt proteſtationes Animarum illarum, quæ proteſtantur ſe dictis violentiis non conſenſiſſe, aut jurare non poſſe, quòd in iis conſenſerint; & videre, quòd ſint Animæ, quæ proficiunt in Via interna, ſed regulam ſumere à lumine quodam actuali cognitione humanâ, ac Theologicâ ſuperiore, quòd me certò cognoſcere facit cum interna certitudine, quòd talis operatio eſt violentia, & certus ſum, quòd hoc lumen à Deo procedit, quia ad me pervenit conjunctum cum certitudine, quòd à Deo proveniat, & mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium, eo modo, quo interdum contingit, quòd Deus aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quòd ipſe ſit, qui revelat, & anima in contrarium non poteſt dubitare.

54. Spi-

54. Spirituales vitæ ordinariæ in hora mortis ſe deluſos invenient, & confuſos, & cum omnibus paſſionibus in alio Mundo purgandis.

55. Per hanc viam internam pervenitur, etſi multa cum ſufferentia, ad purgandas, & extinguendas omnes paſſiones; ita quòd nihil amplius ſentitur, nihil nihil; nec ulla ſentitur inquietudo, ſicut corpus mortuum, nec anima ſe ampliùs commoveri ſinit.

56. Duæ leges, & duæ cupiditates, animæ una, & amoris proprii altera, tamdiù perdurant, quamdiù perdurat amor proprius; undè, quando hic purgatus eſt, & mortuus, ut fit per viam internam, non adſunt ampliùs illæ duæ leges, & duæ cupiditates, nec ulteriùs lapſus aliquis incurritur, nec aliquid ſentitur ampliùs, nequidem veniale peccatum.

57. Per contemplationem acquiſitam pervenitur ad ſtatum non faciendi amplius peccata, nec mortalia, nec venialia.

58. Ad hujuſmodi ſtatum pervenitur, non reflectendo ampliùs ad proprias operationes; quia defectus ex reflexione oriuntur.

59. Via interna ſejuncta eſt à Confeſſione, à Confeſſariis, & à Caſibus conſcientiæ, à Theologis, & Philoſophia.

60. Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, & eò etiam perveniunt, ut ſint mortuæ; Deus confeſſionem aliquando efficit impoſſibilem, & ſupplet ipſe tantâ gratiâ perſeverante, quantam in Sacramento reciperent; & ideò hujuſmodi animabus non eſt bonum in tali caſu ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, quia id eſt illis impoſſibile.

61. Anima, cùm ad mortem myſticam pervenit, non poteſt ampliùs aliud velle, quàm quod Deus vult, quia non habet ampliùs voluntatem, & Deus illi eam abſtulit.

62. Per viam internam pervenitur ad continuum ſtatum immobilem in pace imperturbabili.

63. Per viam internam pervenitur etiam ad mortem ſenſuum; quinimò ſignum, quod quis in ſtatu nihilitatis maneat, id eſt mortis myſticæ, eſt, ſi ſenſus exteriores non repræſentent ampliùs res ſenſibiles, ac ſi non eſſent: quia non perveniunt ad faciendum, quòd intellectus ſe ad eas applicet.

64. Theologus minorem diſpoſitionem habet, quàm homo rudis, ad ſtatum contemplativi; Primò, quia non habet fidem adeò puram; Secundò, quia non eſt adeò humilis; Tertiò, quia non adeò curat propriam ſalutem; Quartò, quia caput refertum habet phantaſmatibus, ſpeciebus, opinionibus, & ſpeculationibus, & non poteſt in illum ingredi verum lumen.

65. Præ-

65. Præpoſitis obediendum eſt in exteriori, & latitudo voti obedientiæ Religioſorum tantummodò ad exterius pertingit. In interiori verò aliter res ſe habet, quò ſolus Deus, & Director intrant.

66. Riſu digna eſt nova quædam doctrina in Eccleſia Dei, quòd anima quoàd internum gubernari debeat ab Epiſcopo; quòd ſi Epiſcopus non ſit capax, anima ipſum cum ſuo directore adeat. Novam, dico, doctrinam, quia nec Sacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Authores eam unquam tradiderunt, nec tradere poſſunt; quia Eccleſia non judicat de occultis, & anima jus habet eligendi quemcumque ſibi benè viſum.

67. Dicere, quòd internum manifeſtandum eſt exteriori Tribunali Præpoſitorum, & quòd peccatum ſit id non facere, eſt manifeſta deceptio, quia Eccleſia non judicat de occultis; & propriis animabus præjudicant his deceptionibus, & ſimulationibus.

68. In mundo non eſt facultas, nec juriſdictio ad præcipiendum, ut manifeſtentur Epiſtolæ Directoris quoàd internum animæ; & ideò opus eſt animadvertere, quòd hoc eſt inſultus Satanæ, &c.

QUas quidem Propoſitiones tanquam hæreticas, ſuſpectas, erroneas, ſcandaloſas, blaſphemas, piarum aurium offenſivas, temerarias, Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & everſivas, & ſeditioſas reſpectivè, ac quæcumque ſuper iis verbo, ſcripto, vel typis emiſſa, pariter cum voto eorumdem Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & Inquiſitorum Generalium damnavimus circumſcripſimus, & abolevimus: deque eiſdem, & ſimilibus omnibus, & ſingulis poſt hac quoquo modo loquendi, ſcribendi, diſputandi, eaſque credendi, tenendi, docendi, aut in praxim reducendi facultatem quibuſcumque interdiximus, & contrafacientes omnibus Dignitatibus, Gradibus, Honoribus, Beneficiis, & Officiis ipſo facto perpetuò privavimus, & inhabiles ad quæcumque decrevimus, vinculoque etiam anathematis eò ipſo innodavimus, à quo, niſi à Nobis, & à Romanis Pontificibus Succeſſoribus Noſtris non valeant abſolvi. Prætereà eodem Noſtro Decreto prohibuimus, & damnavimus omnes libros, omniaque opera quocumque loco, & idiomate impreſſa, necnon omnia manuſcripta ejuſdem *Michaelis de Molinos*, vetuimuſque, ne quis, cujuſcumque gradus, conditionis, vel ſtatus, etiam ſpeciali notâ dignus, audeat ſub quovis prætextu, quolibet pariter idiomate, ſive ſub eiſdem verbis, ſub æqualibus, aut æquipollentibus, ſivè abſque nomine, ſeu ficto, aut alieno nomine ea imprimere, vel imprimi facere, neque impreſſa, ſeu manuſcripta legere, vel apud ſe retinere, ſed Ordinariis Locorum, aut hæreticæ

Digitized by Google

pravitatis Inquiſitoribus ſtatim tradere, & conſignare teneantur, ſub eiſdem pœnis ſuperiùs inflictis, qui Ordinarii, & Inquiſitores ſtatim ea igni comburant, vel comburi faciant. Tandem, ut prædictus *Michael de Molinos*, ob hæreſes, errores, & turpia facta prædicta, debitis pœnis in aliorum exemplum, & ipſius emendationem plecteretur, lecto in eadem Noſtra Congregatione toto Proceſſu, & auditis dilectis Filiis Conſultoribus Noſtris Sanctæ Inquiſitionis Officii, in Sacra Theologia, & in jure Pontificio Magiſtris, cum eorumdem Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium unanimi voto, dictum *Michaelem de Molinos*, tamquam Reum convictum, & confeſſum reſpectivè, & uti hæreticum formalem, licèt pœnitentem, in pœnam arcti, & perpetui carceris, & ad peragendas alias pœnitentias ſalutares, prævia tamen abjuratione de formali per ipſum emittendâ, ſervato juris ordine damnavimus: mandantes, ut die, & horâ præfigendis in Eccleſia Sanctæ Mariæ ſupra Minervam hujus Almæ Urbis, præſentibus omnibus Venerabilibus Fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus, & Romanæ Curiæ Noſtræ Prælatis, univerſoque Populo, ad id etiam per conceſſionem Indulgentiarum convocando, ex alto tenor Proceſſus, ſtante in ſuggeſto eodem *Michaele de Molinos*, unà cum ſententia indè ſequuta legeretur, & poſtquam idem *de Molinos*, habitu pœnitentiæ indutus, prædictos errores, & hæreſes publicè abjuraſſet, facultatem dedimus dilecto Filio Noſtro Sancti Officii Commiſſario, ut eum à cenſuris, quibus innodatus erat, in forma Eccleſiæ conſueta abſolveret; quæ omnia in executionem dictæ Noſtræ Ordinationis die 3. Septembris labentis anni ſolemniter adimpleta ſunt.

Et licèt ſupra narratum Decretum de mandato Noſtro lectum, ad majorem Fidelium cautelam, typis editum, publicis locis affixum, & divulgatum fuerit, nihilominus, ne hujus Apoſtolicæ damnationis memoria futuris temporibus deleri poſſit, utque populus Chriſtianus Catholicâ veritate inſtructior per viam ſalutis incedere valeat, Prædeceſſorum Noſtrorum Summorum Pontificum veſtigiis inhærentes, hac Noſtrâ perpetuò valiturâ conſtitutione ſupradictum Decretum denuò approbamus, confirmamus, & debitæ executioni tradi mandamus, iterum ſupradictas Propoſitiones diffinitivè damnantes, & reprobantes, libroſque, & manuſcripta ejuſdem *Michaëlis de Molinos* prohibentes, & interdicentes, ſub eiſdem pœnis, & cenſuris contra tranſgreſſores latis, & inflictis.

Decernentes inſuper præſentes literas ſemper, & perpetuò validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effe-

effectus ſortiri, & obtinere: ſicque per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, quâvis auctoritate fungentes, & functuros, ubique judicari, & definiri debere, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum, & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam quâvis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo alicujus Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides prorſus adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Noſtræ approbationis, confirmationis, damnationis, reprobationis, punitionis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire: ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo ſeptimo, duodecimo Kalend. Decembris. Pontificatus Noſtri Anno duodecimo.

I. F. Albanus. *F. Datarius.*

Viſa de Curia S. de Pilatris. Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Loco ✠ Plumbi. *D. Ciampinus.*

Decreta Alexandri PP. VIII. contra varias Propoſitiones.

Feriâ v. die 24. Auguſti 1690.

SAnctiſs. D. N. Alexander Papa VIII. non ſine magno animi ſui mœrore, audivit duas Theſes, ſeù Propoſitiones, unam denuò, & in majorem Fidelium perniciem ſuſcitari, alteram de novo erumpere; & cùm ſui Paſtoralis Officii munus ſit oves ſibi creditas à noxiis paſcuis avertere, & ad ſalutaria ſemper dirigere, dictarum Theſium, ſive Propoſitionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deindè Eminentiſſimis, Reverendiſſimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſedulò commiſit, qui pluriès re maturè diſcuſsâ, de infraſcriptis Theſibus, ſeu Propoſitionibus, & ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati Suæ ſingillatim expoſuerunt.

1. *Bonitas objectiva conſiſtit in convenientia objecti cum natura rationali: Formalis verò in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc ſufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè*

ſivè = *HUNC MODO NON TENETUR AMARE, NEQUE IN PRINCIPIO, NEQUE IN DECURSU VITÆ SUÆ MORALIS.*

2. *Peccatum Philoſophicum, ſeù morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum verò, & mortale eſt tranſgreſſio libera Divinæ Legis. Philoſophicum, quantumvis grave, in illo, qui Deum, vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æternâ pœnâ dignum.*

Quibus peractis, Sanctiſſimus, omnibus plenè, & maturè conſideratis, primam Theſim, ſeù Propoſitionem declaravit hæreticam, & uti talem damnandam, & prohibendam eſſe, ſicuti damnat, & prohibet, ſub cenſuris, & pœnis contra Hæreticos, & eorum fautores in jure expreſſis; Secundam Theſim, ſeù Propoſitionem declaravit ſcandaloſam, temerariam, piarum aurium offenſivam, & erroneam, & uti talem damnandam, & prohibendam eſſe, ſicuti damnat, & prohibet, itaùt quicumque illam docuerit, defenderit, ediderit, aut de ea etiam diſputativè publicè, ſeù privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in Excommunicationem, à qua non poſſit, (præterquam in articulo mortis) ab alio, quâcumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi. Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione divini Judicii, prohibet omnibus Chriſtifidelibus, cujuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſimâ notâ dignis, nè prædictam Theſim, ſeu Propoſitionem ad praxim deducant.

Alexander Speronus S. Rom. & Univerſ. Inquiſ. Not.

Loco ✠ Sigilli.

Aliud Decretum ejuſdem S. Pontif.

Feriâ v. die 7. Decembris 1690.

SAnctiſs. D. N. Alexander Divina Providentia PP. VIII. prædictus: Pro Paſtorali cura ovium à Chriſto Domino ſibi commiſſa, de earum ſalute ſolicitus, ut inoffenſo gradu per rectas ſemitas poſſint incedere, & paſcua nimiùm pernicioſa in pravis doctrinis exhibita vitare, unius ſupra triginta Propoſitionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deindè Eminentiſſimis, ac Reverendiſſimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus commiſit, qui tantum negocium diligenter aggreſſi, eique ſedulò, ac pluriès incumbentes, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati Suæ ſingillatim detulerunt.

Pro-

Propoſitiones autem ſunt infraſcriptæ, videlicet.

1. IN ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum, ſufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in cauſſa ſua peccato originali, & libertate Adami peccantis.

2. Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat à peccato formali.

3. Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam.

4. Dedit ſemetipſum pro nobis oblationem Deo, non pro ſolis Electis, ſed pro omnibus, & ſolis Fidelibus.

5. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omninò accipiunt a Jeſu Chriſto influxum, adeoque hinc rectè inferes in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem, ſine omni gratia ſufficienti.

6. Gratia ſufficiens ſtatui noſtro, non tàm utilis, quàm pernicioſa eſt; ut proin dè meritò poſſimus petere: *A gratia ſufficienti libera nos Domine.*

7. Omnis humana actio deliberata eſt Dei dilectio, vel Mundi, ſi Dei, charitas Patris eſt, ſi Mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt, mala eſt.

8. Neceſſè eſt Infidelem in omni opere peccare.

9. Re verâ peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & diſconvenientiam cum natura rationali, ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu.

10. Intentio, quâ quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, merè ut Cœleſtem obtineat gloriam, non eſt recta, nec Deo placens.

11. Omne, quod non eſt ex Fide Chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides, & etiamſi videantur credere, non eſt Fides Divina, ſed humana.

13. Quiſquis, etiam æternæ mercedis intuitu, Deo famulatur, charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis.

15. Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ Dei, propter ſe non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis.

16. Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni induxit, non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio, naturâ rei id ipſum quodammodo dictante.

17.

17. Per illam praxim mox abſolvendi, ordo pœnitentiæ eſt inverſus.

18. Conſuetudo moderna quoàd adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu.

19. Homo debet agere totâ vitâ pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confeſſiones apud Religioſos factæ, pleræque, vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ.

21. Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui eleemoſynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, ſeu ſatisfactione, ob quæſtum, ſeù lucrum ſubſidii temporalis.

22. Sacrilegi ſunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint.

23. Similiter arcendi ſunt à Sacra Communione, quibus nondum ineſt Amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in Templo, quæ fiebat à Beata Virgine Maria in die Purificationis ſuæ per duos pullos Columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccatis, ſufficienter teſtatur, quòd indiguerit purificatione, & quòd filius, qui offerebatur, etiam maculâ matris maculatus eſſet, ſecundum verba legis.

25. Dei Patris ſedentis Simulacrum nefas eſt Chriſtiano in Templo collocare.

26. Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana eſt.

27. Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus: *In nomine Patris, &c.* prætermiſſis illis: *Ego te baptizo.*

28. Valet Baptiſmus collatus à Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, intus verò in corde ſuo apud ſe reſolvit: *Non intendo facere, quod facit Eccleſia.*

29. Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in Fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani VIII. *In eminenti*, eſt ſubreptitia.

Quibus maturè conſideratis, idem Sanctiſſimus ſtatuit, & decre- vit.

Digitized by Google

vit 31. ſupradictas Propoſitiones, tamquam temerarias, ſcandaloſas, malè ſonantes, injurioſas, hæreſi proximas, hæreſim ſapientes, erroneas, ſchiſmaticas, & hæreticas reſpectivè eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, & prohibet; itaut quicumque illas, aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis, etiam diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in Excommunicationem, à qua non poſſit, (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Chriſtifidelibus, cujuſcumque conditionis, dignitatis, & ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſimâ notâ dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Non intendit tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias Propoſitiones in majori numero, ultra ſupradictas 31. jam exhibitas, & in hoc Decreto non expreſſas approbare.

Alexander Speronus S. Rom. & Univerſ. Inquiſ. Not.

Loco ✠ Sigilli.

Damnatio, & prohibitio Libri Pariſiis, anno 1697. *impreſſi, cui titulus:* Explication des Maximes des Saints ſur la Vie interiure, &c.

Innocentius Papa XII. Ad perpetuam rei memoriam.

CUm aliàs ad Apoſtolatus Noſtri notitiam pervenerit in lucem prodiiſſe Librum quemdam Gallico idiomate editum, cui titulus: *Explication des Maximes des Saints ſur la Vie interiure, par Meſſire Francois de Salignac Fenelon, Archivèque Duc de Cambray, Precepteure de Meſſeigneurs les Ducs de Bourgogne, d'Anjou, & de Berry. A Paris chez Pierre Aubovin, Pierre Emery, Charles Clouſier* 1697. Ingens verò ſubindè de non ſana Libri hujuſmodi doctrina excitatus in Gallis rumor adeò percrebuerit, ut opportunam Paſtoralis vigilantiæ Noſtræ opem flagitaverit; Nos eumdem Librum nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus, aliiſque in Sacra Theologia Magiſtris maturè, ut rei gravitas poſtulare videbatur, examinandum commiſimus. Porrò hi mandatis Noſtris obſequentes, poſtquam in quamplurimis Congregationibus varias Propoſitiones ex eodem Libro excerptas diuturno, accuratoque examine diſcuſſerant, quid ſuper earum ſingulis ſibi videretur, tàm

voce,

voce, quàm ſcripto Nobis expoſuerunt. Auditis igitur in pluribus itidem coram Nobis deſuper actis Congregationibus memoratorum Cardinalium, & in Sacra Theologia Magiſtrorum ſententiis, Dominici Gregis Nobis ab Æterno Paſtore crediti periculis, quantum Nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, librum prædictum ubicumque, & quocumque alio idiomate, ſeù quâvis editione, aut verſione hucuſque impreſſum, aut impoſterum imprimendum, quippè ex cujus lectione, & uſu Fideles ſenſim in errores ab Eccleſia Catholica jam damnatos induci poſſent, ac inſuper tamquam continentem Propoſitiones, ſive in obvio earum verborum ſenſu, ſive attentâ ſententiarum connexione, temerarias, ſcandaloſas, malè ſonantes, piarum aurium offenſivas, in praxi pernicioſas, ac etiam erroneas reſpectivè, tenore præſentium damnamus, & reprobamus, ipſiuſque libri impreſſionem, deſcriptionem, electionem, retentionem, & uſum, omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus, etiam ſpecificâ, & individuâ mentione, & expreſſione dignis, ſub pœna Excommunicationis per contrafacientes ipſo facto, abſque alia declaratione incurrenda interdicimus, & prohibemus. Volentes, & Apoſtolicâ auctoritate mandantes, ut quicumque ſupradictum librum penès ſe habuerint, illum ſtatim atque præſentes literæ eis innotuerint, Locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus tradere, ac conſignare omninò teneantur. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Cæterum Propoſitiones in dicto libro contentæ, quas Apoſtolici cenſurâ judicii, ſicut præmittitur, configendas duximus, ex Gallico idiomate in latinum verſæ, ſunt tenoris, qui ſequitur, videlicet.

1. Datur habitualis ſtatus amoris Dei, qui eſt Charitas pura, & ſine ulla mixtione motivi proprii intereſſe. Neque timor pœnarum, neque deſiderium remunerationum habent ampliùs in eo partem. Non amatur ampliùs Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.

2. In ſtatu vitæ contemplativæ, ſeu unitivæ amittitur omne motivum intereſſatum timoris, & ſpei.

3. Id, quod eſt eſſentiale in directione animæ, eſt non aliud facere, quàm ſequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, præcautione, & ſubtilitate. Oportet ſe intra hos limites continere, ut ſinatur Deus agere, & numquam ad purum amorem ducere, niſi quando Deus per junctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeò durum eſt animabus adhuc ſibimet affixis, & adeò poteſt illas ſcandalizare, aut in perturbationem conjicere.

4. In

4. In ſtatu ſanctæ indifferentiæ anima non habet ampliùs deſideria voluntaria, & deliberata propter ſuum intereſſe, exceptis ijs occaſionibus, in quibus toti ſuæ gratiæ fideliter non cooperatur.

5. In eodem ſtatu ſanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut ſimus perfecti, & beati propter intereſſe proprium, ſed omnem perfectionem, ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res iſtas impreſſione ſuæ gratiæ.

6. In hoc ſanctæ indifferentiæ ſtatu nolumus ampliùs ſalutem, ut ſalutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem noſtrorum meritorum, ut noſtrum intereſſe omnium maximum; ſed eam volumus voluntate plenâ, ut gloriam, & beneplacitum Dei, ut rem, quam ipſe vult, quam nos vult velle propter ipſum.

7. Derelictio non eſt, niſi abnegatio, ſeu ſui ipſius renunciatio, quam Jeſus Chriſtus à nobis in Evangelio requirit, poſtquam externa omnia reliquerimus. Iſta noſtri ipſorum abnegatio non eſt, niſi quoad intereſſe proprium. Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio, ſeu ſui ipſius derelictio exerceri debet, ſunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei oſtendendo perfugium, neque ullam ſpem, quoad ſuum intereſſe proprium, etiam æternum.

8. Omnia ſacrificia, quæ fieri ſolent ab Animabus, quàm maximè diſintereſſatis circa earum æternam beatitudinem, ſunt conditionalia. Sed hoc ſacrificium non poteſt eſſe abſolutum in ſtatu ordinario. In uno extremarum probationum caſu hoc ſacrificium fit aliquo modo abſolutum.

9. In extremis probationibus poteſt animæ invincibiliter perſuaſum eſſe perſuaſione reflexâ, quæ non eſt intimus conſcientiæ fundus, ſe juſtè reprobatam eſſe à Deo.

10. Tunc anima diviſa à ſemetipſa expirat cum Chriſto in Cruce, dicens: Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me. In hac involuntaria impreſſione deſperationis conficit ſacrificium abſolutum ſui intereſſe proprii quoàd æternitatem.

11. In hoc ſtatu anima amittit omnem ſpem ſui proprii intereſſe, ſed numquam amittit in parte ſuperiori, ideſt in ſuis actibus directis, & intimis ſpem perfectam, quæ eſt deſiderium diſintereſſatum promiſſionum.

12. Director tunc poteſt huic animæ permittere, ut ſimpliciter acquieſcat jacturæ ſui proprii intereſſe, & juſtæ condemnationi, quam ſibi à Deo indictam credit.

Ddd 13. In-

13. Inferior Chriſti pars in Cruce non communicavit Superiori ſuas involuntarias perturbationes.

14. In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quædam ſeparatio partis ſuperioris animæ ab inferiori. In iſta ſeparatione actus partis inferioris manant ex omninò cæca, & involuntaria perturbatione, nam totum, quod eſt voluntarium, & intellectuale, eſt partis ſuperioris.

15. Meditatio conſtat diſcurſivis actibus, qui à ſe invicem facilè diſtinguuntur. Iſta compoſitio actuum diſcurſivorum, & reflexorum eſt propria exercitio amoris intereſſati.

16. Datur ſtatus contemplationis adeò ſublimis, adeoque perfectæ, ut fiat habitualis, itaut quoties anima actu orat, ſua oratio ſit contemplativa, non diſcurſiva. Tunc non ampliùs indiget redire ad meditationem, ejuſque actus methodicos.

17. Animæ contemplativæ privantur intuitu diſtincto, ſenſibili, & reflexo Jeſu Chriſti duobus temporibus diverſis. Primò, in fervore naſcente earum contemplationis. Secundò, anima amittit intuitum Jeſu Chriſti in extremis probationibus.

18. In ſtatu paſſivo exercentur omnes virtutes diſtinctæ, non cogitando, quòd ſint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quàm facere id, quod Deus vult; & amor zelotypus ſimul efficit, nè quis ampliùs ſibi virtutem velit; nec unquam ſit adeò virtute præditus, quàm cùm virtuti ampliùs affixus non eſt.

19. Poteſt dici in hoc ſenſu, quòd anima paſſiva, & diſintereſſata nec ipſum amorem vult ampliùs, quatenus eſt ſua perfectio, & ſua felicitas, ſed ſolùm quatenus eſt id, quod Deus à nobis vult.

20. In confitendo debent animæ transformatæ ſua peccata deteſtari, & condemnare ſe, & deſiderare remiſſionem ſuorum peccatorum, non ut propriam purificationem, & liberationem, ſed ut rem, quam Deus vult, & vult nos velle propter ſuam gloriam.

21. Sancti Myſtici excluſerunt à ſtatu animarum transformatarum exercitationes virtutum.

22. Quamvis hæc doctrina (*de pura amore*) eſſet pura, & ſimplex perfectio Evangelica, in univerſa traditione deſignata, antiqui Paſtores non proponebant paſſim multitudini juſtorum, niſi exercitia amoris intereſſati eorum gratiæ proportionata.

23. Purus amor ipſe ſolus conſtituit totam vitam interiorem, & tunc evadit unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati, & meritorii ſunt.

Non intendimus tamen per expreſſam propoſitionum hujuſmodi repro-

reprobationem alia in eodem Libro contenta ullatenùs approbare. Ut autem eædem præſentes literæ omnibus faciliùs innoteſcant, nec quiſquam illarum ignorantiam valeat allegare, volumus pariter, & auctoritate præfatâ decernimus, ut illæ ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, necnon Curiæ generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe, per aliquem ex Curſoribus Noſtris, ut moris eſt, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur; itaut ſic publicatæ, omnes, & ſingulos, quos concernunt, perindè afficiant, ac ſi unicuique illorum perſonaliter notificatæ, & intimatæ fuiſſent; Utque ipſarum præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides, tàm in judicio, quàm extra illud ubique Locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 12. Martii 1699. Pontificatus Noſtri anno octavo.

J. F. Card. Albanus.

Decretum Alexandri PP. VII. ſuper Attritione.

Feriâ v. die 5. Martii 1667.

SAnctiſs. D. N. Alexander Papa VII. cùm acceperit, non ſine gravi animi mœrore, Scholaſticos quoſdam acriùs, nec abſque Fidelium ſcandalo, inter ſe contendere, an illa Attritio, quæ concipitur ex metu gehennæ, excludens voluntatem peccandi cum ſpe veniæ, ad impetrandam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ requirat inſuper aliquem actum dilectionis Dei, (aſſerentibus quibuſdam, negantibus aliis, & invicem adverſam ſententiam cenſurantibus,) Sanctitas Sua, enixè cupiens pacis vinculum inter Fideles ſervari; omnemque ſciſſuræ fomitem extingui, auditis votis Eminentiſs. & Reverendiſs. D. D. Card. adverſus hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum, necnon D. D. Conſultorum, & Qualificatorum Sacr. Congr. ejuſdem Gen. Inquiſit. hoc præſenti Decreto, in virtute S. Obedientiæ, & ſub pœna Excommunicationis latæ ſententiæ Sanctæ Sedi reſervatæ, aliiſque pœnis ejuſdem S. Sedis arbitrio taxandis, præcipit cunctis, & ſingulis Fidelibus, quocumque gradu, & dignitate, etiam Epiſcopali, & majori, imò, & Cardinalitiâ fulgentibus, ut, ſi deinceps de materia Attritionis ſcribent, vel Libros, aut Scripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo Pœnitentes, aut Scholares, cæteroſve erudient, non audeant

alicujus Theologicæ cenſuræ, alteriuſve injuriæ, aut contumeliæ notâ taxare alterutram ſententiam, ſive negantem neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata Attritione ex metu gehennæ concepta, (quæ hodie inter Scholaſticos communior videtur) ſive aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitatem; donec à Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum; ſtatuitque prætereà Decretum hoc, ſeu illius exemplum, ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixum, omnes ubique exiſtentes arctare, & afficere, ac ſi unicuique perſonaliter fuiſſet intimatum.

CAPUT VIII.

De Sacramento Ordinis.

Lettera della Sacra Congreg. ſopra i Veſcovi, e Regolari intorno agli Eſercizzj Spirituali da farſi dagli Ordinandi, e dalle Monache.

LA Santità di Noſtro Signore, che con Paterna ſollecitudine riflette del continuo a tutti quei mezzi, che poſſono contribuire alla maggior ſicurezza della ſalute dell'Anime, conoſcendo col ſuo ſanto zelo quanto ſia neceſſario un precedente devoto raccoglimento di ſpirito, per degnamente prepararſi, tanto a' Promovendi, al ricevimento degli Ordini, quanto, riſpetto alle Spoſe di Criſto, al veſtire l'Abito, e profeſſare lo ſtato Religoſo, vuole, e comanda, che tutti i Promovendi agli Ordini Sacri debbano per dieci giorni continui avanti l'Ordinazione, ritirarſi a fare gli Eſercizzj Spirituali, nell'iſteſſa conformità preſcritta a' Promovendi in Roma *nella Coſt.* 126. della S. M. d'Aleſſandro VII. che comincia: *Apoſtolica ſolicitudo, &c.*, e che parimente tutte quelle, che vorranno farſi Monache in qualſivoglia Monaſtero, benchè ſoggetto a' Regolari, ſiano tenute fare i detti Eſercizzj per dieci giorni avanti che ricevano l'Abito, e ſiano ammeſſe al Noviziato, e che parimente i medeſimi Eſercizzj ſi debbano ripetere per l'iſteſſo ſpazio di dieci giorni, avanti che ſiano ammeſſe alla Profeſſione, alla quale la Santità Sua comanda, che non debbano eſſere ricevute, ſe prima non avranno adempita queſta ſanta preparazione. Deſidera in oltre Sua Beatitudine, che ſi procuri con tutte le diligenze poſſibili, e con modi ſoavi, e diſcreti, che ancora tutte le Monache Profeſſe una volta l'anno almeno per qualche tempo, che ſi ſtimerà opportuno, facciano i medeſimi Eſercizzj, per la rinnovazione dello ſpirito, tanto neceſſaria a chi, con eſſerſi rinchiuſa ne' Sacri Chioſtri, deve

pro-

Digitized by Google

profeſſare lo ſtato di perfezione. Si compiacerà pertanto V. E. di dare eſecuzione a comando sì ſanto di Sua Beatitudine, mentre per fine le bacio umilmente le mani.

Umiliſs. e Devotiſs. Ser.
C. Card. Fachenetti.
B. Panciatichi Sec.

Literæ Circulares S Congr. Concilii ſuper Patrimonio Ordinandorum.

ETſi Sacri Concilii Tridentini Decreto *Cap.* 2. *Seſſ.* 21. *de Ref.* caveatur, ne quis Clericus Secularis, quamvis aliàs ſit idoneus moribus, ſcientià, & ætate, ad Sacros Ordines promoveatur, niſi priùs legitimè conſtet eum Beneficium Eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſtè ſufficiat, pacificè poſſidere; patrimonium verò, vel penſionem obtinentes ordinari non poſſint, niſi illi, quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate Eccleſiarum ſuarum; temporis tamen curſu animadverſum eſt nonnullos Epiſcopos ab hac ordinandi norma abſque ullo diſcrimine deflexiſſe, paſſim quoſcumque ad Patrimonii titulum ad Sacrum Miniſterium admittendo, quantum ex hoc jacturæ in Eccleſiaſtica diſciplina acceptum fuerit, manifeſtum eſt. Quare Sanctiſs. D. N. ſuo insigni zelo malis hujuſmodi providè obviaturus, prædictæ diſpoſitionis exactiſſimam obſervantiam in Urbe in primis inſtauravit, deindeque per haſce Circulares Literas Ordinariis omnibus S. Trid. Decretum in memoriam reduci mandavit, quatenus omnes illud ſanctè cuſtodiant, ſciantque non aliter quem ordinandum ad titulum Patrimonii, vel Penſionis, niſi cùm Eccleſiæ neceſſitas, vel commoditas ità exigat, qua in re prudens Ordinarii, timoratumque Judicium verſari debebit. Em. igitur Veſtra Sanctitatis Suæ exemplo, & mandato ſeſe conformare non gravabitur; & E. V. manus humillimè deoſculor. Romæ 13. Maii 1679.

Em. V.

Humillimus, & Addictiſs. Ser.
F. Card. Columna Præf.
S. Archiep. Brancaccius Sec.

Decreta Congregationis ab Innoc. XII. ſpecialiter deputatæ ſuper moderatione Indultorum ſuſcipiendi Ordines extra Tempora à Iure ſtatuta.

SAnctiſs. D. N. Innocentius Papa XII. pro Paſtorali ſuo in commiſſum ſibi Gregem Dominicum zelo, ac tuendæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtudio proſpicere volens, ne Indulta ſuſcipiendi extra Tempora à Jure

à Jure ſtatuta Ordines nimis facilè concedantur, Congregationi particulari EE. DD. Cardinalium Carpinei, Caſanatis, Mareſcotti, Colloredi, Panciatichi, & Albani, necnon Illuſtriſſimorum DD. Sperelli, Ciampini, Sacripantis, meique Secretarii infraſcripti ſpecialiter deputatæ, expendendas commiſit Cauſſas, ex quibus præfata Indulta tribui ſolent, ut Sanctitati Suæ referri poſſet, quæ ratio deinceps ineunda, moduſque adhibendus videretur in conceſſione ſimilium Indultorum.

Quæ quidem Congregatio in ædibus præfati Eminentiſſimi Carpinei die 10. Novembris, atque iterum 7. Decembris Anni currentis habita, re maturè diſcuſsâ, cenſuit Indulta hujuſmodi, ſi Sanctiſſimo placuerit, concedi poſſe ex cauſſis infraſcriptis, videlicet.

Ut quis Beneficio, vi cujus arctatur ad Presbyteralem Ordinem ſuſcipiendum, vel alteri, etiam perpetuo Beneficio, quod obtinet, vel Capellaniæ ad vitam ſibi conceſſæ per ſeipſum inſervire poſſit. *Ob penuriam Sacerdotum in illis partibus, vel in Monaſterio pro Regularibus.* Ob ſolatium Patris, vel Matris, dummodò quinquaginta ætatis annos excedant, & Orator, ſaltem per triennium, in Clericali habitu honeſtè, & laudabiliter vixerit. Item concedi poſſe cenſuit eadem Indulta Referendariis utriuſque Signaturæ, Familiaribus Summi Pontificis, Canonicis Cathedralis, vel etiam Collegiatæ Eccleſiæ, eorumque Coadiutoribus, Magiſtris, ſeu etiam Baccalaureis in Sacra Theologia; Doctoribus utriuſque, vel ſaltem Canonici Juris, ſeu Licentiatis, dummodò ſingulos præfatos Gradus in publica, & approbata Univerſitate obtinuerint. Iis etiam, qui ſaltem per triennium ſedulam Theologiæ ſtudiis operam navaverint, ac tandem vigeſimum ſextum ætatis annum excedentibus, ſi per triennium in Clericali habitu honeſtè, & laudabiliter vixerint.

Econtrà cenſuit non expedire, ut eadem Indulta concedantur ex eo, quòd quis Diaconus, Subdiaconus, Literarum Apoſtolicarum Scriptor ſit, ſeu Magiſter in Artibus, Nobilis, aut Præſens in Curia, vel quòd Philoſophiæ curſum abſolverit, aut alicui Eccleſiæ adſcriptus fuerit, ad cujus ſervitii titulum ex Apoſtolico Indulto Clerici ordinari poſſunt, aut Onus Miſſarum, non tamen ex Beneficio Eccleſiaſtico proveniens, habere ſe doceat.

Inſuper cenſuit Indulta hujuſmodi deneganda eſſe iis, qui aliquâ Diſpenſatione indigent impedimenti ex eorum delicto provenientis, & Sede Epiſcopali vacante, infra annum à die vacationis minimè danda iis, qui Beneficii Eccleſiaſtici recepti, ſeu recipiendi occaſione arctati non fuerint.

Item

Digitized by Google

Item numquam concedenda pro Feſtivis diebus continuis, ſed ſemper pro interpolatis aliquo temporis ſpatio, arbitrio Epiſcopi definiendo.

Denique cenſuit Epiſcopos omnes, ac etiam Apoſtolicos Nuncios, & Legatos Literis in forma Brevis circularibus admonendos, decreviſſe Sanctitatem Suam Indulta prædicta non ita paſſim, ſed ex certis tantùm, legitimiſque cauſſis concedere, nec Epiſcopos ad eorum executionem aſtringere, ſed illam ſemper ipſorum arbitrio, oneratâ eorumdem conſcientiâ, relinquere. Item per eadem Indulta licentiam non tribui promoventi quempiam ad Patrimonii titulum, niſi ad normam Concilii Trid. *Seſſ.* 21. *Cap.* 2. Eos verò omnes, qui ab Apoſtolica Sede facultates obtinent conferendi Ordines extra tempora, vel aliis reſpectivè tribuendi licentiam, ut conferant, maximè cavere debere, ne præſcriptos ſibi in iiſdem facultatibus limites, cujuſvis conſuetudinis, aut exempli prætextu tranſgrediantur.

Hæc autem omnia, & ſingula ſupraſcripta Decreta, auditâ ex me integrâ eorum relatione, SS. D. N. laudavit, & approbavit, ac tàm in Dataria, & Secretaria Brevium, quàm à ceteris omnibus Miniſtris, & Officialibus Curiæ, ad quos pertinet, perpetuò, & inviolabiliter ſervari mandavit, ſublatâ omnibus quacumque facultate prædicta Indulta aliter, quàm ad formam eorumdem Decretorum inpoſterum expediendi. Hac die 14. Decemb. 1693.

Carolus Auguſtinus Fabronus Secret.

Conſtitutio 44. *Innocentii XII. qua plura declarantur, ac præſcribuntur pro tollendis abuſibus, & fraudibus circa Ordinationes alienorum Subditorum.*

SPeculatores Domus Iſrael, quæ eſt Sancta Dei Eccleſia, per ineffabilem Divinæ Bonitatis abundantiam conſtituti, eò potiſſimùm ab ipſis Pontificatus Noſtri primordiis Paſtoralis vigilantiæ Noſtræ ſtudia convertenda eſſe duximus, ut qui in ſortem Domini vocantur, ſacriſque addicuntur miniſteriis, quippè quos irreprehenſibiles eſſe convenit, ut præeſſe valeant corrigendis, ac in quos, tamquam in ſpeculum, reliqui oculos conjiciunt, ex iiſque ſumunt quod imitentur, tales ſint, qui dignè poſſint Dominica Sacramenta tractare, ac ædificent cunctos, tàm Fidei ſcientiâ, quàm operum diſciplinâ.

Sanè hoc inito conſilio, non alios, quantum fieri poteſt, quàm qui in ſanctitate, & juſtitia, per ordinatiſſimos Eccleſiaſticæ Militiæ gradus, ſtatis intervallis ambulaverint, ac piè, & fideliter in miniſteriis anteactis ſe geſſerint, ad Sacerdotium aſſumi, Sacraſque Ordinationes,

tiones, juxtà priſcum Eccleſiæ morem, præſcriptis à jure temporibus, orationi, & jejunio conſecratis, haberi cupientes, ſeveriorem quamdam in concedendis Indultis ſuſcipiendi Sacros Odines extrà Tempora hujuſmodi, & interſtitiis ad id deſignatis minimè ſervatis, ultrò Nobis propoſuimus adhibendam rationem; quâ videlicet ſervatâ, ante meritum laboris, ante tempus examinis, ante experientiam diſciplinæ, Sacerdotalis honor non probatis minimè tribuatur, nec unquam heri ſacrilegi, hodiè Sacerdotes, heri profani, hodiè Sacrorum Antiſtites, veteres vitio, virtute rudes, & recentes, diſcipuli ſimul, ac Magiſtri pietatis creentur; ſed ii tantùm, juxtà conſtitutas à Majoribus Leges, ab humili gradu fidelis Populi ad ſacrarum adminiſtrationum ſublimitatem promoveanrur, qui, poſt mutatum habitum ſecularem, diuturnâ converſatione inter Clericos fuerint comprobati, ac multo tempore didicerint, quæ poſtmodùm alios docere tenentur. Ceterùm per ea ipſa Indulta, quæ ſuper præmiſſis, parciùs quidem, ac ex certis tantùm, & magis rationabilibus cauſſis, concedere decrevimus, contrariâ quavis illorum interpretatione penitus improbatâ, ſalutarem illam, quam Sacri Generalis Tridentini Concilii Decreta, de non ordinandis ad Patrimonii titulum, niſi illis, quos Epiſcopi pro neceſſitate, vel commoditate ſuarum Eccleſiarum aſſumendos judicaverint, præſcribunt diſciplinam, nequaquam relaxatam intelligi; quinimò, nec unquam ad Indulta hujuſmodi exequenda Epiſcopos ipſos arctare, ſed illorum executionem arbitrio ſemper eorumdem Epiſcoporum, quorum conſcientias hac in re ſtrictiſſimè oneratas voluimus, prorſus relinquere declaravimus; ſperantes in Domino eos, qui, juxtà Apoſtoli monitum, nemini citò manus imponendas eſſe probè norunt, ſibi, & univerſo gregi attendentes, in quo eos poſuit Spiritus Sanctus regere Eccleſiam Dei, reverenda ipſis Spiritibus Angelicis miniſteria, ab hominibus ſine conſideratione apprehendi numquam permiſſuros, nec temerè præripi paſſuros, quæ vita probata dumtaxat accipere promeretur. Omnes inſuper, & ſingulos, cujuſcumque tandem gradus, Ordinis, & Dignitatis fuerint, quibus ex hujus Sanctæ Sedis gratia Sacros Ordines præfatos extra eadem tempora conferendi, vel aliis, ut illos ſic conferre valeant, indulgendi poteſtas fieri conſuevit, cum divinos Ordines largiri diſtricti ſemper eſſe judicii oporteat, feriò monitos voluimus, ut præſcriptos ſibi deſuper in ſuis quique facultatibus terminos religiosè cuſtodiant, nec eos, cujuſvis conſuetudinis, aut exempli prætextu, ullatenus tranſgrediantur.

Ve-

Verùm, quò impenſius Apoſtolicæ gubernationis curam, & cogitationes in hæc intendimus, eò majori cum animi Noſtri dolore, ex quamplurium Venerabilium Fratrum Noſtrorum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in diverſis Regionibus exiſtentium delatis ad Nos querelis, accepimus graviora quotidiè malignari inimicum in Sancto, ſacrilegâ ſcilicet illorum impudentiâ in dies creſcente, qui propriæ ſalutis immemores, Clericales Ordines, ſibi forſan à propriis Præſulibus denegatos, ſeu quos, aliquibus canonicis ſibi obſtantibus impedimentis, denegari meritò verentur, ab alienis Epiſcopis, non quæ Jeſu Chriſti, ſed eas, quæ ad ipſos non pertinent, Oves in animarum ſuarum perniciem quærentibus, nec tot Canonicas damnationes contra uſurpantes alienæ Plebis hominem latas perhorreſcentibus, abſque ſuorum Prælatorum commeatu, hoc eſt Dimiſſoriis, Commendatitiiſve eorum literis deſtituti, quinimò eis inſciis, & ſæpè etiam invitis, ſub minùs legitimis Beneficii Eccleſiaſtici, originis, domicilii, ſeu etiam familiaritatis, ac continuæ Ordinantium Epiſcoporum commenſalitatis quæſitis titulis, in ſacrarum legum fraudem, & contemptum, illegitimè ſuſcipiunt, atque ita non intrantes per oſtium, & nihilominus Tabernaculum Domini cum macula inhabitare non dubitantes, Sacrificium in ſacrilegium convertunt, judicium abſque miſericordia ſibi conſciſcunt, Deoque minimè placentes, & tamen placare velle præſumentes, non modò eum non placant, ſed magis irritant, dum videntur in cordibus ſuis dicere: non requiret.

Hinc eſt, quòd Nos, ex commiſſæ Nobis divinitùs Apoſtolicæ ſervitutis munere, abuſus, fraudes, ac ſcandala hujuſmodi penitus, & omninò è medio tollere, ac irreligioſam contrafacientium audaciam, quantum Nobis ex alto conceditur, compeſcere, & reprimere volentes, necnon fel. rec. Urbani VIII. contra malè ordinatos, quæ incipit: *Secretis*, aliorumque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum, ac etiam Conciliaribus hac in re editis Conſtitutionibus, & Ordinationibus inhærentes, illaſque, quoad ea, quæ præſentibus non adverſantur, quatenùs opus ſit, innovantes; de Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium ejuſdem Concilii Tridentini Interpretum, qui quæcumque ante hac ſuper præmiſſis ab ipſorum Cardinalium Congregatione in particularibus caſibus edita Decreta, declarationes, ſeu reſponſa ad earumdem præſentium limites reducenda eſſe cenſuerunt, conſilio, ac etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ad Omnipotentis Dei

gloriam, Eccleſiæ utilitatem, veteris diſciplinæ inſtaurationem, totiuſque Chriſtiani Populi ædificationem, hac generali Noſtrâ, & perpetuò valiturâ Conſtitutione decernimus, & declaramus: Nulli Epiſcopo, ſeu cujuſvis Loci Ordinario, tametſi Cardinalatus honore fulgeat, licere exterum quempiam, ac ſibi, ratione originis, ſeu domicilii, juxtà modum inferiùs declarandum, legitimè contracti, non Subditum ad Clericalem Tonſuram promovere, cujuſvis Beneficii Eccleſiaſtici, ei ſtatim ac Tonſurâ hujuſmodi inſignitus fuerit, conferendi, ſeu ad quod is à Patronis præſentatus, ſeu nominatus fuerit, prætextu, etiamſi Beneficium prædictum de novo eâ expreſsè adiectâ lege fundatum fuiſſe conſtiterit, ut quis immediatè poſt Clericalem characterem ſuſceptum ad illud inſtituatur. Præterea Clericum, qui legitimè jam à proprio Epiſcopo ad eamdem Clericalem tonſuram, ſeu etiam ad minores Ordines promotus fuerit, non poſſe ab alio Epiſcopo, ratione, ac titulo cujuſcumque Beneficii in illius Diœceſi obtenti, ad ulteriores Ordines promoveri, niſi ante eorumdem ſuſceptionem Teſtimoniales Literas proprii Epiſcopi, tàm originis, quàm domicilii, ſuper ſuis natalibus, ætate, moribus, & vita ſibi concedi obtinuerit, eaſque Epiſcopo Ordinanti in Actis illius Curiæ conſervandas exhibuerit.

Licèt verò Clericus, ratione cujuſvis Beneficii in aliena Diœceſi obtenti, ſubiici dicatur Juriſdictioni illius Epiſcopi, in cujus Diœceſi Beneficium hujuſmodi ſitum eſt, eam tamen de cetero hac in re inconcuſsè ſervari volumus regulam, ut nemo ejuſmodi ſubiectionem, ad effectum ſuſcipiendi Ordines, acquirere cenſeatur, niſi Beneficium prædictum ejus ſit redditus, ut ad congruam vitæ ſuſtentationem, ſive juxtà Taxam Synodalem, ſive, eâ deficiente, juxtà morem Regionis pro promovendis ad Sacros Ordines, detractis oneribus, per ſe ſufficiat, illudque ab Ordinando pacificè poſſideatur, ſublatâ quâcumque facultate ſupplendi quod deficeret fructibus ejuſdem Beneficii, cum adiectione Patrimonij, etiam pinguis, quod ipſe Ordinandus in eadem, ſeu alia quavis Diœceſi obtineret; ac Epiſcopus ſic Ordinans, tàm de prædictis Teſtimonialibus Literis, quàm de redditu Beneficii hujuſmodi, expreſſam in conſueta collatorum Ordinum atteſtatione mentionem facere debebit.

Ceterùm Subditus ratione originis is tantùm ſit, ac eſſe intelligatur, qui naturaliter ortus eſt in ea Diœceſi, in qua ad Ordines promoveri deſiderat, dummodò tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occaſione nimirum itineris, Officii, Legationis, Mercaturæ, vel cujuſvis alterius temporalis moræ, ſeù permanentiæ ejus Patris in illo

Digitized by Google

in illo Loco, quo caſu nullatenus ejuſmodi fortuita nativitas, ſed vera tantùm, & naturalis Patris origo erit attendenda. Quòd ſi quis tanto temporis ſpatio in eo Loco, in quo ex accidenti, ſicut præmittitur, natus eſt, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus Loci Literas Teſtimoniales, ut ſupra, obtinere, illaſque Epiſcopo Ordinanti, per eum in collatorum Ordinum Teſtimonio ſimiliter recenſendas, præſentare teneatur.

At ſi Pater in alieno Loco, ubi ejus filius natus eſt, tamdiù, ac eo animo permanſerit, ut inibi verè domicilium de Iure contraxerit, tunc, non origo Patris, ſed domicilium per Patrem legitimè, ut præfertur, contractum pro Ordinatione ejuſdem filii attendi debeat.

Subditus autem ratione domicilii, ad effectum ſuſcipiendi Ordines, is dumtaxat cenſeatur, qui, licèt alibi natus fuerit, illud tamen adeo ſtabiliter conſtituerit in aliquo Loco, ut, vel per decennium ſaltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum ſuorum partem, cum inſtructis Ædibus, in Locum hujuſmodi transferendo, ibique inſuper per aliquod conſiderabile tempus commorando, ſatis ſuperque ſuum perpetuò ibidem permanendi animum demonſtraverit; & nihilominus ulteriùs utroque caſu ſe verè, & realiter animum hujuſmodi habere jurejurando aſſirmet. Si quis tamen à propriæ originis Loco in ea ætate diſceſſerit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii ſuæ originis Teſtimoniales Literas, ut ſupra, afferre debebit, ac de illis expreſſa ſimiliter mentio in ſuſceptorum Ordinum Literis facienda erit.

Ad hæc nullus Epiſcopus alienæ Diœceſis Subditum familiarem ſuum ad aliquos Sacros, ſeu Minores Ordines, vel etiam primam Tonſuram promovere, ſeu ordinare præſumat, abſque ejus proprii, originis ſcilicet, ſeu domicilii Prælati Teſtimonialibus Literis, ut ſupra, & niſi ad præſcriptum Concilii Tridentini præfati *ſeſſ.* 24. *cap.* 9. *de Refor.* familiarem prædictum per integrum, & completum triennium in ſuo actuali ſervitio ſecum retinuerit, ac ſuis ſumptibus aluerit; Beneficium inſuper, quod ei ad vitam ſuſtentandam, juxtà modum ſuperiùs præfinitum, ſufficiat, quacumque fraude ceſſante, ſtatim, hoc eſt ſaltem intra terminum unius Menſis à die factæ Ordinationis, re ipsâ illi conferat, ac in Ordinationis hujuſmodi Teſtimonio expreſſam itidem familiaritatis, ac Literarum prædictarum mentionem facere teneatur.

Porrò, ut quicumque fraudibus aditus omninò præcludatur, volumus, & Apoſtolicâ authoritate ſtatuimus, atque decernimus, ut

Epiſcopus quilibet ſuos ratione originis, ſive domicilii Subditos Clericos quoſcumque ab alienis Epiſcopis quavis authoritate, etiam cum ſuis Commendatitiis Literis promotos, nedùm ad formam Concilii Tridentini ſupradicti *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. *de Reform.* quoàd ſcientiam, examinare valeat, verùm etiam Ordinum eis collatorum Teſtimoniales Literas, gratis tamen, recognoſcere, ac diligenter perquirere, an quoàd illos præſentis Conſtitutionis forma, & diſpoſitio adimpleta fuerit, aſſignato ſic promotis termino competenti, ei magis beneviſo, ad docendum de ejuſmodi adimplemento, itaùt quos eo termino elapſo id minimè præſtitiſſe comperenit, à ſuſceptorum Ordinum exercitio, ſi ita, & quamdiù ei expedire videbitur, ſuſpendere, illiſque ne in Altari, aut in aliquo Ordine miniſtrent, interdicere poſſit.

Ita verò præmiſſa omnia, & ſingula perpetuò, ac inviolabilite obſervari, atque adimpleri volumus, ut, ſi quid in iiſdem præmiſſis ſeu eorum aliquo ſecus fiat, Ordinans quidem à collatione Ordinum, per annum, Ordinatus verò à ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiù proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipſo ſuſpenſus ſit, aliiſque inſuper gravioribus pœnis, pro modo culpæ, Noſtro, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis arbitrio infligendis, uterque ſubjaceat.

Decernentes pariter eaſdem præſentes Literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè, & inviolabiliter obſervari. Sicque, & non aliter per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, ac Sedis præfatæ Nuncios, alioſve quoslibet quàcumque præeminentià, & poteſtate fungentes, & functuros; ſublatâ eis, & eorum cuilibet quàvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, ubique judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis, etiam Juramento, Confirmatione Apoſtolicâ, aut quàvis firmitate aliâ roboratis, Statutis, & Conſuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis, ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis Decretis, etiam motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine paribus, in genere, vel in ſpecie, ſeu aliàs quo-

quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſsa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorùm omnium, & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum exprimerentur, & insererentur, nihil penitus omiſſo, & formâ in illis traditâ obſervatâ, eiſdem præſentibus pro expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtàxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus autem, &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo quarto, pridie nonas Novembris, Pontificatus Noſtri Anno quarto.

B. Card. Prodatarius. *I. F. Card. Albanus.*

Viſa de Curia I. Sacripantes. *D. Ciampinus.*

Loco ✠ Plumbi. *Regiſtrata in Secretaria Brevium.*

Decretum S. Congreg. Concilii in Ariminen. Ordinationis, an Loci originis, vel Beneficii Taxa pro Ordinandi ſuſtentatione ſit attendenda.

SAc. Congr. Concilii in Ariminen. Ordinationis 10. Jan. 1705., in qua cum quidam Clericus Ariminen. obtinuiſſet Beneficium in loco Sixtini nullius Diœc. redditus ſufficientis, juxtà Taxam dicti Loci, & cum Literis Dimiſſoriis Ordinarii Loci Nullius promotus fuiſſet ab Epiſcopo S. Angeli in Vado, & deindè Ariminum reverſus à Vicario Generali, tamquam male Ordinatus contra formam Bullæ Innocentianæ, ab exercitio ſuſceptorum Ordinum ſuſpenſus fuiſſet, quæſitum fuit, Primò: an ſuſpenſio ſuſtineatur. Secundò, an, & quomodò eſſet concedenda abſolutio. Et ſub dicta die reſponſum fuit. Ad primum affirmativè. Ad ſecundum pariter affirmativè, poſtquam ſuppleverit Taxam Ariminen. vel per Beneficium, vel per Patrimonium.

Hoc Decretum refert Monacell. in Formular. Legal. For. Eccleſiaſt. Tom. 3. in Append. pag. 228. n. 27., ubi reprobat Moren., & ſubdit, quod attendenda videtur Taxa Loci, non ubi Clericus ordinatur, ſed ubi habet fixum domicilium, quià ibidem Alimenta eſt percepturus.

De-

Decretum S. Congreg. Concilii in Tiburtina Ordinationis; an detrahenda ſint onera Miſſarum ad conſtituendam ſummam à Synodali requiſitam.

DIſponente S. Concilio Tridentino cap. 2. ſeſſ. 21. de Reform. neminem ad Sacros Ordines promoveri poſſe ſine Beneficio, vel Patrimonio ſufficiente ad vitæ ſuſtentationem, S. Congregatio aliàs cenſuit in Veronen. 6. Decemb. 1636. lib. 15. pag. 443., quod quis ad eoſdem Ordines promoveri poſſit ad Titulum Capellæ, cujus fructus, unà cum Diſtributionibus quotidianis, ex intereſſentia proviſi acquirendis, victum neceſſarium æquarent. Hinc Clericus Joannes Cecchettus Tiburtinæ Diœceſis, optans ſe promoveri ad Titulum Beneficii habentis annexum onus Celebrationis Miſſarum, quæ ſi eſſent detrahendæ, nequaquam remaneret ſumma per Synodum Diœceſanam ad promotionem præſcripta, licet idem Orator promovendus ad dictum Beneficium earum integro oneri per ſe ipſum ſatisfacere paratus ſit, ſupplex declarari petit.

An à Beneficio, ad cujus Titulum quis Ordinari intendit, detrahenda ſint onera Miſſarum eidem adjecta, vel potius, eis non detractis, faciendus ſit calculus omnium fructuum ad conſtituendam ſummam à Synodali Conſtitutione requiſitam.

Die 8. Julii 1690. Sacra Congregatio Concili reſpondit negativè, niſi in fundatione cautum ſit, quod in caſu impedimenti teneatur per alium celebrare, & donec aſcendat ad Sacerdotium, pro rata Miſſarum aliunde habeat, quo vivere poſſit.

Litera Circularis de mandato Sanctiſs. D. N. D. Clem. XI. ſuper aſſumendis ad Ordines.

PErilluſtris, & Reverendiſs. Domine uti Fr. Sacrorum Canonum, Conciliique Tridentini providà diſpoſitione ſtatutum eſt, ut ad Militiam Clericalem non omnes paſſim admittantur, ſed ii dumtaxat, de quibus probabilis ſpes ſit hoc vitæ genus eligere, non rerum humanarum cupiditate, non ſecularis Judicii effugiendi cauſsâ, ſed animo præſtandi Deo in meliori ſtatu famulatum; ſubindeque ad majores Ordines non promoveantur, niſi quos ſcientia jam acquiſita commendet, & morum probitas altiori gradu dignos oſtendat. Verum experimento ipſo compertum eſt, ex hujuſmodi Canonicarum Sanctionum inobſervantia, indiſcretiſque promotionibus, & ordinationibus multa exoriri mala, quæ Eccleſiaſticam diſciplinam enervant, & corrumpunt; cùm ex confuſa multitudine Clericorum, ſine dele-

delectu, ſine peritia, & ſæpiùs ſub colluſivo Patrimonio Ordinatorum, nonnulli mendicare cogantur, aliis ſordidis ſe immiſceant negociis, aut in ipſis Miſſarum Eleemoſynis quoddam veluti mercimonium exerceant, non ſine gravi ſcandalo Fidelium, apud quos ſe faciunt contemptibiles. Etſi autem Sanctiſſimo Domino Noſtro ſatis innoteſcat Ampl. Tuam Sacrarum Conſtitutionum vigilem eſſe Cuſtodem, attamen, pro eo, quo Sanctitas Sua tenetur erga Diſciplinæ Eccleſiaſticæ incrementum, ſolicito, fervidoque ſtudio, eamdem Ampl. Tuam hiſce Literis moneri voluit, quatenus in aſſumendis ad Militiam Clericalem, eoque magis in promovendis ad Majores Ordines, Canonum, Conciliorum, Apoſtolicarumque Conſtitutionum laudabilibus Decretis adamuſſim ſervatis, debitum adhibeat delectum, mores, doctrinam, in Eccleſiaſticis functionibus peritiam, Beneficii, ſeu Patrimonii ſufficientiam, & veritatem diligentiſſimè examinet; illos non promoveat, de quibus dubitari poſſit ad Clericatum aſpirare, ut ſecularem effugiant Juriſdictionem, neque plures, quàm iſtius Eccleſiæ neceſſitas exigat, vel ſuadeat utilitas. Ita exequetur Ampl. Tua, cui omnia fauſta precamur à Deo. Romæ primâ Aprilis 1702.

Ampl. Tuæ *Uti Fr. Stud.*

B. Card. Panciaticus Præf.

S. D. Thomatus Epiſ. Cyren. S. C. C. Secr.

Decretum Clementis PP. VIII pro Regularibus Ordinandis.

DE mandato S. D. N. Clementis Divinâ Providentiâ Papæ Octavi tenore præſentium mandatur omnibus, & ſingulis quorumcumque Regularium Superioribus, ut de cetero obſervent, & obſervari faciant ea, quæ in Decreto Sacræ Congr. Conc. Trid. continentur, cujus tenor eſt talis.

Congregatio Conc. cenſuit Superiores Regulares poſſe ſuo ſubdito itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis Ordines ſuſcipere voluerit, Literas Dimiſſorias concedere: ad Epiſcopum tamen Diœceſanum, nempè illius Monaſterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, is Regularis poſitus fuerit, & ſi Diœceſanus abfuerit, vel non eſſet habiturus Ordinationes, ad quemcumque alium Epiſcopum, dum tamen ab eo Epiſcopo, qui Ordines contulerit, examinentur quoàd doctrinam, & dum ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria conceſſionem dimiſſoriarum in id tempus, quo Epiſcopus Diœceſanus, vel abfuturus, vel nullas habiturus eſſet Ordinationes. Verùm, cùm à Superioribus Regularibus, Epiſcopo Diœceſano

ſano abſente, vel Ordinationes non habente, Literæ Dimiſſoriæ dabuntur, in eis utique hujuſmodi cauſſam abſentiæ Diœceſani Epiſcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam eſſe. Quod qui non fecerint, officii, & dignitatis, ſeu adminiſtrationis, ac vocis activæ, & paſſivæ privationis, ac aliàs arbitrio ejuſdem S. D. N. Papæ reſervatas pœnas incurrent. In quorum, &c.

Dat. Romæ die 15. Martii Ann. 1596.

Florentina Ordinationis de Regularibus ad eamdem materiam.

DAtis ad Sac. Congreg Literis Vicarius Florentiæ ita exponit. In Sabbato Quatuo Temporum Decemb. de proximo præteriti, dum in hac Civitate Florentiæ generalem Ordinum promotionem habebat Eminentiſs. Dom. meus Cardinalis Archiepiſc. Flor. auſus eſt modernus Epiſcopus Feſulanus ſuffraganeus, in eadem Civitate reſidens, tuncque pariter Ordinationem habens, non ſine ſcientia contradictionis ejuſdem Eminentiſs. Archiepiſc., Ordines, tùm Minores, tùm Sacros reſpectivè, nedùm aliquibus Regularibus Florentinæ Civitatis, ac Diœceſis conferre, verum etiam nonnullis aliis Regularibus, & Secularibus Clericis Piſtorienſis, & Piſcienſis, ab ipſomet Eminentiſs. Dom. meo Archiepiſc., tamquam viciniore, in occurrenti tunc vacantia Epiſcopalis Sedis Piſtorienſis, ni fallor, Ordinandis, inter quos, etiam illos admiſit, & promovit, qui coram Eminentia Sua compariti, & Examini expoſiti, ut comperti non idonei, rejecti fuerant.

Quatuordecim Regulares Florentinæ Civitatis, vel Diœceſis.

Clerici Seculares viciniores Piſtorienſes, & Piſcienſes quatuor.

Regulares viciniores pariter quatuor.

Ac demum rejecti ab Eminentiſs. Archiepiſcopo in examinatione D. Michael Pauli de Cappellis de Piſtorio. Fr. Franciſcus à Senis, & Fr. Dominicus de Montibus, ambo Ord. S. Franc. de Obſervantia, & habiti tamquam Diœceſani.

Cum verò dictus Epiſcopus Feſulanus hoc ſibi licuiſſe præſumpſerit, è contrà verò hujus Archiepiſcopalis Curiæ Fiſcalis Ordinationem prædictam prætendat illicitam, ſupplicatur declarari.

1. An dicti Regulares Florentinæ Diœceſis poterint licitè ad Ordines promoveri ab Epiſcopo non Diœceſano, iſto Ordinationes habente.

2. An itidem Regulares, & Clerici Seculares Epiſcopatus Piſtorienſis, & Piſcienſis Juriſdictionis, ut ſupra, viciniorum.

3. An demum rejecti ab Eminentiſs. Archiepiſcopo.

Die 9.

Die 9. Septembris 1679. S. Congreg. Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, audito etiam Epiſcopo Feſulano, ad primum dubium reſpondit negativè: In reliquis diſtulit reſolutionem.

I. Card. Columna Præf.

Loco ✠ Sigilli.

Concordat cum Originali exiſtenti in Actis Cancellariæ Archiep. & in fide, &c.

Laurentius de Borghigianis I. U. D. Cancell.

Editto ſopra la Congregazione degli Ordinandi, e loro requiſiti.

TRa le molte graviſſime ſollecitudini, che vanno indiſpenſabilmente unite all' Ufizio Epiſcopale, la maggiore, e la più grave certamente ſi è quella di eleggere i Miniſtri per il Sacro Altare; paſcere colla Dottrina, e coll' eſempio le Pecorelle di Gieſù Criſto, e condurle all' Ovile dell' Eterna felicità, per cui miſericordioſamente furono create, conſervate, e ricomprate; ognun ben conoſce qual debba eſſere la diligenza, e l'attenzione del Prelato in traſcegliere quei, che a sì alto, e difficile Miniſtero ſiano veramente chiamati da Dio, e atti a ſoſtenerlo, ed eſercitarlo degnamente; ed a qual pericolo eſponga ſe, ed il ſuo Gregge, ſe con petto forte non rigetti tutti gli altri, che ſenza merito, e ſenza abilità, e ſolo ſpinti, o dall' ambizione, o dall'intereſſe, corrono al Santuario, intimando l'Apoſtolo, in perſona di Timoteo, a tutti i Veſcovi, che non imponghino le mani con troppa fretta, per non farſi rei delle colpe altrui: *Manus citò nemini impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis;* e come ſpiega S. Leone: *Et quid eſt citò manus imponere, niſi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam diſciplinæ Sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid eſt communicare peccatis alienis, niſi effici talem ordinantem, qualis eſt ille, qui non meruit ordinari?* Atterriti pertanto Noi da così ſpaventevole minaccia, e conoſcendo l'inſufficienza delle noſtre forze, per liberar Noi, e la Noſtra Diocesi dal pericolo, che ſovraſta a chi ſoverchiamente, e d' inutil peſo carica la ſua Nave, ed evitare l' eterno gaſtigo; ci ſiamo riſoluti, colla ſcorta del Sacro Concilio di Trento Seſſ. 23. Cap. 7. *de Reformat.* d' iſtituire una Congregazione di prudenti, ed eſperti Eccleſiaſtici, i quali ci preſtino il loro ajuto in riconoſcere, ed eſaminare tutti quei requiſiti, che, a tenore del medeſimo Concilio, de' Sacri Canoni, e Conſtituzioni Apoſtoliche,

e Sinodali ſono neceſſarj in quelli, che aſpirano d' eſſer' aſcritti nella Milizia Eccleſiaſtica, e promoſſi agli Ordini; e con il loro conſiglio s' indirizzino a fare degne elezioni, ed utili al Noſtro dilettiſſimo Gregge. Che però con il preſente Noſtro Editto facciamo intendere a tutti quelli del Clero Secolare della Città, e Dioceſi Fiorentina, i quali deſidereranno da quì avanti di ricevere la Tonſura, o d' eſſer promoſſi a qualunque Ordine fino al Sacerdozio, che devino, due Meſi avanti al giorno delle pubbliche Ordinazioni, aver preſentato in mano Noſtra il Memoriale con l'eſpreſſione di ciò, che bramano, ſiccome ancora ſuſſeguentemente in mano del Segretario della predetta Congregazione tutti gli Atteſtati, che, ſecondo l' infraſcritta Iſtruzione, ſono preſcritti, per potere ottenere quell' Ordine, che ciaſcuno richiederà, ad effetto che dalla Congregazione de' Deputati ſi poſſano riconoſcere, ed eſaminare nelle Seſſioni da tenerſi nel Noſtro Palazzo Archiepiſcopale, avanti il tempo dell' Eſame, e degli Eſercizzj Spirituali; e ſe alcuno non preſenterà in tempo il Memoriale, e i predetti Atteſtati, o ſaranno nelle coſe ſoſtanziali in forma diverſa da quella preſcritta nell' Iſtruzione, ſappia che per quella Ordinazione non ſarà ammeſſo, a riſerva però di qualche legittimo impedimento, o neceſſità preſſante, da approvarſi dalla medeſima Congregazione. Volendo ancora, che tutti quelli, che averanno biſogno di Diſpenſe d' Interſtizj, o altro, ſiano tenuti giuſtificarne le cauſe d'avanti la predetta Congregazione, con eſibire quegli Atteſtati, che dal Segretario gli ſaranno richieſti, e perchè ciaſcuno poſſa ſapere avanti di venire all' Eſame, ſe ſia ammeſſo a quanto brama, ſe ne manderà la Nota di tutti gli approvati in Cancelleria.

Iſtruzione de' requiſiti per la Tonſura, e ciaſcun' Ordine Eccleſiaſtico.

Per la prima Clericale Tonſura.

1. La Licenza dell' Abito, in conformità del Noſtro Editto del dì 20. Ottobre 1706.

2. La Fede del Batteſimo, perchè conſti dell' età almeno di anni ſette.

3. La Fede della Creſima, ovvero il Depoſto eſtrajudiciale di due, che atteſtino della medeſima.

4. La Fede giurata del proprio Paroco de Vita, & Moribus, e queſta dovrà mandarſi per mezzo di perſona fidata, o conſegnarſi chiuſa, e ſigillata al Segretario della Congregazione.

5. La Fede del proprio Paroco, o del Maeſtro di Scuola, d' avere frequentata la Dottrina Criſtiana.

6. L'At-

Digitized by Google

6. L'Atteſtato di legittimi Natali, quale, ſecondo il ſolito, dovrà prenderſi dalla Noſtra Cancelleria Archiepiſcopale.

7. Per i Maggiori di 14. anni l'Atteſtato di non aver contumacie nel Foro Laicale per Cauſe Criminali.

Per ciaſcun' Ordine Minore, ovvero per tutti, o parte di eſſi.

1. La Fede, o le Teſtimoniali della Tõſura, o dell'Ordine già ricevuto.

2. La Fede del Maeſtro ſopra l' attuale applicazione agli Studj.

3. La Fede del ſervizio preſtato alla Chieſa.

4. La Fede giurata del proprio Paroco de Vita, & Moribus, quale doverà mandarſi ſigillata, come ſopra, al Segretario della Congregazione.

5. La Fede del Paroco, o del Maeſtro, d'aver' uſato l'Abito Clericale, e d'aver portato la Tonſura, ſecondo il preſcritto nel Noſtro Editto del dì 5. Febbraio 1709. ab Incarnat.

6. La Fede di aver frequentato, per quelli di Campagna, Caſtelli, Terre, e Luoghi, la Dottrina Criſtiana, e per quelli di Città le Congregazioni di ſpirito, o in S. Salvadore, o in S. Firenze de' PP. dell' Oratorio, o in S. Giovannino de' PP. Gieſuiti, o in S. Carlo de' PP. Bernabiti, o alla Madonna de' Ricci de' PP. delle Scuole Pie, o in S. Jacopo ſopr' Arno de' PP. della Miſſione, o nella Compagnia di S. Benedetto Bianco, o in S. Tommaſo d' Aquino, o all' Oſpizio di Gieſù, Giuſeppe, e Maria, e della Santiſs. Trinità, poſto nella Compagnia della Purificazione, detta di S. Marco, in Via di S. Gallo, o alla Compagnia del Servo di Dio Ipolito Galantini, detta de' Bacchettoni.

Per l'Ordine dell' Accolitato ſarà neceſſaria in oltre la Fede del Batteſimo, perchè conſti dell' età di anni dodici almeno.

Per l'Ordine Sacro del Suddiaconato.

1. Il Titolo del Benefizio, o il Patrimonio, di annua rendità di ſcudi cinquanta, del quale, approvato che ſia dalla Congregazione, ſe ne doverà fare l'Inſtrumento, ſecondo il ſolito, dal Cancelliere.

2. La Fede del Paroco della pubblicazione fatta inter Miſſarum Solemnia del Patrimonio per quelli, che ſi doveranno Ordinare a Patrimonio, ed in oltre l'Atteſtazione del medeſimo Paroco delle Denunzie fatte ſopra gl' impedimenti canonici, e queſte doveranno mandarſi ſigillate per fidata perſona, o conſegnarſi al Segretario della Congregazione.

3. La Fede, o Teſtimoniale dell'ultimo Ordine, cioè dell'Accolitato, ricevuto d' un anno già ſcorſo, quando per utilità, o neceſſità della Chieſa non ne ottenga la Diſpenſa.

4. La Fede del Batteſimo, perchè conſti dell' età d'anni 22. incominciati.

5. La Fede del ſervizio preſtato alla Chieſa, d'avere eſercitato gli Ordini già preſi, d' aver' uſato ſempre l' Abito Clericale, e andato in Tonſura, nella forma ordinata nel Noſtro Editto.

6. La Fede giurata del Paroco de Vita, & Moribus, quale, come ſopra, ſi doverà dare ſigillata.

7. La Fede della frequenza a' Santi Sagramenti della Penitenza, e dell' Eucariſtia.

8. La Fede di aver frequentato, per quelli di Campagna, Terre, Caſtelli, e Luoghi, la Dottrina Criſtiana, ed avere ajutato il Paroco nell' inſegnarla; e per quelli della Città, le Congregazioni di ſpirito, come ſopra, al Requiſito ſeſto degli Ordini Minori.

9. La Fede del Maeſtro ſopra l' attuale applicazione agli Studj, ed il profitto in eſſi.

Per l' Ordine Sacro del Diaconato.

1. La Teſtimoniale dell' Ordine del Suddiaconato già ricevuto.

2. La Fede delle Denunzie fatte nella Parrocchia.

3. La Fede del Batteſimo, perchè conſti dell' età d' anni 23. incominciati.

4. La Fede del ſervizio preſtato alla Chieſa; d' aver' eſercitato l' Ordine del Suddiaconato, e d' aver' uſato ſempre l' Abito Clericale, a forma del Noſtro Editto, e portata la Clericale Tonſura.

5. La Fede giurata del Paroco de Vita, & Moribus, da mandarſi come ſopra.

6. La Fede della frequenza a' Santi Sagramenti della Penitenza, e dell' Eucariſtia.

7. La Fede del Maeſtro ſopra l' attuale applicazione agli Studj, ed il profitto in eſſi.

8. La Fede di aver frequentato, per quelli di Campagna, e de' Caſtelli, Terre, e Luoghi, la Dottrina Criſtiana, ed ajutato il Paroco nell' inſegnarla; e per quelli della Città, le Congregazioni di ſpirito, come ſopra, al Requiſito ſeſto degli Ordini Minori.

Per l' Ordine Sacro del Presbiterato.

1. La Teſtimoniale dell' Ordine Sacro del Diaconato già ricevuto.

2. La Fede del Batteſimo, perchè conſti dell' età di anni 25. incominciati.

3. Tutti gli altri requiſiti notati ſopra per il Sacro Ordine del Diaconato.

For-

Formule delle Fedi, che debbono eſibirſi, come viene eſpreſſo ne' ſopraddetti requiſiti di ciaſcun' Ordine.

Formula della Fede de Vita, & Moribus.

Io infraſcrittto atteſto con mio giuramento, per quanto è, ed eſſer può a mia cognizione, che N. N. della mia Cura è d' oneſti coſtumi, e di buon Nome. In fede di che ne ho fatta, e ſottoſcritta di mia propria mano la preſente Atteſtazione, contraſſegnata col mio ſolito Sigillo queſto dì ... Meſe ... Anno Io N. N.

Formula della Fede di aver frequentato la Dottrina Criſtiana per quelli di Campagna.

Io infraſcritto atteſto, come N. N. ha frequentato in queſta mia Chieſa la Dottrina Criſtiana, (eſſendo nell' Ordine Sacro, dica) *ed ha ajutato me medeſimo nell' inſegnarla a' Fanciulli. In fede di che ne ho fatta, e ſottoſcritta di mia propria mano la preſente Atteſtazione queſto dì ... Meſe ... Anno Io N. N.*

Formula della Fede del Maeſtro dell'attuale applicazione agli Studj.

Io infraſcritto Maeſtro ... (quì ſi eſprima di dove) *atteſto, che N. N. con ſuo profitto ha frequentato, e attualmente frequenta la mia Scuola, applicando allo ſtudio, o di belle Lettere, ovvero della Filoſofia, ovvero della Teologia Scolaſtica, o Morale, &c. ed atteſto parimente eſſere di buona indole, e di buona eſpettazione. In fede di che ne ho fatta, e ſottoſcritta di mia propria mano la preſente Atteſtazione queſto dì ... Meſe . . Anno Io N. N.*

Formula della Fede della frequenza alle Congregazioni di ſpirito per quelli della Città.

Io infraſcritto Superiore, Padre, Maeſtro, Direttore, o Correttore della Congregazione, &c. poſta in S. Salvadore, &c., o in S. Giovannino, &c. atteſto il Cherico... Accolito, Suddiacono, o Diacono N. N. aver frequentato, e frequentare attualmente con ogni puntualità, e modeſtia le Tornate della Congregazione. In fede di che ne ho fatta, e ſottoſcritta di mia propria mano la preſente Atteſtazione queſto dì ... Meſe ... Anno Io N. N.

Formula della Fede della frequenza a' Santi Sagramenti della Penitenza, e dell' Eucariſtia.

Io infraſcritto Curato, &c. o Maeſtro di ..., o della Scuola .... atteſto il Cherico N. N. della mia Parrocchia, o della mia Scuola, quale deſidera di eſſer promoſſo all' Ordine del ...., frequentare i Santi Sagramenti della Confeſſione, e Comunione, confeſſandoſi, e comunicandoſi

doſi una volta il Meſe almeno. Ed in fede del vero mi ſono ſottoſcritto di propria mano queſto dì ... Meſe ... Anno Io N. N.

Formula della Fede di aver' eſercitato l' Ordine, o Ordini già preſi.

Io infraſcritto atteſto avere il Cherico N. N. quale deſidera eſſer promoſſo all' Ordine ..... aver dico eſercitato in queſta mia Chieſa l' Ordine ..... già preſo. In fede di che ne ho fatta, e ſottoſcritta di mia propria mano la preſente Atteſtazione queſto dì ... Meſe ... Anno Io N. N.

Formula della Fede d'aver' uſato l'Abito Clericale, e portata la Tonſura, a forma dell'Editto del dì 5. Febb. 1709. ab Incarn.

Io infraſcritto Paroco, o Maeſtro, &c. atteſto, che il Cherico N. N. ha ſempre veſtito l'Abito Clericale, a forma dell'Editto del dì 5. Febbraio 1709. ab Incarnat., ed ha portato la Tonſura conveniente al ſuo grado. In fede di che ne ho fatta la preſente Atteſtazione queſto dì ... Meſe ... Anno Io N. N.

Formula delle Denunzie del Patrimonio, da farſi per quelli, a' quali verrà permeſſo di ordinarſi a Patrimonio.

Eſſendochè il Cherico N. N. di queſta Parrocchia deſideri d' eſſer promoſſo al Sacro Ordine del Suddiaconato, e dovendoſi queſto ſuo deſiderio manifeſtare a tutti, perciò, ſe alcuno ſapeſſe, che detto N. N. non poſſedeſſe legittimamente il Patrimonio, a cui titolo intende di ordinarſi, conſiſtente detto Patrimonio in ....., o che non foſſe d'annua rendita libera di ſcudi 50. moneta corrente per ſua congrua ſoſtentazione, o pure, che il detto Patrimonio ſia ſottopoſto a fidecommiſſo, obbligato, ipotecato, o finto, ſimulato, e fiduciario, e che chi ha coſtituito il detto Patrimonio ſia talmente gravato di debiti, o peſi perſonali, che non gli reſtino altri Beni ſufficienti per il ſoſtentamento proprio, e della famiglia, per carità ſi prega, ed in virtù di ſanta Ubbidienza ſe gli comanda, che lo debba in termine di giorni ... manifeſtare a me, acciò poſſa riferirlo a Monſig. Illuſtriſs. e Reverendiſs. Noſtro Arciveſcovo, ovvero al di lui Vicario Generale, acciocchè, non trovandoſi alcuno de' ſopraddetti impedimenti, poſſa il detto Cherico N. N. conſeguire il Sacro Ordine del Suddiaconato.

Il Paroco, nel fare la predetta Denunzia, o pubblicazione, ſignifichi al ſuo Popolo l'obbligo, quale, fatta la Denunzia, gli corre, cioè d' eſſer tenuto ciaſcheduno, ſotto pena di peccato mortale, a rivelare quell' impedimento, o impedimenti, che è, o ſono a ſua notizia, in vigore della clauſula *in virtù di ſanta Ubbidienza*, e che, ſapendo,

e non

e non rivelando, pecca mortalmente. Eſorti però ciaſchedunto a farlo a ſolo riguardo del pubblico bene, e non per ſoddisfare a ſdegni particolari, e privati rancori.

Prima di fare la predetta pubblicazione, o Denunzia, aſpetti il Paroco, che dal Segretario della Congregazione ſe li mandi la Nota de' Beni da ſottoporſi al Patrimonio, quale doverà eſibire il Promovendo al Suddiaconato in mano del Segretario, nell'atto di preſentare il Memoriale per eſſer promoſſo.

Formula della Fede della Denunzia, o pubblicazione fatta del Patrimonio per quelli, a' quali verrà permeſſo di Ordinarſi a titolo di Patrimonio.

Io infraſcritto atteſto, come, avendo inter Miſſarum Solemnia pubblicato al mio Popolo, qualmente il Cherico N. N. bramava di eſſer promoſſo al Sacro Ordine del Suddiaconato a titolo del ſuo Patrimonio, conſiſtente in ..... d'annua rendita libera di ſcudi cinquanta, ed eſortato pubblicamente ciaſcuno a riferire a me, ſe alcuna coſa vi foſſe, quale poteſse impedire al detto Cherico l'eſſer promoſſo al ſuddetto Sacro Ordine del Suddiaconato, non mi è ſtato denunziato veruno impedimento. In fede di che ne ho fatta, e ſottoſcritta di mia propria mano la preſente Atteſtazione, contraſſegnata col mio ſolito Sigillo queſto dì ... Meſe ... Anno Io N. N.

Queſta Fede della pubblicazione del Patrimonio ſuol mandarſi ſigillata.

Formula della Denunzia, che doverà fare il Paroco per l'Ordinando in Sacris.

D'ordine dell' Illuſtriſs. e Reverendiſs. Monſig. Tommaſo Buonaventura de' Conti della Gherardeſca Arciveſcovo di Firenze, ſi fa intendere alle Carità voſtre, qualmente nella proſſima Ordinazione, che ſi terrà il dì ... N. N. figlio di ... abitante in queſta Parrocchia, deſidera coll' ajuto di Dio eſſer promoſſo al Sacro Ordine del.... a titolo di .... Però, ſe alcuna perſona ſapeſſe, e aveſſe notizia di qualche impedimento, per cagione del quale non poſſa, conforme a' Sacri Canoni, eſser promoſſo al ſuddetto Ordine, ſi eſorta a volerlo denunziare, e manifeſtare a me, ſecondo la propria coſcienza, e per tale effetto ſentiranno ora tutti, quali ſiano i ſuddetti impedimenti.

Si proibiſce da' Sacri Canoni, e Concilj l'ammetterſi agli Ordini Maggiori.

Chi manca dell' uſo della ragione. Chi non ha l'età ſufficiente, che per il Suddiaconato ha da eſſere d'anni 22., per il Diaconato d'anni 23., e per

e per il Preſbiterato di anni 25. almeno incominciati. Chi è delinquente. Neofito, cioè venuto di poco alla Santa Fede. Illegittimo, ſenza diſpenſa della Santa Sede Apoſtolica. Simoniaco. Pubblico Uſurajo. Concubinario. Condennato per cauſa di ſpergiuro. Coutumace della Corte. Infame. Commediante. Buffone. Schiavo. Omicida, e Mutilante, e coloro, che alla mutilazione de' membri, o all' Omicidio hanno dato cauſa. Soldati di guerra, dove ſia ſeguita morte di perſone. Ufficiale Criminale nel Foro Secolare, e quelli, che ſi ſono ſottoſcritti, e trovati preſenti agli Atti Criminali, da' quali ne ſia ſeguita Sentenza Capitale. Quei, che hanno fatto penitenza pubblica. Quegli, che non bevono Vino. Bigami, cioè quegli, che hanno avuto due Mogli, o una ſola Vedova. Conjugati. Spiritati. Soggetti a Mal caduco. Quegli, che hanno qualche difetto notabile nel Corpo. I promoſſi per ſalto, e ſenza legittima età, o ſenza licenza de' loro Ordinarj. Gli obbligati a render conto di qualche Amminiſtrazione. I Debitori di ſomme conſiderabili. Gli Scomunicati, ſoſpeſi, o interdetti.

Prima di fare queſte Denunzie, aſpetti il Paroco l'ordine del Segretario della Congregazione, e il Nome, e Cognome del Denunziando.

Dopo le Denunzie, quali per il Suddiaconato doveranno eſſer tre, e per gli altri Ordini Sacri baſta una volta ſolamente per ciaſcheduno, il Paroco s' informerà pienamente della Naſcita, Vita, e Coſtumi dell' Ordinando, e trovando qualche impedimento, lo riferirà, ſecondo la ſua coſcienza, a Sua Signoria Illuſtriſſima, e Reverendiſs. prima dell' Ordinazione, e non trovando impedimento alcuno, ne farà l'Atteſtazione nella ſequente forma.

Formula della Fede del Curato per le Denunzie.

Io N. N. Curato della Chieſa di S. .... di .... atteſto di avere, in eſecuzione dell' ordine dell' Illuſtriſs. e Reverẽdiſs. Monſig. Arciveſcovo Noſtro, in .... giorni feſtivi di precetto, cioè ſotto li .... inter Miſſarum Solemnia denunziato nella mia Chieſa pubblicamente al Popolo, che N. N. figlio di N N. di queſta Parrocchia, deſiderava eſſer promoſſo nella proſſima Ordinazione al Sacro Ordine del .... a titolo di ...., e di avere eſortato tutti a voler manifeſtare, ſe aveſſero avuto notizia, e cognizione di qualche canonico impedimento, per lo quale non poteſſe eſſer promoſſo all' Ordine ſuddetto, e non eſſendoſi ſcoperto impedimento, e ſtante i ſuoi legittimi Natali, la buona Vita, e Coſtumi, e frequenza della Confeſſione, e Comunione, de' quali ho preſo diligente informazione, ho fatto la preſente Fede ſottoſcritta di mia mano, queſto dì ... Meſe ... Anno   Io N. N. ſuddetto mano prop.

Quan-

Quando occorra farſi dal medeſimo Paroco, o altra perſona l'Atteſtazione di più requiſiti, potraſſi fare in un medeſimo foglio, e ſotto una ſola ſoſcrizione, purchè, contenendo la Fede de Vita, & Moribus, queſta ſia giurata, e ſi mandi ſigillata.

In olrre ricordiamo, ed avvertiamo a tutti quelli, a' quali apparterrà il fare le Fedi, e Atteſtazioni de' ſopraddetti requiſiti, come Parochi, Maeſtri, ed altri, &c. l'obbligo di uſare in coſa di tanto momento, e conſeguenza, tutta quella attenzione, e fedeltà, che ſi richiede, poſponendo ogni ſorte di affetto, o di paſſione, non dando luogo a raccomandazioni, o accettazione di perſone, e denegandolo animoſamente agl'immeritevoli: che ſe poi alcuno di eſſi ſi laſcerà traſportare, o da paſſione, o da qualche umano riſpetto, a non eſſer fedele, e ſincero nell'eſecuzione degli Ordini Noſtri, ne ſarà da Noi ad arbitrio Noſtro ſeveramente punito, e potrà aſpettarne un più peſante gaſtigo da Dio. Dat. dal Noſtro Palazzo Archiepiſc. queſto dì 30. Aprile 1710.

TOMMASO BONAVENTURA ARCIV. DI FIRENZE.

Lettera della S. Congregazione ſopra la Riforma degli Eſorciſmi.

Molt'Illuſtre, e Reverendiſs. Sig. come Fratello.

ESſendo ſtati rappreſentati alla Santità di N. Sig. i gravi diſordini, che ſeguono dalla moltiplicità degli Eſorciſmi, che quaſi univerſalmente s'inventano, e ſi praticano dalle perſone deſtinate ad eſorcizare; e volendo la medeſima con la ſua Paſtoral ſollecitudine dare a tali inconvenienti il neceſſario provvedimento, (uditi prima i pareri di queſti miei Eminentiſs. Colleghi Signori Cardinali Generali Inquiſitori) ha ſtabilito, che, per mezzo di queſta S. Congregazione, s'ordini a tutti gli Arciveſcovi, Veſcovi, ed altri Ordinarj d'Italia, e dell'Iſole adiacenti, ſiccome colla preſente ſi ordina a V. S., che in avvenire non permetta, che alcun Sacerdote, tanto Secolare, quanto Regolare, ſia ammeſſo all'eſercizio d'Eſorciſta, ſenza che prima le conſti della di lui pietà, integrità di vita, e prudenza, e ſenza che abbia tutte le qualità ricercate per tal'amminiſtrazione dal Rituale Romano.

Vuole in oltre S. Beatitudine, che ella inſiſta con tutta la ſua attenzione, e vigilanza, acciocchè le perſone, che da lei ſaranno ſtimate capaci di tal miniſtero, ſi vagliano della direzione del ſopraddetto Rituale Romano, e che non preteriſcano le regole, che in quello ſi preſcrivono. Tanto V. S. dovrà eſeguire, per ubbidire eſattamente a' ſanti, e ſupremi Ordini di S. Beatitudine; e le auguro vere proſperità. Roma 21. Giugno 1710.

Di V. S. *Come Fratello affezionatiſs.*

G. Card. Mareſcotti.

CAPUT IX.

De Sacramento Matrimonii.

Inſtructio Sac. Congreg. Univerſ. Inquiſitionis pro Examine Teſtium, qui inducuntur pro contrahendis Matrimoniis.

Feriâ 5. die 21. Auguſti 1670.

CUm aliàs per Sacram Congregationem S. Officii iteratis Inſtructionibus ab eadem emanatis de anno 1665., Locorumque Ordinariis tranſmiſſis, proviſum fuerit, ut præſcriptis Interrogatoriis faciendis Teſtibus, qui ad probandum ſtatum liberum contrahentium Matrimonium inducuntur, omnis prorſus ſecluderetur aditus iis, qui adhuc vivente altero conjuge, aut aliàs impediti, ad ſecunda illicita vota tranſire ſatagebant. Videns nihilominus SS. D. N. quamplures Locorum Ordinarios, vel eorum Vicarios, & Deputatos ad excipiendas Teſtium Depoſitiones, necnon Parochos, & Notarios in caſibus expreſſis, aut omittere, aut non obſervare earumdem inſtructionum tenorem, &, licèt aliquando plenè obſervent, non tamen interrogare Teſtes ſuper aliis impedimentis dirimentibus.

Ideo volens Sanctitas Sua prædictis malis occurrere, re maturè conſideratâ cum Eminentiſs. & Reverendiſs. DD. Cardinalibus Generalibus Inquiſitoribus, præſenti Decreto perpetuis futuris temporibus duraturo, iterum injungit omnibus Vicariis, ſeu Deputatis pro examinandis Teſtibus ad probandum ſtatum liberum contrahentium Matrimonium, necnon Parochis, Notariis, & quibuſcumque aliis reſpectivè, ſub pœnis etiam gravibus corporalibus, arbitrio Sacræ Congregationis, ut Inſtructionem infraſcriptam ad unguem obſervent.

Ut autem præſens Decretum, & Inſtructio ad omnium notitiam faciliùs deveniant, decrevit illa ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ de Urbe, ac Palatio S. Officii ejuſdem Urbis, per aliquem ex Curſoribus Sanctitatis Suæ publicari, ac eorum exempla ibidem affixa relinqui; illaque ſic publicata omnes, & ſingulos, quos concernunt, poſt duos Menſes, à die publicationis in Urbe faciendæ numerandos, perinde afficere, & arctare, ac ſi illorum unicuique perſonaliter notificata, & intimata fuiſſent.

Inſtructio pro Examine illorum Teſtium, qui inducũtur pro contrahendis Matrimoniis, tàm in Curia Eminentiſs. & Reverendiſs. D Card. Urbis Vicarii, quàm in aliis Curiis cæterorum Ordinariorum.

IN primis Teſtis moneatur de gravitate juramenti, in hoc præſertim negotio pertimeſcendi, in quo Divina ſimul, & humana maje-

majeſtas læditur, ob rei, de qua tractatur, importantiam, & gravitatem, & quòd imminet pœna triremium, & fuſtigationis deponenti falſum.

2. Interrogetur de nomine, cognomine, patria, ætate, exercitio, & habitatione.

3. An ſit civis, vel exterus; &, quatenus ſit exterus, quanto tempore eſt in Loco, in quo Teſtis ipſe deponit.

4. An ad Examen acceſſerit ſpontè, vel requiſitus; ſi dixerit acceſſiſſe ſpontè à nemine requiſitum, dimittatur, quia præſumitur mendax; ſi verò dixerit acceſſiſſe requiſitum, interrogetur à quo, vel à quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus, & quoties fuerit requiſitus, & an ſciat adeſſe aliquod impedimentum inter contrahere volentes.

5. Interrogetur, an ſibi, pro hoc Teſtimonio ferendo, fuerit aliquid datum, promiſſum, remiſſum, vel oblatum à contrahere volentibus, vel ab alio, ipſorum nomine.

6. Interrogetur, an cognoſcat ipſos contrahere volentes, & à quanto tempore, in quo Loco, qua occaſione, & cujus qualitatis, vel conditionis exiſtant.

Si reſponderit negativè, Teſtis dimittatur; ſi verò affimativè;

7. Interrogetur, an contrahere volentes ſint cives, vel exteri; ſi reſponderit eſſe exteros, ſuperſedeatur in licentia contrahendi, donec per literas Ordinarii ipſorum contrahere volentium, doceatur de eorum libero ſtatu, de eo tempore, quo permanſerunt in ſua Civitate, vel Diœceſi. Ad probandum verò eorumdem contrahere volentium ſtatum liberum pro reliquo temporis ſpatio, ſcilicet uſque ad tempus, quo volunt contrahere, admittantur Teſtes idonei, qui legitimè, & concludenter deponant ſtatum liberum contrahere volentium, & reddant ſuffic entem rationem cauſſæ eorum ſcientiæ, abſque eo quòd teneantur deferre Atteſtationes Ordinariorum Locorum, in quibus contrahere volentes moram traxerunt.

Si verò reſponderit contrahere volentes eſſe cives.

8. Interrogetur, ſub qua Parochia hactenus contrahere volentes habitarunt, vel habitent de præſenti.

9. Item, an ipſe Teſtis ſciat aliquem ex prædictis contrahere volentibus quandoque habuiſſe Uxorem, vel Maritum, aut Profeſſum fuiſſe in aliqua Religione approbata, vel ſuſcepiſſe aliquem ex Ordinibus Sacris, Subdiaconatum ſcilicet, Diaconatum, vel Presbyteratum, vel habere aliud impedimentum, ex quo non poſſit contrahi Matrimonium.

Si Teſtis reſponderit non habuiſſe Uxorem, vel Maritum, neque aliud impedimentum, ut ſupra.

10. Interrogetur de cauſſa ſcientiæ, & an ſit poſſibile, quòd aliquis ex illis habuerit Uxorem, vel Maritum, aut aliud impedimentum, &c. & quod ipſe Teſtis neſciat.

Si reſponderit affirmativè, ſuperſedeatur, niſi ex aliis Teſtibus probetur concludenter non habuiſſe Uxorem, vel Maritum, neque ullum aliud impedimentum, &c.

Si verò reſpondetur negativè.

11. Interrogetur de cauſſa ſcientiæ; ex qua deindè Judex colligere poterit, an Teſti ſit danda fides.

Si reſponderit contrahere volentes habuiſſe Uxorem, vel Maritum, ſed eſſe mortuos.

12. Interrogetur de Loco, & tempore, quo ſunt mortui, & quomodo ipſe Teſtis ſciat fuiſſe conjuges, & nunc eſſe mortuos. Et, ſi reſpondeat mortuos fuiſſe in aliquo Hoſpitali, vel vidiſſe ſepeliri in certa Eccleſia, vel occaſione Militiæ ſepultos fuiſſe à Militibus, non detur licentia contrahendi, niſi priùs recepto Teſtimonio authentico à Rectore Hoſpitalis, in quo prædicti deceſſerunt, vel à Rectore Eccleſiæ, in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel, ſi fieri poteſt, à Duce illius Cohortis, in qua deſcriptus erat Miles. Si tamen hujuſmodi teſtimonia haberi non poſſunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quæ de jure communi poſſunt admitti, dummodo ſint legitimæ, & ſufficientes.

13. Interrogetur, an, poſt mortem dicti Conjugis defuncti, aliquis ex prædictis contrahere volentibus tranſierit ad ſecunda vota.

Si reſponderit negativè.

14. Interrogetur, an eſſe poſſit, quòd aliquis ex illis tranſierit ad ſecunda vota, abſque eo quòd ipſe Teſtis ſciat.

Si reſponderit affirmativè, ſuperſedeatur in licentia, donec producantur Teſtes, per quos negativa coarctetur concludenter.

Si verò negativè.

15. Interrogetur de cauſſa ſcientiæ; quâ perpensâ, Judex poterit judicare, an ſit concedenda licentia, necne.

Si contrahentes ſunt vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, niſi doceant, per Fides Ordinariorum ſuorum, eſſe liberos; & in aliis, ſervatâ formâ Concilii Tridentini in Cap. *Multi* ſeſſ. 24.

Fides, aliaque documenta, quæ producuntur de partibus, non admittantur, niſi ſint munita Sigillo, & legalitate Epiſcopi Ordinarii, & recognita ſaltem per Teſtes, qui habeant notam manum, & Sigillum;

gillum; & attentè conſideretur, quòd Fides, ſeù Teſtimonia benè, & concludenter identificent perſonas, de quibus agitur.

Pro Teſtibus in hac materia recipiantur magis conſanguinei, quàm extranei, quia præſumuntur meliùs informati; & cives magis, quàm exteri, nec admittantur homines vagi, & milites, niſi data cauſa, & maturo conſilio; & Notarius exactè deſcribat perſonam Teſtis, quem ſi cognoſcit, utatur clauſulâ: MIHI BENE COGNITUS; ſin minùs, Examen non recipiat, niſi unà cum perſona Teſtis, aliqua alia compareat cognita Notario, & quæ atteſtetur de nomine, & cognomine ipſius Teſtis, necnon de idoneitate ejuſdem ad Teſtimonium ferendum. Et hujuſmodi Examinibus debet intereſſe in Urbe, ultra Notarium, Officialis ſpecialiter deputandus ab Eminentiſs. Vicario, & extra Urbem, vel Vicarius Epiſcopi, vel aliqua alia perſona inſignis, & idonea, ab Epiſcopo ſpecialiter deputanda; aliàs puniatur Notarius arbitrio Sac. Congregationis, & Ordinarius non permittat fieri publicationes.

Ordinarii præcipiant omnibus, & ſingulis Parochis in eorum Diœceſibus exiſtentibus, ut pro Matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum Eccleſiis, niſi certiorato Ordinario, à quo, vel ejus Generali Vicario priùs teneantur Fidem authenticam reportare, quod pro tali Matrimonio fuerunt examinati Teſtes in eorum Tribunali, qui probent ſtatum liberum contrahere volentium, &c.

Contravenientes autem ſeverè punientur.

Franciſcus Riccardus S. Rom. & Univerſ. Inquiſ. Not.

Loco ✠ Sigilli.

Dubia aliquot circa exterorum Matrimonia cum Reſponſionibus S. Congregationis.

ORdines ultimo loco ab Urbe emanati circa Matrimonia cum exteris contrahenda, inter alia diſponunt, quod Ordinarii præcipiant omnibus, & ſingulis Parochis in eorum Diœceſibus exiſtentibus, ut pro Matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant Publicationes in eorum Eccleſiis, niſi certiorato Ordinario, à quo, vel ejus Generali Vicario priùs teneantur Fidem authenticam reportare, quòd pro tali Matrimonio fuerint examinati Teſtes in eorum Tribunali, qui probent ſtatum liberum contrahere volentium.

1. Quæritur, an illi ex Diœceſibus circumvicinis, & ipſi teneantur tales probationes facere, an verò ſufficiat Fides denunciationum in eorum Diœceſibus factarum, cum legalitate Ordinarii, & probatio eorum ſtatus poſt diſceſſum ab ipſa Diœceſi.

Hujuſ-

Hujuſmodi habentur pro exteris, & conſequenter tenentur probationes facere.

2. Item, an contrahere volentes, in confinibus eorum Diœceſis habitantes, &, ob vicinitatem, ab eorum Rectoribus cogniti, teneantur eaſdem facere probationes, an verò ſufficiant publicationes ab ipſis Rectoribus faciendæ.

Etiam iſti tenentur facere probationes.

3. An eaſdem teneantur facere probationes ii, qui ante ætatem nubilem à propria Diœceſi diſcedentes, ad aliam ſe contulerunt, & in ea poſtmodum ſemper habitaverunt.

Non tenentur, quia non fuerunt extra Diœceſim tempore habili ad contrahendum.

4. An in Civitate, in qua Milites Hiſpani, Teutonici, Alemani, & aliarum longinquarum Regionum reſidere ſolent, idem cum ipſis ſit ſervandum, vel ſufficiat probationes in ipſa Civitate recipere de eorum ſtatu à Teſtibus ipſarum Regionum de negotio edoctis.

Tenentur facere probationes, juxtà formam inſtructionis, quia iſti faciliùs committunt Polygamiam.

5. An, factà per Parochum monitione Ordinario contrahere volentis, Fides ſtatus ejuſdem ſit ab eodem Parocho, vel à contrahere volente reportanda.

Tenetur Fidem reportare, & Parocho conſignare is, qui vult Matrimonium contrahere, ſed eſt in libertate Parochi hujuſmodi onus in ſe aſſumere.

6. An eædem probationes ſint ſervandæ in caſu neceſſitatis, & ab exiſtentibus in articulo mortis, ſic contrahere volentibus.

Non ſunt ſervandæ in articulo mortis, intra quem ſcilicet probabiliter non adſit tempus ſufficiens faciendi diligentias: cum hoc etiam, quod ſi infirmus fortè convaluerit, debeant fieri diligentiæ, juxtà inſtructionem, antequam ſimul conveniant.

7. An requiratur Atteſtatio proprii Ordinarii pro exteris, qui, per decem annos, & ultra, domicilium acquiſierunt in Loco, ubi ſunt Matrimonium contracturi, ſi eorum ſtatus liber probetur per Teſtes fide dignos, tàm originis, quàm domicilii.

Requiritur.

8. An requiratur dicta Atteſtatio pro illis exteris, qui unicam, vel plures duxerunt, & è contrà, ſi mortuæ fuerint in Loco, ubi iterum Matrimonium contrahere deſiderant, ac ampliùs poſt mortem à dicto Loco non diſceſſerunt.

Requiritur pariter.

TITU-

TITULUS III.

CAP. I.

De Eccleſiarum Immunitate.

Conſtitutio Gregorii XIV.

CUm aliàs nonnulli Prædeceſſores Noſtri, & præſertim fel. record. Sixtus Papa Quartus, necnon Pius etiam Quintus, ſancto zelo ducti, diverſas facultates, & Indulta extrahendi, etiam in caſibus quibuſdam à jure non permiſſis, ex Eccleſiis criminoſos, & delinquentes, compluribus ſecularibus Principibus, eorumque Curiis, & Magiſtratibus ſub variis modis, & formis, conceſſerint, proùt in illis pleniùs continetur.

Experientia poſtmodum docuit, tùm ob diverſitatem, & differentiam hujuſmodi Indultorum, tùm quia plerique eorumdem Principum Miniſtri ex hoc ipſo illa diverſimodè, etiam latius, quam par erat, & ad ſuum libitum interpretandi occaſionem arripuerunt, illiſque abuti cœperunt, ſubortam eſſe non mediocrem in aliquibus Locis libertatis, & immunitatis Eccleſiaſticæ perturbationem, & confuſionem; alibi verò ne ipſos quidem Laicos Indultis hujuſmodi uti voluiſſe, aut potuiſſe, quod Populis inveteratâ erga Eccleſias reverentiâ, devotis, & aſſuetis, ſcandali potius quam quietis occaſionem præberent. Illud etiam abſurdum ſepè numero ſecutum eſt, ut infimæ interdum conditionis Laici, non modo juris, ſed etiam literarum penitus ignari, & imperiti, dum, quaſi Poteſtates, aut Miniſtri Curiæ ſecularis in aliquo Caſtro, aut Oppidulo juriſdictionem exercebant, facultatum, & Indultorum hujuſmodi limites longè exceſſerint, eaque ſuo arbitratu in ſenſus minus rectos, & ab intentione concedentis omninò alienos detorſerint, illorum prætextu quidquid ſibi in mentem venit attentare præſumpſerint, in grave juriſdictionis, & immunitatis Eccleſiaſticæ præjudicium, Locorum, & perſonarum Divino cultui dicatarum contemptum, ipſius Divinæ Majeſtatis offenſam, & ſcandalum plurimorum. Quare, pro commiſſo Nobis à Domino Paſtoralis officii munere, prædictis abſurdis, & ſcandalis obviare, ac differentias hujuſmodi ad uniformem regulam reducere, omnemque dubitandi, ac perperam interpretandi occaſionem dilucidà declaratione ſubmovere, abuſus tollere, ne Eccleſiaſtica jura planè conculcentur, & negligantur, opportunè providere decrevimus, proùt etiam dictus Sixtus Prædeceſſor Noſter, iiſdem de cauſſis motus, ſtatuere decreverat, licèt, morte præventus, hoc adimplere nequiverit;

ita

ita tamen, ut, quando præſens temporum calamitas, & nimia, quæ jam invaluit, perverſorum hominum malitia id expoſcit, aliquid etiam ad terrorem delinquentium; & ad coërcendas illorum facinora, ultra id, quod priſca illa Majorum Noſtrorum diſciplina, & vetus Sacrorum Canonum norma præſcripſerat, in quibuſdam caſibus congruâ moderatione adhibitâ permittamus.

Hac itaque Noſtrâ perpetuò valiturâ Conſtitutione omnia, & quæcumque Privilegia, Indulta, & Gratias, tàm per prædictum Sixtum, ac Pium V., quàm alios quoſcumque Noſtros Prædeceſſores, aut Noſmetipſos, Sedemque Apoſtolicam, ejuſve Legatos, ſuper abducendis, vel extrahendis ab Eccleſiis, Monaſteriis, Sacellis, Domibus Regularibus, & Secularibus, Locíſve Sacris, aut Religioſis, aliaſve in caſibus à jure permiſſis, hominibus certorum tunc expreſſorum, vel non expreſſorum criminum reis, aut fraudulentis decoctoribus, etiam in odium certorum delictorum, & pro bono, pace, & quiete publica, & ex cauſſis urgentibus, ac neceſſariis, & æquipollentibus caſibus in jure expreſſis, atque ex paritate, identitate, aut majoritate rationis extenſis, perpetuò, vel ad certum nondum elapſum tempus, ſeù ad vitam alicujus Pontificis, aut beneplacitum, ſeù alias quomodolibet conceſſa, etiam iteratis, aut multiplicatis vicibus, approbata, & innovata, ac uſu recepta, Literaſque Apoſtolicas ſub plumbo, aut in forma Brevis, ſeù aliàs quomodocumque deſuper confectas, quarum tenores hìc haberi volumus pro expreſſis, ac ad verbum inſertis, ſublatâ penitus omni differentiâ, ita ad unam tantum formam reducimus, & moderamur.

Ut Laicis ad Eccleſias, Locaque Sacra, & Religioſa prædicta confugientibus, ſi fuerint publici latrones, viarumque graſſatores, qui itinera frequentia, vel publicas ſtratas obſident, ac viatores ex inſidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſiis, earumve Cæmeteriis committere non verentur, aut qui proditoriè proximum ſuum occiderint, aut aſſaſſinii, vel hæreſis, aut læſæ Majeſtatis in perſonam ipſiuſmet Principis rei, immunitas Eccleſiaſtica non ſuffragetur, ſed univerſis, & ſingulis Venerabilibus Fratribus Noſtris Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ceteriſque Eccleſiarum, & Monaſteriorum Prælatis, tàm Secularibus, quàm cujuſvis Ordinis Regularibus, diſtrictè præcipiendo mandamus, & præcipimus, ut Laicos in caſibus prædictis delinquentes ad eorum Eccleſias, Monaſteria, Domos, & alia Loca ſupradicta Sacra, ſeù Religioſa reſpectivè confugientes, & in eis ſe recipientes, atque morantes, qui prædicta

dicta delicta, eorumque aliquod judicio ſuo commiſiſſe videbuntur, quando à Curia Seculari fuerint requiſiti, & quilibet eorum fuerit requiſitus, Miniſtris, & Officialibus Curiæ Secularis, abſque irregularitatis nota, aut alicujus Cenſuræ Eccleſiaſticæ incurſu, tradi, & conſignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet, & faciat.

Ne autem Curiæ Secularis prædictæ Miniſtri facultate illos per ſe, & propriâ auctoritate extrahendi, & abducendi, ſibi olim, ut præfertur, attributâ, & per præſentes revocatâ, abutantur, Volumus, dictâque auctoritate decernimus, & declaramus, ut Curia Secularis, ejuſque Judices, & Officiales, ab Eccleſiis, Monaſteriis, Locíſque Sacris prædictis, Laicum aliquem, ut præfertur, delinquentem in nullo ex caſibus ſupradictis, ſine expreſſa licentia Epiſcopi, vel ejus Officialis, & cum interventu Perſonæ Eccleſiaſticæ ab eo auctoritatem habentis, ad quos ſolos, & non alios Epiſcopis inferiores, etiam ſi alii Ordinarii ſint, aut nullius Diœceſis, aut Conſervatores ab hac Sede ſpecialiter, vel generaliter Deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat. Occurrente autem caſu in Loco exempto, & nullius Diœceſis, tunc ad Epiſcopum viciniorem devolvatur hæc cognitio, & non ad alios, capere, aut extrahere, aut incarcerare non poſſint, niſi eo caſu, quo ipſe Epiſcopus, & dictæ Perſonæ Eccleſiaſticæ requiſitæ, illos in delictis ſuperiùs expreſſis culpabiles tradere, aut capturæ, & carcerationi intervenire, & aſſiſtere recuſaverint, tuncque reverentiæ Eccleſiaſticæ, & Locis Sacris debitæ memores, prædictos delinquentes minori, quo id fieri poterit, cum ſcandalo, & tumultu, extrahere curent.

Quodque delinquentes Laici prædicti, poſtquam, ut præfertur, ab Eccleſiis, Locíve Sacris extracti, & capti fuerint, ad carceres Curiæ Eccleſiaſticæ reponi, & inibi ſub tuto, & firmo carcere, ac opportuna cuſtodia, data illis, ſi opus fuerit, per Curiam Secularem, detineri debeant, nec indè extrahi, Curiæque Seculari prædictæ conſignari, nec tradi poſſint, niſi cognito priùs per Epiſcopum, ſeù ab eo deputatum, an ipſi verè crimina ſuperiùs expreſſa commiſerint, tuncque demum de mandato Epiſcopi per Judicem Eccleſiaſticum Curiæ Seculari, quâcumque appellatione poſtpoſitâ, conſignentur.

De crimine verò hæreſis cognitio ad Forum Eccleſiaſticum tota pertineat, neque in ea Curia Secularis ſe quoquomodo intromittat.

Sicuti etiam prohibemus, ne contra Eccleſiaſticas Perſonas Seculares, aut cujuſvis Ordinis, vel Militiæ, etiam Sancti Joannis Jeroſolymitani, Regulares quoquomodo, etiam vigore prædictorum Privile-

vilegiorum, Indultorum, aut Conceſſionum, quæ omnia ad terminos juris per præſentes reducimus, procedant, aut ſe intromittant, illaſve ab Eccleſiis, Monaſteriis, Domibus, Locіſque Sacris, aut Religioſis, etiam in caſibus in hac Conſtitutione expreſſis, extrahere, abducere, capere, carcerare, aut cognoſcere de criminibus ad Forum Eccleſiaſticum pertinentibus, aliàs quam de Jure, & per Privilegia eiſdem Ordinibus, aut Militiis conceſſa permittitur, quomodolibet præſumant.

Quod ſi quis, quâcumque dignitate, & auctoritate præditus, præmiſſorum, aut alio quovis prætextu, quidquam præter, aut contra hujus Noſtræ Conſtitutionis tenorem attentare præſumpſerit, declaramus eum ipſo facto cenſuras, & pœnas eaſdem incurrere, quæ contra libertatis, juris, & immunitatis Eccleſiaſticæ violatores per Sacros Canones, & Conciliorum Generalium, Noſtrorumque Prædeceſſorum Conſtitutiones ſunt promulgatæ.

Sicque per quoſcumque Judices, Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, in quavis cauſſa, & inſtantia, judicari, & definiri debere, necnon irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcumque, quâvis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Non obſtantibus præmiſſis, tàm Sixti, & Pii V., quàm aliorum quorumcumque Prædeceſſorum Noſtrorum Literis Apoſtolicis, Privilegiis, Indultis, & Facultatibus, quibuſvis Perſonis, etiam Imperiali, Regiâ, Ducali, aut aliâ quavis dignitate, & auctoritate fulgentibus, aut Rebuſpublicis, Dominiis, Regnis, Provinciis, Civitatibus, Terris, & Locis, eorumque Curiis, Parlamentis, Senatibus, Conſiliis, Communitatibus, Univerſitatibus, Collegiis, aut Præſidentibus, Proregibus, Gubernatoribus, Locatenentibus, Vicariis, Poteſtatibus, aliiſque Magiſtratibus, Officialibus Miniſtris, aut Conſiliariis, ex prædictis, vel aliis etiam gravioribus, & urgentibus cauſſis, tàm illorum intuitu, & contemplatione, ſivè ad eorum preces, & inſtantiam, quàm etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia; deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac per modum ſtatuti, & legis perpetuæ, etiam in vim contractus, & Fratrum Noſtrorum conſilio, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis præſervativis, reſtitutivis, mentis atteſtativis, derogatoriarum derogatoriis, aliiſque validiſſimis, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis Decretis, etiamſi inibi caveatur expreſsè, quod illis, niſi ſub certis modis, & formis, & niſi de expreſſo eorum conſenſu, ad quorum favorem conceſſæ fuerint, derogari poſſit;

& aliter

& aliter factæ derogationes nullius ſint roboris, vel momenti, & aliàs quomodolibet conceſſis, etiam ſæpius approbatis, & innovatis. Quæ omnia, & ſingula, ac illorum tenores pro expreſſis habentes, quatenus præmiſſis in aliquo adverſentur, aut plures, quam ſuperius expreſſos caſus contineant, auctoritate, & tenore præmiſſis omninò, ac perpetuò tollimus, & abrogamus, ac ad terminos præſentis Conſtitutionis, quoad ſuperius deſcripta dumtaxat, reducimus; & nolumus cuiquam de cetero ſuffragari, & quâlibet aliâ dictæ Sedis Indulgentiâ generali, vel ſpeciali, per quæ præſentibus non expreſſa, vel ad verbum non inſerta, effectus earum quomodolibet valeat impediri.

Ut autem præſentes literæ ad omnium notitiam faciliùs deducantur, mandamus illas in valvis Sancti Joannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, Baſilicarum de Urbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ de more affigi, & publicari, earum etiam exemplis inibi affixis, & dimiſſis; ac poſt publicationem hujuſmodi volumus, & decernimus, ut omnes, & ſingulos, quos concernunt, & concernent in futurum, perinde arctent, & afficiant, ac ſi eorum cuilibet perſonaliter intimatæ fuiſſent. Earumdem verò præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, Notarii publici manu ſubſcriptis, eamdem fidem in Judicio, & extrà illud, ubique Gentium, & Locorum haberi volumus, quæ eiſdem originalibus Literis haberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ moderationis, præcepti, mandatorum, decretorum, reductionum, declarationum, prohibitionis, ſublationis, abrogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo nonageſimo primo, nono Kalendas Junii, Pontificatus Noſtri anno primo.

CAPUT II.

De Reverentia Sacroſanctis Eccleſiis exhibenda.

Cadit hic §. Ut igitur, &c. *Conſtitutionis*, Cum primum Apoſtolatus, *B. Pii V.*, *quæ habetur impreſſa ſuperius ad Cap.* de Blaſphemis.

Conſtitutio 36. Alexandri PP. VII. quâ prohibentur Muſicæ indecentes in Eccleſiis, & Oratoriis Urbis.

PIæ ſolicitudinis ſtudio ducimur, ut Eccleſiarum, divinis laudibus, & orationi deſtinatarum, ac Oratoriorum almæ Urbis Noſtræ,

 ex

ex qua in omnes Orbis partes bonorum operum exempla promanant, decori, & reverentiæ conſulere ſatagentes, quæcumque vana, & præſertim muſicos concentus, & ſymphonias, quibus quid indecorum, ſive à Ritu Eccleſiaſtico alienum, non ſine Divinæ Majeſtatis offenſa, & Chriſtifidelium ſcandalo, ac devotionis, & cordium ad ſuperna elevationis impedimento admiſcetur, ab illis procul arceamus.

§. 1. Itaque de Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, ac Dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum Congregationis ſuper negotiis Viſitationis Apoſtolicæ à Nobis inſtitutæ conſilio, omnibus, & ſingulis Archipresbyteris, eorumque Vicariis, ac Capitulis, & Canonicis, Choroque Præfectis quarumvis Eccleſiarum, & Baſilicarum, etiam Patriarchalium, necnon Prælatis, Superioribus, Rectoribus, Adminiſtratoribus, Cuſtodibus, Guardianis, aliiſque Officialibus, quocumque nomine nuncupentur, quorumvis Monaſteriorum utriuſque ſexus, Domorum, Conventuum, & Collegiorum, tàm Secularium, quàm Regularium, ac Congregationum, Confraternitatum, Archiconfraternitatum, Hoſpitalium, Archihoſpitalium, & Locorum Piorum, etiam Laicorum dictæ Urbis, Apoſtolicâ auctoritate tenore præſentium, ſub pœna Excommunicationis latæ Sententiæ, necnon privationis fructuum unius Menſis, ac ſuſpenſionis ab Officio, reſpectivè prohibemus, ne in eorum Eccleſiis, & Oratoriis, dum Officia Divina celebrantur, vel Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum manet expoſitum, quidquam cantari permittant præter ea verba, quæ à Breviario, vel Miſſali Romano, in Officiis de proprio, vel de communi, pro currenti cujuſque diei feſto, vel Sancti Solemnitate præſcribuntur, vel quæ ſaltem à Sacra Scriptura, aut Sanctis Patribus deſumpta ſint; quæ tamen priùs à Congregatione Venerabilium etiam Fratrum Noſtrorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum ſpecialiter approbentur, excluſis modulis iis, qui choreas, & profanam potiùs, quàm Eccleſiaſticam melodiam imitantur.

§. 2. Quòd ut exactiùs ſervetur Superioribus, & Officialibus, aliiſque prædictis, ad quos ſpectat, ſub eiſdem pœnis injungimus, ne Muſicæ Præfectos ad hujuſmodi munus recipiant, vel receptos in poſterum admittant, niſi priùs præſtito ab eiſdem juramento de obſervandis præſentibus Literis; cui juramento ſi contravenerint, à dilecto Filio Noſtro, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis Vicario in Urbe prædicta in ſpiritualibus generali, tamquam periuri, etiam corporaliter puniantur, ac exercitio officii hujuſmodi perpetuò pri-

privati remaneant, abſque ſpe reintegrationis, quæ à nemine, quâcumque auctoritate prædito, etiam ſpecialem expreſſionem requirente, præterquàm à Nobis, & Romanis Pontificibus Succeſſoribus Noſtris concedi poſſit.

§. 3. Decernentes ipſas præſentes Literas, &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 23. Aprilis 1657. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

Editto ſopra le Meretrici, e loro acceſſo alle Chieſe.

ESſendo venuto a noſtra notizia, che, non oſtante gli Editti tante volte pubblicati da' noſtri Predeceſſori, ed ultimamente, ſecondo l' opportunità de' tempi preſenti, dall'Eminentiſs. Sig. Card. Morigia a Noi immediato, ſi fanno lecito le Donne di mala vita di traſgredire gli ordini cotanto neceſſarj in tal materia; E volendo Noi ancora opportunamente rimediare a tal diſordine, e obbligare le dette Donne alla dovuta oſſervanza, con rinnovare ſpecialmente l' Editto pubblicato da detto Eminentiſs. Sig. Card. Morigia ſotto il dì primo Aprile 1697.

Pertanto, mediante queſto noſtro Editto, che alla comune notizia vogliamo, che ſia affiſſo a' ſoliti pubblici luoghi, inerendo al ſuddetto, ed altri ſimili Editti del dì 10. Gennaio 1642., e de' 10. Aprile 1673. comandiamo, e ordiniamo, che ſiano, e s' intendano permeſſe alle dette pubbliche Meretrici le Chieſe, eccettuate però le infraſcritte. *La Chieſa noſtra Metropolitana di S. Maria del Fiore. La Chieſa della Santiſſima Nunziata, ſuoi Chioſtri, Logge, e Antiporto. S. Giovanni. S. Lorenzo. S. Marco. S. Maria Novella. S. Spirito. S. Croce. S. Maria Maggiore. Ogniſſanti. S. Giovannino de' Padri Gieſuiti. S. Michele dagli Antinori. S. Carlo de' Padri Bernabiti. S. Trinita. S. Pancrazio. S. Giuſeppe de' PP di S. Franceſco di Paola. S. Iacopo ſopr' Arno. La Chieſa della Madonna de' Ricci, ufiziata da' Padri delle Scuole Pie. S. Paolo de' Padri Carmelitani Scalzi. Le Chieſe, e Parlatorj delle Monache, tanto della Città, che Suburbane, ed eſiſtenti in qualunque altro luogo della noſtra Diogeſi, quantunque foſſero Parrocchie, o Collegiate. S. Franceſco al Monte, tutti i Venerdì di Marzo, e quello della Settimana Santa. S. Bartolommeo di Mont' Uliveto, il giorno della Domenica delle Palme ſolamente.*

Nelle quali tutte ſopraſcritte Chieſe, ed altri luoghi di ſopra nominati, proibiamo onninamente l'ingreſſo, etiam con il fine di ſentir la Predica, ſotto le pene contenute ne' precitati Editti.

Siccome ſotto l' iſteſſe pene proibiamo l' ingreſſo anco nell' altre Chie-

Chieſe non eccettuate, ne' giorni ſolamente, che vi ſarà la Feſta principale del Titolo di eſſe, e loro Indulgenza, e Perdono, dal primo Veſpro della Vigilia fino al tramontar del Sole del giorno ſeguente, e l' iſteſſa proibizione ſi fa per tutto quel tempo, che foſſe in eſſe l'Orazione delle Quarantore del Giro, ſotto le medeſime pene.

In dette Chieſe però reſpettivamente, come ſopra, permeſſe a dette Meretrici, intendiamo, che elle vadano, e ſtiano con abito, e portamento compoſti, e modeſti, ſenza veruna pompa, e vanità, col capo coperto di velo, o di tela, o d'altro panno, in modo, che i capelli non ſi vegghino, ed in ſomma, con quella riverenza, che ſi conviene alla Caſa di Dio, e per renderſi capaci d'implorare la ſua Divina Miſericordia, ſotto le medeſime pene, eſortando le ſuddette, non ſolo ad andarvi per ſoddisfare al Precetto Eccleſiaſtico di udire la Santa Meſſa, ma a prevalerſi di tale opportunità, ad effetto ancora di aſcoltare la Dottrina Criſtiana, la Predica, il Roſario, e altre Devozioni, che poſſono aprir loro la mente a conoſcere lo ſtato deplorabile, in cui ſi trovano, e riflettere ſeriamente al gaſtigo della pena eterna, che ſta loro preparato dalla Divina Giuſtizia, ſe tardano a ravvederſi delle loro traſcorſe. Raccomandiamo perciò a' Sagreſtani, e Parochi delle Chieſe permeſſe ad avere in tutto ciò la neceſſaria mira, ed attenzione.

E quando alcuna di tali Donne, in grado di perſeveranza nella cattiva vita, ſi aſſumeſſe ſenza ſpecial licenza in ſcritto, Noſtra, o del Noſtro Vicario (la quale non ſi dovrà concedere ſe non per Chieſa particolare, e nel caſo ſolamente, che vi ſia probabilità di cooperare alla loro emendazione) di entrar de facto in alcuna delle Chieſe vietate, o ne' giorni, e tempi proibiti reſpettivamente alle Chieſe permeſſe, o pure andando anco in queſte ne' tempi permeſſi, ma in abito meretricio, e differente a quello, che di ſopra è ſtato loro preſcritto, vogliamo, che poſſino eſſere dagli Eſecutori moleſtate, purchè ciò facciano immediatamente quando eſſe uſciranno di Chieſa, e non mai dentro la Chieſa, ſenza noſtra ſpecial licenza in ſcritto, dimodechè non ſuffraghi, nè ſia a detti Eſecutori lecito di fermarle, o dar loro moleſtia, paſſate che ſiano le Scalere della Chieſa, dove quelle ſi foſſero introdotte, e dove non ſiano Scalere, paſſate braccia dieci dalla Porta di eſſa Chieſa, ſottoponendo Noi i medeſimi Eſecutori in caſo di contravenzione a perdere ogni emolumento, che per altro ſi doveſſe loro, ed al Noſtro arbitrio ancora.

E per torre ogni difficoltà ſopra le mercedi degli Eſecutori, dichiariamo, che per l' eſecuzione, che eſſi faranno contro le ſuddette tio-

Digitized by Google

trovate in fragranti, non poſſino quelli pretendere più, che ſcudi due, ſalvo nondimeno quel, che ne' precitati Editti ſi aſſegna di porzione nella pena agli Eſecutori, o Notificatori ſegreti, o paleſi. Con dichiarazione in oltre, che tal' emolumento, eſecuzione, o porzione di pena reſpettivamente, non poſſino mai eſigerlo, o eſigerla da dette Donne, ma devino riportar la loro ſoddisfazione nel noſtro Tribunale, dove conſegneranno colla Comparſa il Pegno, o Contraſſegno ricevuto da tali Donne, e detta conſegna ſi doverà fare dentro all' iſteſſo giorno della fatta eſecuzione, non eſſendo feſtivo, o dentro almeno al primo giorno ſuſſeguente non feſtivo, quando il ſuddetto fuſſe tale. E non oſſervando eſſi in tal forma, s' intenda il tutto fatto ſenza mandato, e con autorità privata, e ſi poſſa procedere contro di loro, come Turbatori della giuriſdizione Eccleſiaſtica, alle pene, e per le pene, che di ragione, ec.

Dichiarando finalmente, che per Meretrici debbano intenderſi tutte quelle, che ſon deſcritte per tali nell' Offizio dell' Oneſtà, ancorchè eſenti di Taſſa, e quelle ancora, che teneſsero notoriamente vita da pubblica Meretrice, quantunque ſi aveſsero in detto Offizio per non deſcritte. E dove poſsa inſorger difficoltà, o dubbio, ſe elle ſiano tali, non poſſino gli Eſecutori moleſtarle, ſenza darne prima conto al noſtro Tribunale per ricevere i noſtri ordini. E tutto in ogni, ec. Mandantes, ec.

Dato dal Palazzo Noſtro Arciveſcovale il dì 27. Agoſto 1701.
LEONE ARCIVESCOVO DI FIRENZE.

CAPUT III.

De Eccleſiis reparandis, & Oratoriis conſtruendis.

Reſolutio S. Congregat. Concilii ſuper reſtauratione Eccleſiarum.

IN Cathacen. 16. Decembris 1634. S. Cong. Concilii cenſuit, ad refectionem Eccleſiarum cogendos eſſe earumdem Eccleſiarum Parochialium Rectores; quòd ſi redditus ipſarum Parochialium non ſufficerent, Epiſcopum Juris remediis, juxtà formam *cap.* 7. *ſeſſ.* 21. ipſos Parochianos cogere debere.

Alia Declaratio ſuper idem.

IN Caſtri Durantis 2. Junii 1595. Congr. Concilii cenſuit ſcribendum ad Abbatem, ut Domum pro neceſſaria Parochi habitatione curet ædificari ex fructibus, & proventibus quibuſcumque ad Parochialem ipſam pertinentibus, qui ſi non fuerint ſufficientes, Patronos

tronos, ſi qui ſint, vel alios, qui fructus aliquos ex dicta Parochiali percipiant, & in eorum defectum Parochianos dictis remediis opportunis compellat, quemadmodum de Inſtauratione Parochialium Eccleſiarum cavetur Decreto Concilii *cap.* 7. *ſeſſ.* 21., quod Congr. declaravit habere locum, etiam in refectione, vel ædificatione Domus neceſſariæ ad Parochi habitationem.

CAPUT IV.

De Sacris Oratoriis, & Capellis.

Declaratio Sac. Congr. Concilii ſuper Oratoriis Regularium.

IN quadam Domo rurali ſita in loco, in quo plures degunt habitatores, & adeſt etiam Eccleſia Parochialis, commoratur unus Sacerdos Regularis, qui præeſt adminiſtrationi, & culturæ Bonorum Conventus in dicto loco exiſtentium. Cum autem dictus Regularis, licèt reluctante Ordinario Loci, prætendat in dicta Domo Miſſam celebrare, fretus opinione nonnullorum Auctorum, præſertim Regularium, affirmantium à S. Concilio Trid. nunquam derogatum fuiſſe Privilegiis conceſſis Regularibus habendi Oratoria in Grangiis Conventuum, recreationi, vel Bonorum adminiſtrationi deſtinatis, dubitari contingit.

An dictus Sacerdos Regularis abſque peculiari Sedis Apoſtolicæ Indulto poſſit in dicta Domo celebrare.

Sacra Congregatio die 1. Martii 1687. reſpondit negativè.

Declaratio ejuſdem Sac. Congr. ſuper Oratoriis Privatis, in Placentina 14. *Novembris* 1676.

COngregatio Concilii cenſuit, ſi Capella ſit conſtructa in loco, ad quem omnibus patet aditus, nec habeat aditum, ſeu proſpectum ullum in privatas ædes, d. q. Scipio publico Inſtrumento ſe obliget ſemitam, qua itur ad Capellam, cuicumque liberam in perpetuum ſervare, atque illius dominio, ac juri renunciet, Decreto de privatis Oratoriis hac de re edito non comprehendi, ibique de licentia Ordinarii poſſe Miſſas celebrari. *Tom.* 13. *Decr. par.* 117.

Similis Declaratio in Luſitana 16. *Martii* 1652.

COngregatio Concilii cenſuit non licere alicui, abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ facultate, feneſtras, nec alios aditus habere ad Eccleſias, pro Miſſis, & aliis Divinis Officiis audiendis.

Sac. Congr. Epiſcoporum in Hyeracen. 6. Decembris 1612. Non deve permettere l'Ordinario, che dalle Caſe private ſi poſſa avere ingreſſo, e tranſito nelle Chieſe, ſenza licenza della Sac. Congreg., & in aliis reſolutionibus relatis per *Nicol. in Floſc. in V. Eccleſia.*

Aliæ

Digitized by Google

Aliæ Reſolutiones ejuſdem Sac. Congreg. ſuper eadem materia.

AN prohibitione Decreti Pauli V. ſuper Oratoriis privatis comprehendatur Capella Carcerum publicorum.

Sac. Congregatio Concilii cenſuit non comprehendi Capellam Carcerum publicorum. *To.* 18. *Decret. pag.* 543.

AN in Oratorio intus Seminarii ædes exiſtente, proùt etiam in Oratoriis intus Sacriſtiam Eccleſiarum Secularium, tàm Cathedralis, quàm Collegiatarum, & Parochialium, quatenus Oratoria ipſa decenter ornata ſint, & ab Epiſcopo approbentur, Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium, abſque Sedis Apoſtolicæ facultate, offerri valeat, adeoùt præfata Oratoria in *cap. unico de obſ. & evitand. ſeſſ.* 22. *Sac. Conc. Trid.* non comprehendantur.

Sac. Congregatio Concilii reſpondit prædicta omnia Oratoria, neque Decreto Concilii in *cap. unic. de obſ. & evit. ſeſſ.* 22. neque in Decreto Congregationis de Oratoriis privatis comprehendi.

Decretum Generale SS. D. N. D. Clem. PP. XI. de Celebratione in Oratoriis Privatis.

QUoniam Sancta ſanctè tractanda ſunt, ac præſertim tremendum incruenti Sacrificii Myſterium, quod omni Religionis cultu, & veneratione peragendum eſt; propter eà ſuper obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſarum, in Sacroſanctis Oecumenicis Conciliis, ac præſertim Tridentino ſub *cap. unico ſeſſ.* 22. inter cetera ſtatutum eſt, ut tantum Sacrificium ſolummodò in Eccleſiis, aut Oratoriis Divino tantùm cultui dicatis celebraretur, præcipiendo Epiſcopis, & Locorum Ordinariis, nè privatis in Domibus, atque omninò extra Eccleſiam peragi paterentur; ac ſubindè Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimor. S. R. E. Cardinalium ipſius Concilii Tridentini executioni., & interpretationi Præpoſitorum, ſæpe ſæpius per opportuna Decreta obrepentes abuſus eliminavit. Modernis tamen temporibus innotuit Sanctiſſimo Dom. Noſtro, quòd nonnulli Epiſcopi, ſub prætextu Privilegiorum, Capellis Epiſcopalibus competentium, & complures Regulares, ſub prætextu Privilegiorum, quæ ipſis à Sancta Sede indulta noſcuntur, per hujuſmodi Privilegiorum dilatationem, ſeu potius exceſſum, & abuſum in nonnullis Diœceſibus, præſertim Regni Neapolitani, ac in ipſa Neapolis Civitate, ea ſibi licere putant, quæ permiſſa non ſunt, quinimò prohibita. Siquidem nonnulli Epiſcopi, etiam in aliena Diœceſi, & extra *Domum propriæ habitationis* in privatis Laico-

rum Domibus erigi faciunt Altare, ibique per unum, aut plures ex ſuis Capellanis vivificam Chriſti Hoſtiam immolare; Regulares verò in quibuſdam Magnatum, ſeu aliarum Nobilium Perſonarum privatis Oratoriis, quæ certis quandoque ex cauſſis à S. Sede Apoſtolica concedi ſolent, celebrare audent, vel plures Miſſas, quàm in ipſis celebrare ſit indultum, *vel abſque præſentia Perſonarum, quarum contemplatione gratioſa conceſſio emanavit*, vel extra debitas horas, & poſt meridiem, vel illis etiam diebus, quibus per Conſtitutiones Diœceſanas, aut etiam per Decreta Sacræ Congregationis Concilii celebrari prohibetur, aut quæ in ipſiſmet Indultis Apoſtolicis excipiuntur, quominùs in iis celebrari poſſit, aut etiam Altari portatili uti non verentur in ſanctarum Sanctionum contemptum, ac Sancti Sacrificii irreverentiam.

Quamobrem, ad abuſus hujuſmodi eliminandos, & ad inſtaurandam venerationem tremendo Miniſterio debitam, idem Sanctiſs. D. Noſter, ex unanimi voto S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, inhærendo declarationibus, aliàs hac de re editis, expreſsè declarat Epiſcopis, & his Majoribus Prælatis, etiam Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque ſub prætextu Privilegii clauſi in corpore Juris, neque alio quocumque titulo, ullo modo *licere extra Domum propriæ habitationis* in Domibus laicis, etiam in propria Diœceſi, quod fortiùs intelligitur in aliena, etiamſi Diœceſani conſenſus adhiberetur, erigere Altare, ibique Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrare, ſeu celebrari facere, ac pari modo in Oratoriis privatis, quæ per S. Sedem conceſſa fuerint, non licere Regularibus cujuſvis Ordinis, aut Inſtituti, ſeu Congregationis, etiam Societatis Jeſu, aut etiam cujuſcumque Ordinis Militaris, etiam S. Joannis Jeroſolymitani, aut aliis quibuſcumque Sacerdotibus, etiamſi eſſent Epiſcopi, in iis celebrare in diebus Paſchatis Sanctiſſimæ Reſurrectionis, Pentecoſtes, Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, aliiſque anni Feſtis ſolemnioribus, ac diebus in Indulto exceptis. In reliquis verò diebus prædictis Regularibus, ſeu Sacerdotibus quibuſcumque, etiam Epiſcopis, in præfatis Oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica Miſſa, quæ in Indulto conceditur, celebrata fuerit, ſuper quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, & de eo ſe optimè informare; atque illa etiam in caſibus permiſſis celebrari nequeat poſt meridiem, demandando propterea ulteriùs, ac declarando in omnibus hujuſmodi caſibus Perſonas quaſcumque dictas Miſſas audientes nullatenus Eccleſiæ præcepto ſatisfacere. Quò verò ad Altare portatile, iterum inhærendo declarationibus ſupradictis, cenſuit licentias, ſeu Privilegia conceſſa nonnullis Regularibus in

cap.

Digitized by Google

cap. in his de Privileg., & per aliquos Summos Pontifices Regularibus communicata, utendi dicto Altari portatili, in eoque celebrandi, abſque Ordinariorum licentia, in Locis, in quibus degunt, omninò revocata eſſe per idem Sacrum Concilium, & propterea eoſdem Regulares prohibendos, ne illis utantur, ac mandandum, proùt præſentis Decreti tenore mandat, Epiſcopis, aliiſque Ordinariis Locorum, ut contra quoſcumque contravenientes, quamvis Regulares, procedant, etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, ad pœnas præſcriptas per idem Sacrum Concilium in dicto Decreto *ſeſſ.* 22., uſque ad cenſuras latæ ſententiæ, tributâ etiam eiſdem facultate per hoc Decretum ita procedendi, perindè ac ſi per S. Sedem ſpecialiter conceſſa fuiſſet. Et ita Sanctitas Sua declarat, & ſervari mandat. Romæ hac die 15. Decembris 1703.

B. Card. Panciaticus Præf.

Io. Dominicus Thomatus Epiſc. Cyrenen. S. C. C. Secr.

Requiſiti dell' Oratorio Pubblico.

Illuſtriſs. e Reverendiſs. Sig. mio Oſſervandiſs.

IN riſpoſta della di V. S. Illuſtriſs. devo dire, che ad effetto, che l'Oratorio ſia pubblico, ha di biſogno di due circoſtanze, o qualità. La prima, che abbia Porte in Via pubblica. La ſeconda, che non vi ſi poſſa entrare da luogo privato. Onde non importa, che la fabbrica della Chieſa ſia in fondo privato, perchè favore Eccleſiæ, ſeu Oratorii publici fundus cedit fabricæ, & conſequenter non remanet privatus, ſed fit Eccleſiæ pro ſervitio publico. Ma quando la Chieſa è fabbricata in un Prato, ovvero Terreno di privato, biſogna, che omnibus ad Eccleſiam pateat liber acceſſus. Onde, non eſſendo libero l'acceſſo in Prato, o Terreno particolare, potendo il Padrone del Prato, o Terreno proibire l'acceſſo quando, ed a chi gli piace, per levare queſta privanza, che eſclude la pubblicità; fa di biſogno, che il Padrone del Prato, o del Terreno faccia una ſtrada pubblica nel Prato, non ſolo diſtinguendola dal Prato, o Terreno, con due foſſi, che arrivino dalla ſtrada pubblica alla Porta della Chieſa, ma anco a perpetua memoria ſi faccia Iſtrumento, e rogito pubblico di tale aſſegnazione di via pubblica. In oltre, quando la Chieſa, o Oratorio pubblico è attaccato al Palazzo, o Caſa di privati, ovvero ad altro privato edifizio, non ſolamente biſogna avvertire, che non vi ſia altra Porta, che in ſtrada pubblica, come ſi è detto di ſopra, ma che anco nè di ſopra verſo il tetto, nè di ſotto al detto Oratorio vi ſia

Camera, o Cantina, o altro ad uſo laicale profano. Che è quanto poſſo dire a V. S. Illuſtriſſima, alla quale affettuoſiſſimamente bacio le mani. Di Roma li 30. d' Agoſto 1631.

Di V. S. Illuſtriſs. e Reverendiſs. *Devotiſſ. Serv.* Marco Aurelio Maraldo.

Inſtruzione di Monſig. Pietro Niccolini Arciveſcovo di Firenze, per i Signori Viſitatori, e loro requiſiti. a car. 341.

CAPUT V.

De Confraternitatibus Laicorum.

Declaratio Sacr. Congregat. Concilii quòad Confraternitatum, quæ ſunt erectæ in Eccleſiis Regularium, viſitationem. Nucerina Paganorum 23. Junii 1629.

SAc. Congregatio, &c. inhærendo Declarationibus aliàs factis, cenſuit Confraternitates Laicorum in Eccleſiis Regularium exemptorum inſtitutas, ſubeſſe juriſdictioni, & viſitationi Epiſcopi, illaſque ab eo viſitari poſse, necnon illarum Capellas in eiſdem Eccleſiis Regularium exiſtentes, in his tamen, quæ Confraternitatum adminiſtrationem reſpiciunt, & ſi Confraternitatibus incumbit onus manutenendi Altare, & illius cultum, Epiſcopum poſſe viſitare circa ea, quæ reſpiciunt ipſam manutentionem, cultum, & ornamenta Altaris, ſeu Capellæ, onera Miſſarum, atque Divinorum Officiorum ibidem celebrandorum, & circa ea omnia, quæ ad obligationem eorumdem Confratrum relationem habent.

Cum qua Declaratione pertranſiit eadem Congr. in Urbinaten. 23. Septemb. 1690. & quam pariter tenuit Sac. Cong. Epiſcop. & Regul. in Fanen. 10. April. 1693. referente Eminentiſſimo Card. Carpineo.

Decretum de modo repoſcendi rationes à Camerariis, ſeù Procuratoribus Confraternitatum, aliorumque ſimilium Piorum Locorum.

LAicorum Confraternitatum, quæ ad laudes Divino Numini concinendas inſtitutæ maximè ſunt, atque earum pleræque Parochialium Eccleſiarum obſequio mancipatæ, piorumque Legatorum diſtributioni per ultimas Fidelium voluntates non rarò præpoſitæ, ac deputatæ, indemnitati, bonoque regimini omni operâ, omnique curâ proſpicere, & ſolicitâ omninò circumſpectione præcavere Paſtoralis Noſtræ ſedulitatis eſt, & vigilantiæ. Cum itaque, ſicut dolentes accepimus, & quotidiano propemodum experimento comperimus, Proviſorum, Camerariorum, Syndicorum, & aliorum quorumcumque earum bona procurantium culpâ, ſacra pauperum patrimonia incautè, vel fraudulenter, neglectâ etiam piorum operum

ex juſtitia, vel ex charitate implendorum executione, dilabantur; nimioque ære alieno prægravatæ Confraternitates Sacris quandoque, urgente Creditore, ſpolientur judicialiter Supellectilibus, atque adeo divinis ceſſent ab obſequiis: Cumque Officialis Curiæ Noſtræ, ad rationes à præfatis Adminiſtratoribus repoſcendas ſpecialiter deputatus, ut toto pectore attentus ſit, Procuratores tamen iſtos in officio continere non poſſit ſolus; ſatis autem eos coërcendos exiſtimemus, ſi Perſonas aliquas in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutas, earumdem Confraternitatum Adminiſtratoribus ad calculum revocandis ità præfecerimus, ut iiſdem ſubjunctus Curiæ Noſtræ Officialis, ad munus prædictum ceteroquin deputatus, poſtquam rationum ſummam, quadrantem, aut excurrentem, collatis Creditorum, Debitorumque nominibus, accuratâ ſupputatione compererit, quid inde reliqui Societas, Procuratorve contraxerit, nequaquam declaret; ſed communicato cum uno ex Dominis infra electis conſilio, præviam ejuſdem in ſcriptis approbationem, vel emendationem calculo ſubductæ rationis expectet. Propterea hâc Noſtrâ perpetuò valiturâ Conſtitutione, ſalvis tamen Generalis Vicarii Noſtri facultatibus, & ſine præjudicio emolumentorum ſubalterno Officiali, aliàs deputato, competentium, quibus derogare, aut præjudicare nullatenus volumus, eidem Officiali aliquos ex Dominis Eccleſiæ Noſtræ Metropolitanæ Canonicis duximus præficiendos. Quamobrem de fide, prudentia, zelo, diſcretione, ac ſedulitate Dominorum Canonicorum Noſtræ Metropolitanæ, nempè Antonii Laurentii del Vigna, Joannis Ugolini, Julii Alexandri Scarlatti, Rubei de Rubeis, Bindo Joann. Baptiſtæ Peruzzi, Aloyſii Mariæ Strozza, Laurentii Philippi Gherardini, & Alexandri de Gianfigliazzis, plurimum Confidentes, eoſdem pro nunc in generales Syndicos, ac Rationales omnium, & ſingularum Confraternitatum, aliorumque Piorum Locorum, quorum cura œconomica ad Nos pertinet, & quorum rationes ab Officiali prædicto cognoſci hactenus conſueverunt, eligimus, & deputamus, atque ad eos inferioris Miniſtri præfati, veluti ratiocinatoris cujuſdam opera adiuvandos, univerſas ſacrarum procurationum prædictarum rationes conſueto tempore in annos ſingulos deferri jubemus.

Ut autem uberior ex Noſtra ſolicitudine fructus erumpat, & ut Chriſti Domini patrimonium tutius propugnetur, Officiali Noſtro prædicto, ejuſque in Officio ſucceſſoribus diſtrictè mandamus, ut encyclicis quamprimum juſſu Noſtro ad præfatarum Confraternitatum Gubernatores in Civitate, extra verò ad eorumdem Correctores, eiſque, ſi opus fuerit, iterum, atque iterum datis, Gubernatores

res eoſdem, ſeu reſpectivè Correctores, ſub pœna refundendi de proprio quæcumque damna Piis Locis ex malo Camerariorum regimine forſan obventura, ſedulo commoneant, ut, ultra Patris conſenſum, & obligationem, ſi filiifamilias ad ejuſmodi munus aſſumantur, idoneum etiam Fidejuſſorem, & communis rei fideliter procurandæ Sacramentum ab electis ante officii ſuſceptionem accipiant: mox res omnes eorum fidei creditas, diligenter conſcripto, ac utrinque ſubſignato Inventario, in quo iiſdem omninò formulis deſcribentur etiam, quæ pendente procuratione erunt credendæ, electis eiſdem conſignent: munere tandem expleto, Gubernatores, ſeu Correctores, qui tunc temporis ſedebunt, ea omnia ſibi reſtituenda curent, nec niſi factâ collatione extantium cum relatis in repertorio referant accepta.

Item encyclicis eiſdem, juſſu Noſtro, Noſtrâque commiſſione, Proviſoribus, Camerariis, Syndicis, aliiſque negotiorum geſtoribus, omnes, & quaſcumq; ſuperfluas, necnon extraordinarias omnes expenſas, quantumvis utiles, & neceſſarias, pretioſarum ſupellectilium, etiam ſacrarum, litis excitandæ, vel ſuſtinendæ, ædificiorum, peregrinationum, ſolemnitatum, Anniverſariorum, & ſimiles, in Conſtitutionibus per Nos, aut per Anteceſſores Noſtros approbatis individualiter non expreſſas, vel ſpeciali Noſtro, aut Vicarii Noſtri Generalis reſcripto, habitâ publici ærarii, temporumque ratione, minimè permiſſas prorſus inhibeant, ac ut, quotidianis minimis ſumptibus apocæ pretio indignis, veriſimilibus tamen, dumtaxat exceptis, ſolutiones omnes per eos faciendas, aut factas, Noſtrâ, ſi, juxta ſuperius conſtituta, opus fuerit permiſſione, legitimo Officialium, ſeu Correctoris mandato, ac tabulis fide dignis, quibus acceptam pecuniam Creditores dimiſſi retulerint, omnimodè communiant: & redditurí quotannis geſtæ procurationis rationem, documenta mox præſcripta, necnon authenticum Gubernatoris, vel reſpectivè Correctoris de fideli rerum creditarum, ad repertorii normam, reſtitutione teſtimonium, atque monumenta locationum, debitorumque, ac creditorum Societatis, & Piorum onerum elenchum, acuminato filo aſſuta, & in faſciculos, vulgo *Filze* nuncupatos, ordinatè annexa, niſi peculiari Libro contineantur, unà cum Rationariis Codicibus exhibeant, quo Miniſtri ſolertia, vel ſocordia, doluſve, tàm in pecuniarum exactione, quàm in æris alieni diſſolutione, & in Piis conſuetis oneribus adimplendis penitus eluceat. Camerarios autem prædictis adminiſtrationis fideliter exercitæ teſtimoniis nequaquam inſtructos, per Noſtræ Curiæ Officialem ad computorum diſpunctionem, vel nullatenus admitti, vel ſolutionibus illegitimè

gitimè factis ab eorum credito deletis, debitiſque nulliter contractis in eoſdem relatis, ad omnimodam Confraternitatis indemnitatem condemnari jubemus.

Hæc igitur omnia Officiali Noſtro requirenda, & quam diligentiſſimè examinanda, & ſucceſſivè proponenda committimus alteri ex DD. Canonicis, ut ſupra electis, ſervato inter eos turno, vel diſtributione Locorum, prout magis in Domino expedire cenſuerint, vel inter ſe convenerint: ſine prævia autem eorumdem, vel alterius eorum approbatione, & ſubſcriptione, approbari, vel ſubſcribi rationum Libros per inferiorem Miniſtrum, ſub pœna nullitatis quoad Camerarios, & damni illati, ac amiſſionis officii, aliiſque arbitrariis quoad Miniſtrum, penitus interdicimus.

Hujuſmodi autem Pio operi Præfectorum pietatem, fidem, ac diligentiam imploramus, ut Sacrorum Locorum negotia paterno prorſus amore complentes, Deoque remuneratori adlaborantes, totis viribus intendant, ne Miniſtrorum perverſitate, avaritiâ, & ambitione, aut Noſtri Officialis incuriâ, Confratrum pietas extraordinariis contributionibus citrà neceſſitatem nimium oneretur; ne Benefactorum voluntati, aut conſtitutionum Legi, aut legitimæ conſuetudini, neglectâ, vel retardatâ onerum ſatisfactione, derogetur: ne ſacrum Ærarium inutilibus expenſis exhauriatur; ne Societates ipſæ, alieno ære ſupra vires contracto, ad extremam uſque egeſtatem, Sacris etiam Mobilibus exutæ, atque adeo Divinis celebrandis Officiis ineptæ redigantur. Si quid autem executioni difficile, aut correctione dignum oſtenderint, ad Nos, vel ad Vicarium Noſtrum Generalem, prout magis expedierit, ac licuerit, providendum, & emendandum maturè perferant.

THOMAS BONAVENTURA ARCHIEP. FLOR.

CAPUT VI.

De Rebus Eccleſiæ tuendis, reparandis, & non alienandis.

Breve dichiarazione, e riſtretto della Coſtituzione di Paolo PP. II. proibente l'alienazione de' Beni Eccleſiaſtici, che comincia: Ambitioſæ cupiditati 23. *Febbraio* 1497. *ripoſta tra le Eſtravaganti comuni al Tit.* De Rebus Eccleſ. non alien. *E perciò chiamata comunemente L'Eſtravagante* Ambitioſæ, *e confermata da Giulio PP. III., e dal Concilio di Trento ſeſſ. 25. cap. 11. de Reformat.*

PAolo II. nella detta Eſtravagante *Ambitioſæ*, inerendo alle Coſtituzioni, e Proibizioni de' ſuoi Predeceſſori, e quelle confermando, e rinnovando. Proibi-

Proibiſce l'alienazione di tutte le coſe, e Beni Eccleſiaſtici, e ſpecialmente il farſi ogni Contratto, che di eſſi trasferiſca il dominio sì diretto, come utile; ogni conceſſione, ed ipoteca, che è lo ſteſſo che dire qualſivoglia obbligazione, ogni locazione, e conduzione, che ſi faccia a maggior tempo, che di tre anni. Similmente proibiſce il concedere in Feudo, e in Enfiteuſi, e per conſeguenza a linea, o ad affitto perpetuo i ſopraddetti Beni, fuori che ne' caſi permeſſi da' Sacri Canoni, ovvero, che foſſero Beni ſoliti per antico tempo concederſi in Enfiteuſi: con che però in tal caſo detta nuova conceſſione ridondi in utile evidente della medeſima Chieſa. E quanto a' frutti, e Beni mobili concede ſolamente l'alienazione di quelli, che non ſi poſſono lungo tempo conſervare, ſecondo l'eſigenza del tempo. Le pene, alle quali ſoggiaciono quelli, che ſenza il precedente Beneplacito Apoſtolico, e contro il tenore della predetta Coſtituzione preſumono in alcuno de' modi ſopra eſpreſſi alienare i Beni Eccleſiaſtici, ſono le ſeguenti.

Prima. Vi è la nullità del Contratto, annullando ogni alienazione, ipoteca, ovvero obbligazione; ogni conceſſione, locazione, conduzione, Feudo, o Enfiteuſi de' ſopraddetti Beni, quelle, e quelli dichiarando *ipſo facto* di niun valore, e momento.

Seconda. Tanto quelli, che alienano, quanto quelli, che ricevono i ſopraddetti Beni, come ſopra alienati, incorrono nella Scomunica.

Terza. Se quelli, che alienano, ſono Abati, o coſtituiti in Dignità Pontificale, gli è onninamente interdetto l'ingreſſo della Chieſa, e ſe in ſimile interdetto con animo pertinace perſevereranno per ſei Meſi immediatamente ſuſſeguenti, paſſato detto termine, ſono *ipſo facto* ſoſpeſi dall' amminiſtrazione, e governo sì ſpirituale, come temporale della Chieſa, o Monaſterio, al quale preſeggono.

Quarta. Se quelli, che alienano, ſono Rettori di Chieſe, ovvero Beneficiati di qualſivoglia Titolo, e forte, ſubitamente, fatta alcuna delle ſopra eſpreſſe alienazioni, reſtano privi delle loro Prebende Eccleſiaſtiche, e queſte s' intendono ſenza altra dichiarazione vacate; onde poſſono gli Ordinarj del Luogo, o altri, a' quali ſi aſpetta la Collazione di tali Prebende Eccleſiaſtiche, conferirle a perſone idonee: eccettuati però ſempre quelli, che in pena di tale alienazione ne foſſero rimaſti privi.

E come più diffuſamente in detta Eſtravagante *Ambitioſæ*.

Decreto del Cap. 11. *della ſeſſ.* 22. *de Refor. del Sac. Conc. di Trento.*

SE l'avarizia, radice d'ogni male, occuperà talmente, e in modo qualſivoglia Cherico, o Laico di qualunque Dignità, o grado ſi ſia,

ſi ſia, quantunque Imperiale, o Reale, che per ſe, o per interpoſte perſone, con forza, o per timore, o ſotto qualſivoglia preteſto, o queſito colore, preſumerà di uſurpare, o convertire in uſi propj le giuriſdizioni, beni, cenſi, e ragioni, anco feudali, ed enfiteutiche, frutti, emolumenti, e qualſivoglia rendita ſpettante ad alcuna Chieſa, o a qualunque Benefizio Secolare, o Regolare, Monti della Pietà, o ad altri Luoghi Pii, i quali devono ſervire per la neceſſità de' Miniſtri, e de' Poveri; ovvero ardirà d'impedire, che da quelli, a' quali di ragione ſi devono, non poſſano conſeguirſi; ſia, e reſti ſcomunicato ſin tanto, che non averà reſtituito interamente alla Chieſa, o all'Amminiſtratore della medeſima, ovvero al Benefizio le giuriſdizioni, beni, effetti, ragioni, frutti, ed entrate, che averà occupate, o che ſaranno a lui pervenute in qualſivoglia modo, eziandio con titolo di Donazione di ſuppoſta perſona, e finchè non otterrà dopo, tale reſtituzione, l'aſſoluzione dal Sommo Pontefice di detta Scomunica; e ſe tale uſurpatore averà l'Jus padronato di detta Chieſa, oltre alle predette pene, reſti ancora privato di detto Padronato *ipſo facto*. I Cherici poi, che ſaranno autori, o conſenzienti a ſimili uſurpazioni, ſiano ſottopoſti alle medeſime pene; ed in oltre ſiano privati di qualſivoglia Benefizio, e divengano inabili a conſeguirgli nell'avvenire, e reſtino ſoſpeſi dall'eſercizio de' loro Ordini, anco dopo l'intera ſoddisfazione, ed aſſoluzione, ad arbitrio del loro Ordinario.

Declaratio Sac. Congr. Concilii ſuper alienatione Bonorum Eccleſiaſticorum, eorumque conceſſione ad livellum.

1. Bona Eccleſiaſtica, quæ excedunt valorem annui reditus 50. ducatorum, non poſſunt dividi ad hoc ne minuatur valor, & reducantur infra 40. ducatos, ut res fiat alienabilis.

2. Non poſſunt Bona Eccleſiaſtica hujuſmodi alienari ipſis Rectoribus Eccleſiarum, nec eorum conſanguineis, & affinibus uſque ad quemcumque gradum.

3. Sicut non poſſunt alienari Parochorum, & Rectorum Domus, ita prohibetur etiam ne alienentur Prædia vicina, & contigua ipſis Eccleſiis.

4. Placet etiam, ut reddatur prohibitio locationis omnium Locorum Piorum ultra triennium, anticipatâ ſolutione.

Et factâ relatione S. D. N. annuit, & mandavit expediri Breve. 7. Octobris 1602.

Hieronym. Aguccius Secr.

CAPUT VII.

De vita, & honeſtate Clericorum

Literæ Circulares de mandato Innoc. PP. XII. ne Sacerdotes cum eorum ſtatus dedecore Laicis inſerviant.

TRa le più aſſidue ſollecitudini, che occupano la mente zelantiſſima di Noſtro Signore, per il bene ſpirituale della Chieſa, una ſi è di conſervare, e ravvivare nel ſuo vero decoro la ſantità, e dignità del Sacerdozio; poichè, dipendendo dagli ufizj di queſt' Ordine l'iſtruzione, la correzione, e la ſantificazione de' Fedeli, conviene ancora, che l'eſemplarità della vita, e la gravità de' coſtumi ſia in eſſo così diſtinta, e ſuperiore ad ogni altro, che corriſponda alla ſublimità del grado, e al fine della ſua iſtituzione.

